Nab. 5.
8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841197-p0002-7

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM IENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS SEXTVS

DENVO EDIDIT

ATQVE

ACCESSIONES NONNVLLAS IVRIDICAS

SVBIVNXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS



TVBINGÆ

SVMTIBVS IO. GEORGII COTTAE
MDCCLXXVII.



PRÆFATIO EDITORIS.

Accipe, si placet, LECTOR BENEVOLE, hunc *decimum sextum* operis Gerhardiani tomum, in quo doctrina de *matrimonio*, quæ in præcedenti volumine cæpta erat, iusto servato ordine continuatur atque absolvitur.

Exposuerat quippe GERHARDUS in *priori* illo volumine *adiuncta* sive προσκείμενα coniugii, tum *inchoati*, tum *consummati*. Iam vero in posteriori hocce volumine descendit ad eiusdem *pugnantia*, sive *contraria*, quorsum *cælibatus*, *divortium*, eiusdemque causſæ, itemque *adulterium* ac *desertio* iure meritoque referuntur.

Cæterum non minorem diligentiam, quam in superioribus collocavimus, huic etiam tomo a nobis fuisse impensam, æquus lector facile deprehendet. Etenim textum adcurate formis descriptum, purgatumque a vitius, nostrisque hinc inde, licet paucioribus, adauctum notis, heic exhibemus.

Quod autem inprimis operis huius amatoribus gratum iucundumque fore confidimus, id effecimus, ut a viro consultissimo, Domino AUGUSTO LUDOVICO SCHOTT, iuris in hac Universitate nostra professore, fautore nostro æstumatissimo atque amicissimo, observationes quædam *iuridicæ*, erudite solideque conscriptæ nobiscum communicarentur, quæ, cum *auctori* nostro corrigendo, illustrando, defendendo, supplendo præclare inserviant & ex recentioris literaturæ iuridicæ copia accessiones suppe-

 ditent

dicent minime contemnendas, non possunt non tractationi *Gerhardianæ* magno esse ornamento, certæque commendationi.

Sed tamen partim voluminis huius ad iustam magnitudinem iam perlati, partim temporis atque instituti ratio non tulit, ut omnia, quæ haberemus edenda, una subiungerentur. Immo has ipsas doctissimi SCHOTTII nostri animadversiones non nisi pro primitiis additamentorum velimus reputari, quas in *peculiari supplementorum tomo* largior consequetur messis, non eas tantum accessiones, quæ ad forum civile spectant, sed quam maxime *nostras* etiam *observationes theologicas*, varii generis atque argumenti, complexura. Nonnulla enim hypomnemata iam a nobis sunt elaborata, atque ad prelum parata, plura habemus sub manibus, quæ suo tempore adpendicis ad hunc tomum loco edentur in publicum, pluriumque capitum notatu dignissimorum explicationem absolvent, veluti de *polygamia* & *monogamia*, de *cælibatu*, *concubinatu*, *divortio*, *de gradibus prohibitis*, *legumque mosaicarum in illis definiendis vi atque auctoritate*, *de sanctitate matrimonii christiani*, *de indice causarum ad matrimonium pertinentium*, *de finibus coniugii*, & quæ alia sunt recentiori præsertim ævo a nonnullis in disceptationem vocata.

Restat unicum, quod prætermittere heic non possumus. Quum nempe a quibusdam censoribus, quorum ceteroquin in nos studia atque benevolentiam grato agnoscimus animo, exprobratum sit ei, qui sumtus in hanc editionem facit, typis exscribendis viliorem iusto, parumque elegantem adhiberi chartam; monendum existimavimus, diversam vendi exemplorum copiam, alteram nitidiorem, eamque maioris pretii; vulgarem alteram, & minoris, uti par est, constantem; nec dubitamus omnino adserere, in præsenti librorum recentiorum caritate, ac pro ea, quæ huic operi dicatur, cura atque diligentia, tale illi pretium esse constitutum, quod impensas in editionem hancce collatas vix exæquet.

Quod reliquum est, nihil magis in votis habemus, animoque propositum, quam ut ex studiis nostris sinceris integrisque in rem sacram atque publicam fructus redundent uberrimi.

Atque ita vale, LECTOR BENEVOLE, nostrisque conatibus qualibuscunque porro fave.



LOCI XXVI.

DE

CONIVGIO

CAPVT X.

DE PVGNANTIBVS CVM CONIVGIO.

§. CCCCLXXXIV.

Pugnantia cum coniugio. Expoſuimus hactenus *adiuncta* ſive προσκείμενα coniugii tum *inchoati* tum *conſummati*, deſcendendum porro erit ad eiusdem *pugnantia* ſive *contraria*. Quamvis enim quibusdam videatur *de cognatis* prius agendum eſſe, antequam ad pugnantia tranſitus fiat, attamen cum omnia, quæ ab illis adferuntur, vel in præcedentibus jam ante ſint expoſita, vel ad contraria rectius referantur, ideo inſiſtentes ordini in tractatu de *miniſterio* & *magiſtratu politico* hactenus obſervato ab adiunctis ad pugnantia recta progredimur via. Ad cognata pertinere cenſent, 1.) *reliqua duo vitæ genera*, eccleſiaſticum ſcilicet & politicum, cum quibus reſpectu cauſæ efficientis principalis ac finis generalis ordo œconomicus cognationem aliquam obtinet; differt autem ab iisdem forma & fine ſpeciali ſive proximo. Sed de hac convenientia & diſcrepantia conjugii cum reliquis tribus hierarchiis in proœmio huius loci dictum fuit, quantum ſufficit.

2.) *Sponsalia*, quæ sunt mentio ac repromissio futurarum nuptiarum, de quorum cum nuptiis convenientia & discrimine superius cap. IV. sect. III. dictum fuit. 3.) *Concubinatum* iure civili sive Romano pristino concessum. Sed cum concubinatus pluribus modis a conjugio differat, eidemque adversetur, ideo pugnantibus rectius accensebitur. Neque enim in concubinatu *consuetudo vitæ individua*, nec *consortium iuris tam humani quam divini*, *nec communicatio* rerum & facultatum, nec filiorum iusta hereditas locum habet, quæ omnia ad verum & ratum matrimonium pertinent. 4.) *Cœlibatum*. Sed cum plurimorum in papatu cœlibatus sit coactus & impurus, cumque cœlibatus & coniugium in uno eodemque subiecto simul consistere nequeant, ideo ipsum quoque ad coniugii *contraria* generaliter sic dicta referemus.

§. CCCCLXXXV. *Pugnantia* coniugii revocari possunt ad quatuor generales classes: 1.) quædam cum *causa efficiente*, 2.) quædam cum *materia*, 3.) quædam cum *forma*, 4.) quædam cum *fine coniugii* pugnant. I.) Ratione *causæ efficientis*: 1.) *principalis* ac *primariæ* quæ est Deus, adversantur conjugio: *a.*) Vituperationes & insectationes tum sancti huius ordinis, tum sexus muliebris a gentilibus extra ecclesiam constitutis profectæ. *b.*) Errores & criminationes hæreticorum in ecclesia, quibus dignitatem coniugii a divina institutione unice dependentem labefactarunt. De utrisque diximus superius cap. IV. sect. I. *c.*) Prohibitio coniugii, qua papa veterum hæreticorum vestigiis insistens sacerdotibus & aliis, etiamsi dono continentiæ non sint instructi, matrimonio interdicit, cum tamen iure divino omnibus (observatis scilicet divinæ institutionis legibus) ad illud pateat aditus; unde apostolus prohibitionem illam vocat *doctrinam dæmoniorum*, 1 Tim. IV. 1. quia, cum talis prohibitio sit divinæ coniugii institutioni directe opposita, ideo non potest ab alio, quam a Dei & sanctionum divinarum adversario originem trahere. De hac prohibitione, quatenus ecclesiæ ministros concernit, egimus in tract. de ministerio cap. VII. sect. II. quatenus personas alias dono continentiæ non instructas spectat, in sequentibus de ea tractabitur. *d.*) Detestatio secundarum nuptiarum a Montanistis originem ducens, de qua late egimus superius cap. V. membr. I. 2.) Ratione *causæ efficientis secundariæ & propinquæ*, quæ est legitimus, liber, plenus ac justus tum partium contrahentium, tum eorum, in quorum potestate sunt, consensus, pugnant cum coniugio, *a.*) error pontificiorum, quo negant consensum parentum in nuptiis filiorum necessario requiri, de quo late egimus cap. IV. sect. II. art. I. *b.*) Omnia, quæ vel iudicii integritati vel voluntatis libertati ad legitimum ac liberum consensum requisitæ adversantur, utpote respectu prioris requisiti, error, dolus, ebrietas, fatuitas, furor; respectu posterioris, minæ, justus metus & violenta coactio, ad quam pertinet raptus, de quibus ibidem diximus art. II. *c.*) Ratione *causæ antecedentis*, *disponentis ac præparantis*, quæ sunt sponsalia, adversantur coniugio temeraria repudia, dissolutiones sponsaliorum absque auctoritate magistratus & absque iustis & sufficientibus causis institutæ, de quibus diximus cap. IV. sect. III.

I.) *Ratione causæ efficientis.*

§. CCCCLXXXVI. II.) Ratione *materiæ* pugnat cum coniugio: 1.) Polygamia simultanea, quando vel unus maritus plures uxores, vel una uxor plures maritos eodem tempore habet, quæ posterior polygamiæ species non tantum primævæ coniugii institutioni & Christianorum legibus in nov. test. ut prior, sed etiam omnibus omnium gentium legibus & institutis repugnat. De ea egimus superius cap. V. membr. I. 2.) Incestus, qui est conjunctio

II.) *Ratione materiae.*

ctio illegitima in gradibus consanguinitatis vel adfinitatis divino iure prohibitis, ex eo sic dictus, quod cesto careat, fuit autem cestus cingulum Veneris, quod in legitimis nuptiis sponsus solvebat. De hisce prohibitionibus graduum diximus cap. V. membr. II. art. II. 3.) Erroneæ pontificiorum opiniones, quibus ὀρθοδοξίαν de prohibitione graduum labefactant, quando statuunt, in Levitico non gradus æque distantes, sed personas duntaxat ibidem expressas esse prohibitas, prohibitionem illam non ad Christianos in nov. test. sed tantum ad Iudæos in vet. test. pertinere; quando prohibitionem consanguinitatis & adfinitatis usque ad quartum gradum inclusive extendunt; spiritualem aliquam cognationem inter susceptorem & susceptam ex baptismo matrimonium impedientem introducunt; matrimonium inter fidelem & infidelem non baptizatum ex more populi christiani vim legis habente irritum esse statuunt, &c. de quibus omnibus egimus superius cap. V. memb. II. art. II.

§. CCCCLXXXVII.

III.) *Ratione formæ.* III.) Ratione *formæ* coniugio adversantur: 1.) Vagæ libidines, scortationes, stupra & quævis illicitæ commixtiones cum sexto præcepto pugnantes. Cum enim unica & sola illa cohabitatio, quæ in legitimo coniugio instituitur, divinæ legi ac voluntati in sexto decalogi præcepto expressæ sit consentanea; ideo cum coniugio in sexto præcepto munito ac confirmato non immerito pugnare iudicantur omnes illicitæ commixtiones sexto præcepto prohibitæ. Earum vero species sunt complures. Stuprum est illicita virginum vel etiam honestarum viduarum defloratio. Fornicatio sive scortatio est inter solutos promiscue, ac committitur etiam cum meretrice ac inhonestis personis. Sodomia est sive cum masculis sive cum brutis præternaturalis commixtio, Lev. XVIII. 22. 23. Rom. I. 26. dicitur alias respectu prioris speciei pæderastia, respectu posterioris bestialitas, ac in genere peccatum mutum, quod ne nominari quidem debeat inter Christianos. Huc referendum scelus onaniticum, voluntaria seminis profusio, mollities dicta, de qua recte disputant scholastici, quod sit peccatum ipso adulterio gravius. De his omnibus in explicatione sexti præcepti latius disputatur. 2.) Impurus cœlibatus, quando illi extra coniugium vivunt, qui continentiæ dono instructi non sunt, ac licet perpetuis ustionibus torqueantur, tamen præfracte spernunt remedium ustionum divinitus præscriptum 1 Cor. VII. 9. *Melius est nubere quam uri.* Notanter autem dicitur impurus cœlibatus, quia distinguendus est a cœlibatu illarum personarum, de quibus Christus Matth. XIX. 11. inquit: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* v. 12. *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum, qui potest capere, capiat.* Ac apostolus: 1 Cor. VII. 7. *Unusquisque proprium suum donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* v. 8. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint sicut ego.* v. 34. *Innupta cogitat, quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu.* Hic cœlibatus in personis idoneis sine legitimo susceptus nequaquam improbatur, nec cum coniugio hostiliter pugnat, sed est status vitæ Deo placens, a coniugio quidem diversus, non tamen e directo eidem adversus, cum in utroque vitæ statu sit sancta ac Deo placens castitas. Impurus autem cœlibatus, qui vel illicitas libidinum flammas fovet interius, vel easdem concubinarum & scortorum consuetudine restinguit exterius, a Deo damnatur, & coniugio extreme adversatur. 3.) Concubinatus qui est cohabitatio cum una muliere citra coniugalem affectum. Adfinis ei est pellicatus, qui est cohabitatio mulieris cum eo, qui habet legitimam uxorem. Pellex enim una cum legitima uxore, concubina citra eam habe-

tur. 4.) Adulterium, quod est tori coniugalis violatio, quando scilicet maritus potestatem corporis sui facit alteri mulieri, vel quando uxor potestatem corporis sui facit alteri viro. Estque vel simplex, commixtio scilicet coniugis cum persona soluta, vel duplicatum, commixtio coniugis cum alterius conjuge. 5.) Anabaptistica uxorum communio, qua insistentes Nicolaitarum ac Gnosticorum vestigiis sub religionis prætextu uxores habent communes. Contra communionem illam uxorum erudite disputat Lactantius lib. III. inst. cap. XXI. (ubi ostendit incertitudinem prolis & educationis neglectum ex ea oriri) & Salvianus lib. VIII. de gubernatione Dei, ubi *Socratem per hanc doctrinam, quod uxores debeant esse communes, lupanar ex mundo feciisse* adserit. *Hac ratione* (inquit) *neque ullum virum ullius fœminæ maritum, neque ullam mulierem ullius mariti uxorem, neque ullum pignus ullius parentis filium fore statuo. Ubi enim promiscua omnia confusa sunt, nemo est, qui suum possit aliquid venditare.* 6.) Divortium illegitimum, quod est temeraria matrimonialis vinculi inter maritum & uxorem solutio, de qua graviter pronunciat Christus Matth. V. 32. XIX. 9. Marc. X. 11. Luc. XVI. 18. *Amen dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui aliam duxerit, adulterium committit, & qui repudiatam duxerit, mœchatur.*

§. CCCCLXXXVIII. IV.)

Denique ratione *finis* cum coniugio pugnat error pontificiorum, quo statuunt, coniugium esse sacramentum vere ac proprie sic dictum, cui scilicet promissio gratiæ iustificantis evangelio propriæ ipsius Christi ordinatione in nov. test. sit adnexa, de quo errore late egimus superius cap. III. Cæterum cum illa omnia, quæ in classem pugnantium cum matrimonio hactenus sunt relata, facilem ex superioribus habeant explicationem, ideo de tribus duntaxat capitibus, quæ uberiorem tractationem exigere videntur, in hoc capite agemus, videlicet: 1.) de *cœlibatu*, 2.) de *concubinatu*, 3.) de *divortio*; atque ea quidem ratione, ut non solum doctrina eorum in specie, quatenus cum coniugio pugnant, sed etiam in genere, quid de unoquoque horum capitum scitu necessarium, occasione huius articuli pertractetur. IV.) *Ratione finis.*

SECTIO I.

DE COELIBATV.

§. CCCCLXXXIX.

Cœlibatus etymologia & homonymia.

Cœlibes Hieronymus, magnus ille cœlibatus admirator, dictos putat ex eo, quod *cœlo digni sint*, lib. II. adv. Jovin. cap. XIX. circa fin. Aliam etymologiæ rationem videre est in glossa marginali apud Augustinum libr. de grammat. tom. I. col. 51. *Cœlibes, quasi cœlites dicti, prisci putant;* quibus verbis glossator Augustini definitionem in contextu positam explicare voluit: *Cœlebs dicitur, qui non habet uxorem, vel quæ non habet maritum, qualia sunt numina in cœlo, quæ absque coniuge sunt, si agapetas attendamus.* (ἀγαπηταὶ tempore Augustini dicebantur concubinæ, quas hoc nomine clerici ac monachi tegebant) Respicit vero Augustinus vel ad fictitia ethnicorum numina, quæ extra coniugium quidem vivunt, interim stupris & adulteriis sese commaculare finguntur, vel ad angelos cœlites, de quibus Salvator pronunciat Matth. XXII. 30. Luc. XX. 36. *Qui digni sunt futuro seculo, nec nubunt nec nuptui dantur,*

tur, sed sunt ἰσάγγελοι, absque matrimonii usu in cœlo viventes. Mutuata est hæc etymologia ab ethnicis, qui itidem cœlibes denominarunt quasi *cælites*, ut constat ex Quintiliano libr. I. cap. X. quo adludit etiam illud Modestini: *Quia cælo Saturnus genitalia abscidit, hoc nomine adpellatos, qui genitalibus careant.* Sed quilibet videt, etymologiam hanc esse adlusivam. Cæterum nomen *cœlibis* accipitur: 1.) *late* pro eo, qui extra matrimonium vivit, sive caste vivat, sive concubinas habeat, ut ex Martiali notum, sive sit nuptiarum penitus expers ac virgo, sive sit viduus vel vidua; 2.) *stricte* pro eo, qui extra matrimonium caste vivit, quique nullas adhuc expertus est nuptias, in qua posteriore significatione ab ecclesiasticis scriptoribus potissimum usurpari consuevit. Possunt autem omnia, quæ de cœlibatu disputantur, ad duas principales quæstiones revocari. Prior est: *an & quatenus cœlibatus coniugio sit præferendus?* Posterior est: *an ad cœlibatum voto aliquo sponte suscepto vel lege ecclesiastica quidam homines adstringi possint ac debeant?*

§. CCCCXC. A.) Prioris quæstionis explicationem certis propositionibus includemus. *Prima* hæc esto: *cœlibatus purus & castus in personis ad eum idoneis nequaquam est improbandus.* Hæc propositio opponitur *Iudæorum* & quorumdam *gentilium* opinionibus, qui cœlibatum penitus damnarunt. In sententiis Bensyræ hæc habentur: *Qui semen ex se non edit, adsimilatur effusori sanguinum, & qui habitat sine uxore, est sine bono, sine benedictione, sine cohabitatione, sine lege & sine pace. Qui sine uxore est, non reputandus homo.* Hæc opinio forte ex eo orta, quod in vet. test. propter promissionem de Messia sterilitas & *ἀτεκνία* probri loco fuit habita Gen. XXX. 23. Luc. I. 25. &c. In libro de nativ. Mariæ (qui Hieronymo tribuitur, cum sit Seleuci Manichæorum discipuli) dicitur, *scripturam maledictum eum pronunciare, qui non genuisset masculum in Israel.* Similia occurrunt apud Chrysostomum, Augustinum, Damascenum &c. sed ex tota scriptura non potest locus aliquis adferri, qui id probet. In Oreste Euripidis Helena Electræ probri loco obiicit *quod iamdiu permaneat virgo.* παρθένε μακρὸν δὴ μῆκος Ηλέκτρα χρόνυ. Mercurius Trismegistus in fine secundi serm. *eum, qui liberos non genuerit, non solum infelicem* pronunciat, *sed etiam impium & in orco pœnis adficiendum;* μέγιστον (inquit) ἀτύχημα καὶ ἀσέβημα ἐστιν ἄτεκνόν τινα ἐξ ἀνθρώπων ἀπαλλαγῆναι καὶ δίκην οὗτος διδοσι μετὰ θάνατον τοῖς δαίμοσι. Apud Spartanos Lycurgus legem tulit, *qua ullum honorem senioribus in vita cœlibe constitutis a junioribus exhibendum esse prohibebatur.* Strabo l. 7. cœlibes vocat *semivivos, vitæ humanæ parum utiles & dubiæ lucis.* Sed hisce Iudæorum & gentilium criminationibus opponenda est doctrina veræ ecclesiæ, quod utrumque vitæ genus tam cœlibis quam coniugalis Deo placeat, & quod in utroque vitæ genere quis Deo placere, & vitæ æternæ hereditatem consequi possit, si pie & caste in alterutro eorum vivat. Probatur hoc 1.) ex *manifestis scripturæ dictis.* Matth. XIX. 12. cum discipuli Christi dixissent: *Si causa hominis cum uxore talis est, non expedit nubere;* subiecit Christus: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*, ac enumeratis tribus eunuchorum generibus, inter quos eminent illi, *qui se castrant propter regnum cælorum*, addidit: *Qui potest capere, capiat.* Ostendit ergo ab illa primæva coniugii institutione & præcepto eidem addito: *Crescite & multiplicamini*; exceptos esse quosdam, qui vel ad coniugium inhabiles sunt per naturam, vel peculiari continentiæ dono instructi sunt per gratiam, quo

A.) *An & quatenus coelibatus coniugio praeferendus?*

1.) *Coelibatus purus in personis idoneis non est improbandus.*

dono illos ad ecclesiæ ædificationem uti non prohibet, sed concedit. Illud enim χωρείτω non esse præceptum aliquod, quo Christus legem cœlibatus vel in genere omnibus piis, vel in specie omnibus ecclesiæ ministris, ac ne quidem illis, qui dono continentiæ instructi sunt, absolute & simpliciter imponere voluerit, evidenter colligitur ex 1 Cor. VII. 25. *de virginibus præceptum Domini non habeo.* At si Christus legem aliquam hic tulisset, utique apostolus præceptum Domini accepisset. Proinde non præcipit atque imperat Christus cœlibatum, sed liberum relinquit illis, qui continentiæ dono instructi sunt, ac consulit, ut quilibet mensuram donorum divinitus sibi datorum æstimet, atque eligat illud, quod minore cum conscientiæ periculo, maiore autem cum ecclesiæ commodo coniunctum esse animadvertit. Christi vestigiis fideliter insistit apostolus, qui, postquam præceptum de ineundo coniugio proposuisset, 1 Cor. VII. 2. *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque virum suum habeat;* statim subiicit exceptionem, quod quidam donum continentiæ habeant, qui in puritate & munditiæ vitæ cœlibis extra coniugium vivere bona conscientia possint. v. 7. *Volo omnes esse sicut ego sum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* v. 8. *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut ego.* v. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.* v. 26. *Existimo ergo hoc esse bonum &c.* Huc referri etiam potest dictum propheticum Esai. LVI. 4. *Hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum.* v. 5. *Dabo eis in domo mea & muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Quia enim in vet. test. eunuchi habebantur exclusi a benedictione Dei, Deut. VII. 14. ac prohibebantur ecclesiam intrare; Deut. XXIII. 1. ideo proponitur illis hæc consolatio, quod nomen melius & quidem sempiternum ipsis dandum sit præ illis, qui externa benedictione adfluunt, atque interim fœdus Dei non observant. 2.) Ex *probatis eorum exemplis*, qui statum vitæ cœlibis amplexi sunt. Christus nuptiis in Cana Galilææ interfuit, sed uxorem non duxit, neque enim ad generationem, sed ad generis humani redemtionem venerat. Paulus apostolus inter ἀγάμους sese numerat 1 Cor. VII. 7. IX. 5. Eusebius libr. III. histor. eccles. cap. XXXVIII. de duabus filiabus Philippi evangelistæ, quarum mentio fit Act. XXI. 9. commemorat, quod *in virginitate consenuerint;* quod ergo Clemens Alexandrinus libr. III. stromat. dicit, *Philippum filias viris elocasse*, id de reliquis duabus accipiendum, nam quatuor ipsi dicuntur fuisse filiæ. Iustinus apol. II. pro Christ. p. 48. edit. Commel. *Permulti profecto sexus utriusque & sexaginta & septuaginta nati annos, qui a pueris disciplinam Christi sunt adsectati, incorrupti & cælibes perdurant. Et glorior me per omne genus hominum nostrorum tales commonstrare posse.* Tertullianus in apolog. cap. IX. pag. 30. *Quantum a stupris & ab omni post matrimonium excessu, tantum & ab incesti casu tuti sumus. Quidam multo securiores totam vim huius erroris virginitatis continentia depellunt, senes, pueri.* 3.) Ex *cælibatus commodis.* Christus Matth. XIX. 12. quosdam *propter regnum cœlorum se castrare* adserit. Paulus 1 Cor. VII. 32. de ἀγάμῳ pronunciat, quod *solicitus sit de iis, quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino.* v. 34. Quod *virgo cogitet, quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu*, de quorum dictorum genuina explicatione paulo post plenius dicetur. 4.) Ex *imperatorum constitutionibus.* Christiani imperatores, Constantinus, Constan-

ſtantius & Conſtans pœnas cœlibatus infirmarunt. l. 1. C. de Infirm. pœn. cœlib. *Qui iure veteri cœlibes habebantur, imminentibus legum terroribus liberentur, atque ita vivant, ac ſi numero maritorum matrimonii fœdere fulcirentur, ſitque omnibus æqua conditio capeſſenda, quod quisque mereatur &c. Quam rem & circa fœminas exiſtimamus, earumque cervicibus impoſita iuris imperia velut quædam iuga ſolvimus promiſcue omnibus.*. Euſebius lib. IV. de vit. Conſtantini memorat, decreto illius imperatoris *abrogatam fuiſſe legem veterem, quæ privabat hereditate eos, qui liberos non habebant*; ac ſubiicit, *multos viros ac multas fœminas ab amorem Dei perpetuum cœlibatum fuiſſe profeſſos.* 5.) Ex *patribus* in laudem & honorem cœlibatus multa adferri poſſent; negari enim nequit, quosdam ex ipſis veros encomii limites quandoque tranſiliiſſe, & cum contumelia coniugii cœlibatum laudaſſe, ut poſtea adparebit. Hic illud duntaxat obſervare convenit, qua occaſione cœlibatus admiratio ſatis mature in eccleſiam introducta ſit. Ea vero ex Pauli 1 Cor. VII. & ex Iuſtini & Tertulliani dictis antea citatis colligitur triplex: *a.) Ethnicæ ſcortationis familiaritas.* Iudæis polygamia & gentilibus ſcortatio adeo erat familiaris, ut apoſtoli in concilio Hieroſolymitano eam diſerte prohibere neceſſe habuerint. Ut ergo fideles ad Chriſtum converſi ab omni libidinum genere ſeſe abhorrere oſtenderent, extremum maxime contrarium eligebant, ab ipſo etiam coniugio abſtinentes, quo manifeſtius ſuam temperantiam oſtenderent. Iſti ergo pro angelis ſuſpiciebantur ratione habita ſordium & turpitudinum gentilibus conſuetarum; inde factum, ut cœlibatum eo plures adfectarent, quia quæ in pretio & commendatione homines haberi vident, ad ea maximo ſtudio adſpirare ſolent. *b.) Perſecutionum atrocitas.* Magiſtratus in eccleſia primitiva apoſtolicæ vicina erant ethnici; ideo Chriſtianis quotidie impendebant facultatum direptiones, proſcriptiones, vincula & omnis generis perſecutiones, ad eas ferendas expeditiorem videbant eſſe cœlibatum, cum coniugatis ex intuitu liberorum & uxoris in perſecutione dolor augeatur. *c.) Coniugiorum impâritas.* Chriſtiani Iudæis & gentilibus intermixti vivebant, & qui ad chriſtianam fidem convertebantur, ad eiusdem profeſſionem non poterant ſtatim inducere coniugem adhuc infidelem, ex illa coniugiorum imparitate pietatis exercitiis multa videbant obiici impedimenta, inde cœlibatui æquiores erant.

§. CCCCXCI. Quæ contra hanc propoſitionem urgeri poſſunt, facili negotio explicantur: 1.) Gen. II. 18. dicit Dominus: *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium. Ergo cœlibatus non eſt bonus nec probandus.* Reſp. Apoſtolus diſerte dicit: *Bonum eſt homini mulierem non tangere*, 1 Cor. VII. 1. hoc eſt, a ducenda uxore abſtinere. Ut ergo ex verbis apoſtoli non poteſt colligi præceptum aliquod generale neceſſitatem cœlibatus introducens, ita nec ex verbis Dei inferri poteſt præceptum aliquod generale neceſſitatem coniugii indiſtincte omnibus imponens. Quidam igitur reſpondent, *verba Dei apud Moſen accipienda eſſe de bono ſpeciei, verba Pauli de bono individui.* Sed hoc recte explicandum: Pronunciatum divinum continet generalem coniugii inſtitutionem; Paulus ponit exceptionem a regula, & loquitur de iis, qui continentiæ dono inſtructi ſunt. Deinde Paulus non ſimpliciter & abſolute pronunciat, bonum eſſe homini mulierem non tangere; ſed addit limitationem & explicationem, *propter præſentem neceſſitatem*, v. 16. propter ſtatum ſcilicet iſtorum temporum, in quibus immanes eccleſiæ perſecutiones vigebant, & quia propter exiguum piorum cœtum imparia coniugia, hoc eſt, inter maritum fidelem & uxorem infide-

infidelem, ac vice versa inter uxorem fidelem & maritum infidelem necessario erant frequentia. Bucerus in defens. reform. Colon. c. CXVI. p. 389. paulo obscurius respondet, *dictum mosaicum:* Non est bonum, hominem esse solum; *de hominibus in genere & de præsente vita, non speciatim de singulis neque de tota electorum vita accipiendum esse. Dictum autem Pauli:* Bonum est homini mulierem non tangere, *accipiendum esse de universa vita electorum, quæ cum perfecta & absoluta fuerit, nullam amplius coniugalem communionem habebit.* Pererius lib. IV. in Gen. p. 602. talem profert conciliationem: *In exordio mundi propter hominum paucitatem non fuisset bonum abstinere coniugio, neque enim genus humanum perpetuari aut propagari potuisset; sed postea infinite multiplicata hominum copia nulla ratio quemquam hominum urgebat & cogebat inire matrimonium.* Resp. neminem eorum, qui caste extra coniugium vivere possunt, ad illud *cogimus* vel *cogendum esse* dicimus, nec cœlibatum in illis, qui continentiæ dono instructi sunt, improbamus; sed ut coniugium illis, qui uruntur, necessarium, ita reliquis ab ustionum flammis liberis liberum relinquendum dicimus. Præterea bonum illud coniugii, cuius in primæva institutione fit mentio, est perpetuum, nec ad vet. tantum sed etiam ad nov. test. pertinet, quia multiplicatio humani generis non tollit bonum propagationis & adiutorii. Apud Augustinum confess. cap. de coniug. sacerd. *Natura hominum formatur illo verbo Dei:* Crescite & multiplicamini, *ut sit fœcunda, non solum initio creationis, sed tantisper, dum hæc corporum natura existet, sicut hoc verbo terra sit fœcunda:* germinet terra herbam virentem. *Propter hanc ordinationem non solum initio cœpit terra producere gramina, sed quotannis vestiuntur agri, donec existet hæc natura. &c. Quod ergo adversarii dicunt, initio fuisse mandatum coniugium, nunc non esse, id perinde est, ac si dicerent: olim nascentes homines secum adtulerunt sexum, nunc non adferunt.* Pergit Pererius: *Longe aliam ac diversam rationem fuisse matrimonii in statu innocentiæ, atque nunc est in statu naturæ corruptæ. In illo enim statu facta fuisset generatio & multiplicatio hominum electorum sine ulla libidinis turpitudine, sine ullo corporis aut animi vitio & impedimento, quo a cultu & obsequio Dei coniuges ulla ex parte tardarentur, in hoc statu omnia esse contraria.* Resp. *primo* per ἔνστασιν. Etiam post lapsum de coniugio dicit Spiritus sanctus Hebr. XIII. 4. τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος, ac uxor pia non minus post lapsum quam ante lapsum ex ipsius Dei ore est viri *adiutorium* non solum in re œconomica, sed etiam in ipsis pietatis exercitiis. *Secundo* per inversionem. Quia post lapsum paucis datum est, caste extra coniugium vivere, ideo quod institutum fuit in *officium*, illud post lapsum cessit in *libidinis remedium.* Nec adhærens illa libidinis lepra vel generationis opus vel coniugii statum per se sanctum & mundum ita immutat, ut in eo pacata & tranquilla conscientia vivere quis nequeat. At quotusquisque eorum, qui virginitatem incaute voverunt, & animo & corpore castus sit, dies Domini manifestabit. *Denique* per concessionem. Coniugium quandoque secum impedimenta quædam trahere non negamus, ideo cœlibatum in personis idoneis non improbamus. 2.) *Apostolus in genere dicit.* v. 2. Propter fornicationem habeat unusquisque suam uxorem, & unaquæque suum virum habeat; *ubi nomen generale* ἕκαστος *& verbum imperandi* ἐχέτω *observationem merentur.* Resp. apostolus loquitur de illis, qui non sunt instructi dono continentiæ, sed imminet illis periculum scortationis, si extra coniugium vivere velint, hoc est, loquitur de illis, *qui uruntur*, ut exponit v. 9. illis non amplius liberum

est

est matrimonium inire, vel non inire, sed ob evitandam scortationem coniugii necessitas illis incumbit. De reliquis, qui continere possunt, ibidem disserte addit: *Unusquisque donum suum habet, alius sic, alius vero sic.* v. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo.* v. 25. 3.) 1 Tim. V. 14. *Volo juniores viduas nubere, filios procreare. Ergo cœlibatus illis non est licitus.* Resp. idem apostolus inquit 1 Cor. VII. *Volo omnes homines esse, sicut ego sum.* Item: *dico non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint.* Ergo ex locutione indefinita non debet exstrui universalis. Apostolus vult juniores viduas nubere, si scilicet continere nequeant, si metus subest, ne occasionem calumniandi adversario exhibeant, ut ibidem additur. Vicissim vult eas in viduitate manere, si scilicet continere possint, & propter temporum illorum necessitatem.

§. CCCCXCII. *Secunda propositio: Cœlibatus absolute & in se bonum opus non est, sed est status boni operis & ex eorum genere, quæ ad aliud referuntur.* Probatur id 1.) ex *ipsius cœlibatus natura.* Cœlibatus est talis vitæ status, quo quis & bene & male uti potest. Qui ex recta intentione & legitimo fine a Spiritu s. adprobato cœlibatum eligit, & corporis atque animi castitatem in eo servat, illi cœlibatus est bonus; sed qui ex perversa & præpostera quadam persuasione de satisfactione pro peccatis & meritis adquirendis cœlibatum eligit, qui continentiæ dono instructus non est, qui ustionum flammis in eo interius torquetur, sive eas restinguat sive minus, illi malus est cœlibatus. Esai. LVI. 4. dignitas eunuchatus æstimatur non ex nuda & simplice a coniugio abstinentia, sed ex eo, *si fœdus Domini observet.* 1 Tim. V. 6. vidua, si cœlibatum suum referat non ad verum finem, sed carnis delitias, dicitur *vivens mortua.*

II.) *Cœlibatus per se non est bonum opus, sed boni operis status.*

2.) Ex *regula apostolica* 1 Cor. VII. 36. Si cœlibatus in se ac per se esset cultus Dei, non permitteret apostolus, ut is, qui existimat se ἀσχημονεῖν super virgine ὑπεράκμῳ, eam nuptui tradat, quin potius diceret, nulla ratione judicii humani habita custodiendam esse filiæ virginitatem, sicut 1 Cor. IV. 3. dicit, *mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* 3.) Ex *veterum doctrina.* Hieronymus cœlibatui plus, quam par est, sæpius tribuit, idem tamen libr. I. adv. Iovin. c. VI. circa medium recte scribit: *Ut circumcisio nihil est & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei: sic nihil prodest absque operibus cœlibatus & nuptiæ, cum etiam fides, quæ proprie christianorum est, si opera non habuerit, mortua esse dicatur, & hac lege virgines quoque Vestæ & Iunonis univiræ in sanctarum queant ordine numerari.* Gregorius Nazianzenus in orat. in funere soror. *Nec nuptias propter naturam propriam esse fugiendas, nec virginitatem propter naturam propriam extollendam, sed mentem esse, quæ nuptiis & virginitate bene vel male utitur.* Augustinus in lib. de bon. coniug. c. IX. *Videndum est nobis, alia bona nobis Deum dare, quæ propter se ipsa expetenda sunt, sicut est sapientia, salus, amicitia: alia, quæ propter aliquid sunt necessaria, sicut doctrina, cibus, potus, somnus, coniugium, concubitus &c. his itaque bonis, quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc, propter quod instituta sunt, utitur, peccat alias venialiter, alias damnabiliter. Quisquis vero eis propter hoc, quod data sunt, utitur, bene facit, cui ergo non sunt necessaria, si non eis utitur, melius facit.* Lib. de S. virg. c. VIII. *Virginitas, non quia talis est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quæ licet in carne servetur, spiritus tamen religione ac devotione servatur, ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vovet & servat continentia*

tia pietatis. Libr. VI. de civ. Dei c. XXXVI. *Conſtituamus ambos bonos,* (continentem & coniugatum) *profecto melior eſt coniugatus fideliſſimus & obedientiſſimus Deo, quam continens minoris fidei minorisque obedientiæ.* Thomas opuſc. XVII. cap. VI. cœlibatum & coniugium vocat *media, per quæ ad communem chriſtianiſmi finem pervenitur, qui eſt Dei & proximi dilectio.* Inter opera Ioh. Gerſonis, cancellarii Pariſienſis, exſtat opuſculum *de perfectione religionis chriſtianæ ſine votis & conſiliis,* in quo propoſ. III. ſic loquitur: *Religio chriſtiana poteſt absque voto obligante ad conſilia perfecte imo perfectiſſime obſervari. Patet de Chriſto, qui non legitur voviſſe conſilia, qui fuit tamen ſuæ legis perfectiſſimus obſervator. Patet inſuper de apoſtolis & diſcipulis & chriſtianis in primitiva eccleſia, quorum multi erant uxorati, multi poſſeſſiones habuerunt, quidam in communi, quidam in proprio.* Bellarminus ipſe lib. de monach. cap. XXXII. reſp. ad 6. *Virginitas abſolute conſiderata, ut ſolum dicit negationem quamdam coniugii, non eſt virtus, ſed ut eſt perfecta quædam refrenatio concupiſcentiæ.* (At perfectam illam concupiſcentiæ refrenationem ubi tandem in votivis illis virginibus inveniemus?) Recte igitur confeſſio Wirtebergica ſcribit: *Etſi cœlibum ſtatus ſit in publicis periculis tranquillior & ad peragenda publica miniſteria his, qui non uruntur, accommodatior, tamen non eſt ſentiendum, quod hoc vitæ genus per ſe ſit coram tribunali Dei excellentius aut ſanctius quam coniugium.*

§. CCCCXCIII. Opponenda eſt hæc propoſitio *immodicis cœlibatus encomiis,* quibus non ſolum in ſe ac per ſe cultus Dei ſtatuitur, ſed etiam ſatisfactio pro peccatis & meritum vitæ æternæ illi tribuitur. Bellarminus quidem lib. II. de monach. c. VI. impudenter negat, *ullum catholicum docuiſſe, quod vota monaſtica,* inter quæ eſt votum cœlibatus, *mereantur remiſſionem peccatorum,* atque hoc nomine Melanchthoni id adſerenti *mendacium* tribuit. Sed contrarium ex doctrina & praxi pontificiorum facile demonſtrari poteſt. Quidam enim ex ſcholaſticis diſputant, *quod opera etiam minima, ut ſtare, ſedere, comedere, bibere &c. quæ in cœlibatu fiunt a monaſticis perſonis, ſint Deo acceptiora, quam opera maxima primæ & ſecundæ tabulæ, quæ a coniugatis fiunt.* Bernhardinus in Roſario ſcribit, *virginitatem ſervare ab interitu damnationis æternæ, & in eius figuram præcepiſſe Deum,* Num. XXXI. 17. Iud. XXI. 11. mulieres, quæ cognoverunt viros, interficite, virgines autem reſervate. Item: *monachos ac moniales in ſuis ſubſtantialibus votis, inter quæ eſt perpetuus cœlibatus, non tantum pro ſuis verum etiam ſanctorum & aliorum fundatorum peccatis ſatisfacere.* Inde in hymno de virginibus canunt: *Huius obtentu Deus alme noſtris parce iam culpis, vitium remittens.* Marullus dicit: *Moſen, quia coniux fuit, non potuiſſe ingredi terram promiſſionis. Ioſuæ vero propterea, quia cœlebs fuit, hoc fuiſſe datum.* In eodem Bernhardini Roſario ex Thoma adlegatur hæc ſententia: *Religioſus tantum facit donum Deo in ſua profeſſione,* (quæ complectitur etiam votum perpetui cœlibatus) *quod per id conſequitur plenariam indulgentiam omnium ſuorum peccatorum a pœna & culpa.* Et addit Bernhardinus: *Quando religioſus recordatur ſe feciſſe promiſſionem, & de hoc eſt contentus, & de novo eam faceret, ſi non feciſſet, qualibet vice conſequitur indulgentiam plenariam omnium peccatorum.* Albertus Piggius in contr. cap. XIV. de votis: *Monaſtice adſumitur a profitentibus, quia creditur valere ad ſatisfaciendum pro peccatis, utque per eam impetremus divinam gratiam.* Item: *Monachi caſtrant ſe propter regnum Dei adſequendum & gratiam Dei erga nos promerendam.* Unde verſus:

Inclytæ

Inclyta virginitas cœlos quæ dote meveris,
Cum thalamis Christi consocianda places.

Iohannes a Daventria in harm. Aug. conf. f. 514. *Si hæc docuerunt monachi, se hoc vitæ genere mereri remissionem peccatorum & iustificationem coram Deo, sed amplius etiam, certe nihil falsi docuerunt &c.* Catechismus Romanus p. 552. *Unicuique in sacris literis suaderi virginitatem, ut quæ matrimonii statu præstantior sit, maioremque in se perfectionem & sanctitatem contineat.* Petrus a Soto in conf. cathol. cap. de votis: *Vota monastices ideo æquivalere baptismo, quia sint magna satisfactio pro peccatis, unde quandoque & quidem frequentius plena omnium peccatorum satisfactio esse possint, quod ad immunitatem a pœna futuri seculi pertinet.* Bellarminus ipse statuit, *religiosos posse alios participes facere suorum operum, professionem monasticam tollere pœnam sicut baptismus, licet non simul culpam, suscipienti monachatum remitti omnia peccata,* quod probat ex visione Antonii &c. Libr. II. de monach. c. IX. disputat, *continentiam esse vere meritoriam gloriæ singularis in vita æterna.* Communiter omnes pontificii statuunt, *cœlibatum pertinere ad opera supererogationis, cum plus præstet, quam lex divina in genere ab omnibus requirit, coniugium esse statum imperfectionis, cœlibatum vero perfectionis, ob quam perfectionem monachi & moniales cœlibes sua merita & opera supererogationis interventu pecuniæ aliis, qui sunt in statu imperfectionis, communicant & adplicant.* Tribuunt virginibus *distinctas in cœlo cellulas & aureolas*, pro diversis scilicet meritorum gradibus. Quæ pro stabilienda hac sua adsertione proferunt, pleraque iam ante tom. VI. locorum in tract. de evangelio sunt exposita. 1.) Esai. LVI. 4. *Eunuchis dabo nomen melius.* Responsionem pete ex §. 93. 2.) Matth. XIX. 19. *Sunt eunuchi, qui se castrant propter regnum cœlorum*, vide §. 96. 3.) Apoc. XIV. 4. *Virgines sequuntur agnum, quocunque ierit*, vide §§. 101. & confer August. hom. IX. in Apoc. & Hoë lib. IV. in Apoc. cap. XIV. pag. 452. Restant explicanda duo scripturæ dicta, quæ prioribus in hac quæstione coniungunt. *Prius* est Siracidis XXVI. 20. *Non est ponderatio digna animæ continentis.* Resp. ipse Barradius, scriptor pontificius, agnoscit, de continentia matrimoniali Siraciden loqui, lib. III. comment. in evang. Concord. lib. VIII. cap. XV. id quod ex toto contextu manifestum. In præcedentibus dicitur v. 16. *Gratia mulieris delectabit virum eius.* v. 17. *Donum Domini mulier tacita & prudens.* v. 18. *Gratia super gratiam mulier timorata & fidelis.* Postea additur v. 20. *Non est pondus omne dignum continentis animæ suæ;* ubi relativum *αὐτῆς* manifeste probat, de muliere viro adiuncta sermonem esse. In sequentibus subiicitur v. 21. *Sol oriens in altissimis Domini & pulchritudo mulieris bonæ in ornamento domus eius.* Ergo loquitur de proba ac pudica matrefamilias. Neque est, quod urgeatur vocabulum ἐγκρατιὲς, esse enim in piorum coniugio castitatem & ἐγκράτειαν, ostendimus suo loco & manifestum illud est 1 Tim. III. 2. & 3. *Posterius* dictum est Pauli 1 Cor. VII. 32. *Qui sine uxore est, solicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo.* v. 34. *Innupta cogitat, quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu.* Resp. 1.) Spiritus sanctus etiam a coniugibus requirit, ut curent, quæ sunt Domini, & sint sancti corpore & spiritu, Rom. XII. 1. 1 Cor. VI. 19. 20. 2 Cor. VII. 1. 1 Tim. II. 15. ac in coniugio etiam pietatem ac curam divinorum, sanctitatem, castitatem, pudicitiam locorum habere evidenter testatur. 2.) Exempla Abrahæ, Saræ, Isaaci ac Rebeccæ, Zachariæ & Elisabethæ &c. comprobant, pios coniuges curare quæ sunt

Domini. 3.) Verba igitur apostoli non sunt accipienda *exclusive*, quasi scilicet coniuges non possint curare, quæ sunt Domini, & corporis atque spiritus sanctitatem tueri; fieri enim potest, ut coniugatus minus implicetur negotiis secularibus, & minus curet ea, quæ sunt mundi, quam cœlebs, si scilicet illi pia uxor ac sedula materfamilias contingat, quæ curam rei familiaris sustinet, ut maritus eo liberius & & expeditius ministerio ecclesiastico vacet. Negari certe nequit, uxorem ipsius Dei ore vocari mariti *adiutorium*, non tantum in liberorum procreatione, in pia eorumdem educatione, in rei familiaris administratione, sed etiam in Dei invocatione & aliis pietatis exercitiis. Proinde sicut cœlebs potest *nubere in Domino*; 1 Cor. VII. 39. ita potest coniunx placere marito, & vicissim maritus uxori in Domino, si nimirum uterque pius sit, & Deo placere studeat. Quando enim voluntas coniugis divinæ voluntati sese unice adcommodat, tum evenit, ut, qui coniugi placere studet, ipsi etiam Domino placeat. Huc adferri possunt illustrationis gratia distincta apostoli præcepta, in quibus tum prohibet, tum præcipit, ut alteri placere studeamus, sed diverso respectu. *Prioris* generis hæc sunt: Gal. I. 10. *Si hominibus placerem, servus Christi non essem.* Eph. VI. 6. *Servi obedite dominis, non tanquam hominibus placentes.* 1 Thess. II. 4. *Non loquimur tanquam hominibus placentes.* Hæc omnia intelligenda sunt de tali ἀνθρωποαρεσκείᾳ ac hominibus complacendi studio, quod coniunctum est cum transgressione ac neglectu voluntatis divinæ, si scilicet quis *magis* curat hominibus quam Deo placere. *Posterioris* generis hæc sunt: Rom. XV. 2. *Quilibet proximo suo placeat in bonum.* 1 Cor. X. 33. de se ipso pronunciat apostolus: *Per omnia omnibus placeo*; hæc intelliguntur de tali complacentia, quæ est in Domino, non contra Dominum. Pari modo res se habet in coniugio: Si maritus studet uxori, & vicissim uxor marito placere in Domino, hoc est, quatenus & quamdiu voluntas eius congruit cum divina voluntate, illud tantum abest, ut sit pietatis impedimentum, ut potius sit opus bonum ac Deo gratum, si ex fide & dilectione proficiscatur. Refero huc egregium locum ex Claudio, Espensæo episcopo comm. in Tit. II. *Quod apostolus dicit, innuptam cogitare, quæ sint Dei, ut sit sancta corpore & spiritu, non sic accipiendum est, ut putemus non esse sanctam corpore christianam coniugem castam, omnibus quippe fidelibus dicitur, eorum corpora esse membra Christi, Dei vivi & Spiritus sancti templa.* 4.) Quinimo incendia & flammæ libidinum in illis, qui continentiæ dono instructi non sunt, curam divinorum impediunt, corpus & spiritum coinquinant, & conscientiam a Deo avellunt, ac viduas quasdam curare, non quæ Domini sunt, sed quæ sunt mundi, *ac viventes esse mortuas*, disertis verbis pronunciat apostolus 1 Tim. V. 6. Unde non immerito aliquis pronunciaverit, esse tolerabilius ἥττημα, *placere uxori, quam incendio concupiscentiæ uri*; nemo enim ignorat, quam illa cura placendi coniugi suæ decrescat & imminuatur educatione liberorum, rei familiaris administratione, cura officii publici & mutuo crucis sensu. 5.) Absit igitur, ut verba apostoli hoc sensu accipere velimus, quod vel omnes vel soli cœlibes curent, quæ sunt Domini, ac sint sancti corpore & spiritu. *Sunt plerique cœlibes* (scribit Cassander in consultat. art. XXIII. de cœlib. sacerd. p. 197.) *qui usque adeo cœlibatu suo ad ea, quæ Dei sunt, expeditius curanda non incitentur, sed etiam contra a curis huius seculi supra reliquos homines immergantur & obruantur.* Sed proponitur finis & scopus cœlibatus, ad quem scilicet respicere debent continentiæ dono instructi, in hoc vitæ statu eligendo, videlicet ut expeditius & liberius, quæ sunt Domini, curare possint, indivulse ac minore

nore cum distractione Deo adhærere ac sanctificationem sectari. Cœlibibus enim pauciora obiiciuntur impedimenta in curandis iis, quæ sunt Domini, quam coniugatis. 6.) Cumprimis vero respicit apostolus ad coniugia imparia, inter maritum fidelem & uxorem infidelem, vel inter uxorem fidelem & maritum infidelem, in quibus multa impedimenta pietatis exercitiis obiici solent. 7.) Qui disputant, in coniugio quæri delitias carnis, expendant esse hunc abusum coniugii, cum contra pii exemplo Tobiæ orent, Tob. VIII. 9. *Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem uxorem, sed sola posteritatis dilectione;* expendant etiam coniugalem castitatem esse donum Dei, 1 Cor. VII. 7. (quo sensu dictum illud apostolicum a plerisque accipitur) & in ipso coniugio carnis concupiscentiam esse frenandam, ne ruat in delicta contra divinam legem & in coniugio cuiusque *vas possidendum in sanctificatione & honore, non in παθει concupiscentiæ;* 1 Thess. IV. 4. & 5. expendant, apostolum potius *tribulationem carnis* quam delitias carnis coniugibus tribuere; 1 Cor. VII. 28. expendant, coniugium esse scholam crucis, patientiæ, invocationis & aliarum christianarum virtutum; expendant æstus libidinis per cœlibatum non exstingui, sed honestate nuptiarum excusari.

§. CCCCXCIV. *Tertia propositio: Cœlibatus non nisi in personis idoneis probandus & laudandus est.* Idoneas personas intelligimus eas, quæ dono continentiæ sunt instructæ, nec sentiunt interiores ustiones & flammas. Probatur hæc propositio: 1.) Ex *adsertione Christi* Matth. XIX. 11. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Dixerant apostoli: *Si tale est negotium hominis cum uxore, non expedit nubere;* illis Christus eo modo respondet, ut non neget, posse extra coniugium commodius & minori cum molestia & distractione vitam transigi, sed simul innuit, non esse omnes ad cœlibatum ideoneos, nec omnibus esse datum, ut caste extra coniugium vivere possint. 2.) Ex *disputatione apostoli* 1 Cor. VII. ubi diserte docet, non posse indiscriminatim quibusvis cœlibatum præscribi vel suaderi, sed ad diversitatem personarum, donorum & vocationum hic esse respiciendum. v. 1. dicit: *Bonum est, homini mulierem non tangere.* Sed statim addit v. 2. *Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam, & quælibet virum suum;* ostendit igitur ob fornicationis periculum quibusdam magis convenire coniugium quam cœlibatum. Origenes hom. XI. in Exod. *Bonum est homini, mulierem non tangere, salvo tamen remedio his, qui pro infirmitate sua remedio indigent nuptiali.* v. 7. inquit: *Volo omnes homines esse, sicut ego sum;* sed statim subiicit: *Veruntamen unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius sic, alius vero sic.* Docet igitur quemlibet debere ad mensuram doni divinitus sibi concessi in eligendo cœlibatu respicere, nec maiora viribus suis adgredi. v. 8. dicit: *Bonum esse non nuptis ac viduis, si in illo vitæ statu permaneant;* sed statim addit v. 9. *Quod si non se continent, nubant, melius est enim nubere quam uri;* statuit igitur illis, qui urunturtur, ut se continere non possint, melius esse in coniugio, quam extra illud vivere. 3.) Ex *determinatione temporis & ætatis.* 1 Tim. V. 9. sexaginta annorum ætatem requirit apostolus in vidua ad ecclesiæ ministeria eligenda; sed de *iunioribus* dicit v. 14. quod debeant nubere, filios procreare, domus regere; ostendit igitur iunioribus non debere vel præcipi vel suaderi cœlibatum, nisi dono continentiæ instructæ sunt, qua de re in sequenti quæstione plura dicemus.

III.) *Cœlibatus non nisi in personis ideoneis probandus.*

§. CCCCXCV. Opponenda est hæc propositio pontificiis, qui 1.) omnibus ecclesiæ ministris in maioribus ordinibus constitutis cœlibatus iugum imponunt; cum

tamen ipsis non constet, an continentiæ dono omnes instructi sint, imo experientiæ testimonio manifeste probetur, multos ex illis hoc continentiæ dono non esse instructos, de quo in tract. de minist. eccles. cap. VII. sect. II. latissime fuit disputatum. 2.) Votum perpetui cœlibatus suscipiunt ab illis personis, quæ nondum satis exploraverunt suorum donorum mensuram, nec certo sibi polliceri habent, quod caste extra coniugium vivere, & in corporis ac spiritus sanctitate ab ustionibus liberi perseverare possint; unde multis iniiciuntur tales laquei, quibus per carnis & spiritus inquinamenta demerguntur in perditionem & interitum, ut recte dixerit quidam ex ipsis pontificiis, *multos potuisse salvari in coniugio, qui damnantur in cœlibatu.* Quin & personas iuvenculas, quæ incaute & improvide cœlibatum perpetuum voverunt, collocant in eum vitæ statum, in quo viget otium, abundantia, saturitas panis, ex quibus radicibus qui fructus oriantur, experientia clamat. 3.) Statuunt, quosvis ad cœlibatum & virginalem continentiam idoneos esse, modo velint, ac continentiæ donum a Deo omnibus petentibus dari. Concilium Trident. sess. VIII. can. 9. *Si quis dixerit, posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit, cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.*

IV.) *Cœlibatus non est laudandus cum contumelia coniugii.*

§. CCCCXCVI. *Quarta* propositio: *Cœlibatus non est laudandus cum contumelia coniugii.* De veritate huius propositionis nemo dubitare potest, qui coniugium esse statum ab ipso Deo institutum, in quo castitas & sanctificatio non minus, quam in cœlibatu locum habet, ex animo credit, quia contumelia coniugio illata in Deum ipsum, utpote coniugii auctorem redundat. Deus est, qui adhuc hodie matrimonii vinculo homines *coniungit*, Matth. XIX. 6. qui nuptias adhuc conciliat, Prov. XIX. 14. qui mutuum sponsi & sponsæ amorem excitat, Eph. V. 25. qui sobolem coniugibus largitur; Psalm. CXXVII. 3. quod si coniugio tribuitur immundities ac pollutio, Deus pollutionis & immunditiei auctor ac fautor statuitur. Nequaquam igitur hoc sensu ac respectu cœlibatus coniugio præferendus est, quasi in solo cœlibatu sit castitas, pudicitia, munditia & sanctimonia, cum hæc omnia Spiritus sanctus etiam piis coniugibus tribuat, 1 Thess. IV. 3. 1 Tim. II. 15. Tit. II. 4. Heb. XIII. 4. 1 Petr. III. 2. ac proinde in utroque vitæ statu castitatem ac sanctitatem locum habere posse evidenter doceat, id quod etiam piis piorum veterum dictis comprobari potest. Ignatius in epist. VI. ad Philadelph. p. 35. ἐὰν τὶς φθορὰν καὶ μολυσμὸν καλῇ τὸν νόμιμον μίξιν καὶ τὸν τῶν παίδων γένεσιν, ὁ τοιοῦτος ἔνοικον ἔχει τὸν δράκοντα ἀποστάτην. Clemens Alexandrinus libr. III. stromat. *Quemadmodum ea, quæ non nupsit, solicita est de iis, quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu, ita etiam, quæ nupsit, & de iis, quæ sunt mariti, & quæ sunt Domini, in Domino est solicita, ut sit sancta corpore & spiritu.* Ibidem: *Apostoli legis cum evangelio servantes convenientiam, utrumque admittunt, & eum, qui gratias Deo agens moderate utitur matrimonio, & eum, qui vivit in castitate virginali.* Origenes libr. VIII. in epist. Rom. *Quoniam videmus nonnullos sanctorum, aliquos etiam sanctorum apostolorum habuisse coniugia, non usque quaque possumus de sola virginitate sancire. Puto, quod neque illi, qui in coniugiis positi sunt, & ex consensu vacant orationi, si in cæteris sancte agant & iuste, negandi sunt corpora sua exhibere hostiam viventem sanctam, placentem Deo, nec rursum corpora virginum vel continentium, si vel superbiæ macula vel mendacii immunditia pol-*

polluantur, hostiam sanctam Deoque placentem putanda sunt ex sola virginitate corporis detulisse. Concilium Gangrense can. IX. *Si quis vel virginitatem vel continentiam professus tanquam abominabiles nuptias iudicat, & non propter hoc solum quod continentiæ & virginitatis bonum sanctum propositum est, anathema sit.* Græca verba exstant apud Eusebium: εἴ τις τὸν γάμον μέμφοιτο καὶ τλὼ καθευδέσαν μετὰ τῆ ἀνδρὸς αὐτῆς ἔσαν πιςὴν καὶ ἐυλαβῆ βδελύσσοιτο, ἢ μέμφοιτο ὡς ἂν μὴ δυναμένην εἰς βασιλείαν εἰσελθεῖν, ἀνάθεμα ἔςω. Epiphanius libr. II. tom. I. hæres. 48. contra Montanistas: ἡ ἁγία ἐκκλησία καὶ παρθενίαν δοξάζει, καὶ μονότητα καὶ ἁγνείαν καὶ χηροσύνην ἐπαινεῖ, καὶ γάμον σεμνὸν τιμᾷ καὶ δέχεται. *Sancta ecclesia & virginitatem celebrat, & castitatem & viduitatem laudat, & nuptias pudicas honorat ac suscipit.* Exstat Athanasii exhortatio ad eremitas circa Alexandriam, qui contendebant, *tantum in cœlibatu esse castitatem.* Chrysostomus homil. XX. in Matth. *Primus gradus castitatis est sincera virginitas, secundus fidele coniugium, ergo species secunda virginitatis est matrimonii casta dilectio.* Hom. IV. de verb. Esai. *Christus ex virgine quidem natus est, verum ad nuptias accessit ac donum adtulit, virginitatem quidem nuptias honorans, dono id, quod fiebat, commendans.* Nazianzenus orat. in funer. soror. *Neutrum horum sive virginitas sive nuptiæ, vel Deo penitus vel mundo coniungit, rursusque dissolvit, ita ut hæ penitus sint fugiendæ, illa nimium laudanda.* Hieronymus in 1 Tim. IV. *Omnis, qui nuptias damnat, non amator, sed inimicus est castitatis, dum & continentibus laudem tollit, & incontinentibus sublato nuptiarum remedio fornicationis facit inire discrimen.* Ambrosius lib. I. de viduis: *Docemur triplicem esse castitatis virtutem, unam coniugalem, aliam viduitatis, aliam virginitatis. Non aliam sic prædicamus, ut alias excludamus.* Augustinus de bon. coniug. cap. VIII. *Coniugium non sic dicimus bonum, ut in comparatione fornicationis sit bonum, alioquin duo mala erunt, quorum alterum peius, aut bonum erit & fornicatio, quia est peius adulterium, sed duo bona sunt connubium & continentia, quorum alterum est melius.* Cap. XI. *quod apostolus dicit:* Quæ innupta est, cogitat ea, quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu; *non sic accipiendum est, ut putemus non esse sanctam corpore christianam coniugem castam, omnibus quippe fidelibus dictum est:* Nescitis quoniam corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo; *sancta sunt etiam corpora coniugatorum fidem sibi & Domino servantium.* Fulgentius libr. II. ad Gal. V. *Sancta sunt Christianorum coniugia, quia & coniugalis ibi castitas custoditur in corpore, & puritas fidei servatur in corde.*

§. CCCCXCVII. Opponenda est hæc propositio: I.) *erroribus veterum hæreticorum,* qui continentiam cœlibum ita extollunt, ut in coniugio castitatem Deo placentem esse non agnoscant. Tatianus, discipulus Iustini martyris, continentiæ prætextu nuptias fugillabat. Libro enim de castitate inscripsit titulum *de perfectione secundum servatorem,* sicut Clemens libr. III. stromat. recitat, propterea quod *in veteri lege populo concessum fuerit matrimonium, evangelium vero excellentiorem doceat perfectionem.* Ideo sectatores eius se vocabant *Encratitas,* quasi soli præcepta evangelii de castitate & sanctimonia servarent. Montanus docebat, *in infirmis tolerari primas nuptias, licet non careant vitio, perfectius autem esse, etiam illas vel caveri vel solvi.* Plura huiusmodi ex veteribus hæreticis adduximus superius cap. IV. sect. I. §. 51. quibus omnibus opponimus aureolum illud Clementis Alexandrini lib. III. strom. πορνεία καὶ γάμ@- χω-

χώρι-

χώρισαι, ἐπεὶ μάχραν ἀφέστηκε τοῦ Θεοῦ διάβολος. *Tantum distant coniugium & scortatio, quantum Deus & diabolus.* II.) *Incommodis Tertulliani & Hieronymi dictis*, in quibus coniugii dignitatem & diuinam institutionem non satis æstimantes non tantum tenuiter, sed etiam contumeliose de coniugio loquuntur. Tertullianus libr. I. ad uxorem c. III. p. 171. „Quale quæso „hoc bonum est, quod mali comparatio „commendat, ut ideo melius sit nubere „quam uri, quia deterius est uri. At enim „quanto melius est, neque nubere, neque „uri. Possum dicere, quod permittitur, „non est bonum. Quod permittitur, su„spectam habet permissionis suæ causam, „quod necessitas præstat, depretiat ipsa. „Non ideo quid bonum est, quia malum „non est. *Cap. IV.* Carnem legimus in„firmam, & hinc nobis adulamur impen„sius, legimus tamen & spiritum firmum „&c. Duæ species humanæ imbecillitatis „nuptias necessarias faciunt. Prima qui„dem potentissima, quæ venit de concu„piscentia carnis, sequens de concupiscen„tia seculi, sed utraque repudianda est a „servis Dei, qui & luxuriæ & ambitioni „renunciamus.„ Idem lib. de exhort. cast. cap. III. p. 564. tractans verba apostoli; „Melius est nubere quam uri, *addit:* Qui „nubendi licentiam amplectuntur, velim „retractare, quale bonum ostendat aposto„lus, quod melius est pœna, quod non pot„est videri bonum, nisi pessimo compara„tum, ut ideo bonum sit nubere, quia de„terius est ardere? bonum ita est, si per „se hoc nomen obtinet sine comparatione, „non dico, mali, sed etiam boni alterius, „cæterum si per mali collationem cogitur „dici, non tam bonum est, quam genus „mali inferioris, quod a superiore malo „obscuratum ad boni nomen impellitur. „Melius esse nubere quam uri, sic accipien„dum est, ac si melius uno oculo quam „duobus carere. Si tamen a comparatio„ne discedas, non erit melius unum ocu„lum non habere, quam & bonum. *Cap. IX. p.* 567. Legis videtur matrimonii „& stupri differentia, alioquin res & viris „& fœminis eadem imponit, est enim & „matrimonium & stuprum commixtio car„nis. Ergone, inquis, jam & primas, id „est, unas nuptias destruis? Nec immeri„to, quoniam & ipsæ ex ec constant, quod „est stuprum, & ideo optimum est homi„ni mulierem non tangere, quia cara est „stupri adfinitate.„ Hieronymus libr. I. adv. Iovin. contumeliosa illa Tertulliani adversus coniugium dicta fere ad verbum repetit; unde ipse Erasmus in illo scripto Hieronymi desiderat *modestiam & maiora scripturæ pondera.* Idem in scripto adv. Piggium de virginit. sic loquitur: *Hieronymus fervido quodam adfectu ita interdum rapiebatur in admirationem virginitatis, ut piis etiam viris videretur lædere matrimonium, sit hoc vanum, nisi in Hieronymi scriptis inveniantur ea verba, quæ sunt apud Tertullianum eo nomine damnata.* In adnot. Tit. II. p. 487. *Hieronymus, quidquid potest ad virginitatem torquet, cui favet non sine suspicione, nec sine calumnia.* Ludovicus Vivovicus in comm. libr. XVI. de civ. Dei c. XXXIV. *Hieronymus non modo secundas nuptias abominatur, sed primas etiam parum probat contra Iovinianum, disputans homo cælebs & coniugio parum æquus.* B. Rhenanus in arg. libr. Tertull. exhort. ad cast. *Veteres omnes atque adeo Hieronymus ipse matrimonio parum æqui fuere.* Neve Erasmi, Vivis ac Rhenani iudicium pontificiis sit suspectum, addendum est illud Ios. Acostæ iesuitæ lib. de Christo revelato cap. XX. *Hieronymus videtur aliquanto iniquior matrimonio.* Verissimum hoc esse, ex ipsis Hieronymi verbis & argumentis manifeste adparet; hæc enim omnia occurrunt apud Hieronymum: *Si bonum est, mulierem non tangere, ergo malum est tangere, nihil enim bono contrarium, nisi malum. Si autem malum est, & ignoscitur,*

scitur, ideo conceditur, ne quid deterius fiat. Exponens illam sententiam apostoli; ut vacetis orationi; *Oro te*, inquit, *quale illud bonum est, quod orare prohibet, quod corpus Domini accipi non permittit?* Item: *Sicut Paulus secundum veniam loquitur de nuptiis, ita etiam de illo, qui incestum commiserat, inquit, si quid donastis & ego.* Exponens illud apostoli: Ego vobis parco; sic παραφράζει. *Tantum recenseo tribulationem carnis, taceo autem, quæ damnatio maneat coniugatos in futura vita, ut infirmis parcam, qui iam sunt in matrimonio.* Contra Helvid. scribit: *Non negamus maritatas sanctas mulieres inveniri, sed quæ uxores esse desierint.* Lib. V. comm. in Ierem. *Si propter angustiam temporis habentibus usus uxorum tollitur, quanto magis non habentibus, ne accipiant, imperatur?* Exponens illud Christi Matth. XXIV. Væ prægnantibus. *Non hic scorta damnantur*, (inquit) *sed utero tumescentes, infantum vagitus, fructus atque opera nuptiarum.* Tractans locum Rom. VI. finis eorum mors; subiungit: *Puto quod & nuptiarum finis mors sit, fructus autem sanctificationis, qui vel ad virginitatem vel ad continentiam pertinet, vita pensatur æterna.* Locum 1 Tim. II. sic depravat: *Tunc salvabitur mulier, si tales genuerit liberos, qui virgines permansuri sunt, si quod ipsa perdidit, recuperat in liberis.* Ex loco 1 Petr. III. *Ne impediantur orationes vestræ*; infert, *quia semper orandum, nunquam matrimonio utendum.* Loca omnia quæ de carne & spiritu, de renovatione hominis interioris, de sanctificatione & emundatione loquuntur, contra coniugium torquet, ac sæpius hoc repetit: *Nuptiæ terram implent, virginitas paradisum.* Plura huiusmodi ex Tertulliano & Hieronymo adduximus superius cap. VIII. §. 432. Basilius in proœm. const. ascet. *Nuptiæ pedicæ sunt.* Eodem fere tempore Ambrosius contra Iovinianum itidem disputans, & (quod in plerisque controversiis fieri Basilius scribit) odio partium in partem alteram nimium deflectens de meritis cœlibatus cœpit concionari magnificentius, quam evangelium & honor Christo debitus permittit, ac semina sparsit illius opinionis, quod *virginitas ideo præferenda sit coniugio, quia est meritum remissionis peccatorum, salutis ac vitæ æternæ*, quin & adulterium pronunciavit nuptias post votum a cælibe contractas. In has turbas incidit Augustinus, ac sicut epist. CXIX. scribit, quod *multas præsumtiones propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala vitanda liberius improbare non audeat*, ita ne vehemens Hieronymi ingenium velut Entellis Dares provocaret, dissimulato nomine Tertulliani & Hieronymi depravationes & Ambrosii hyperbolas modeste refutavit; nam in libr. de bono coniugali ostendit, *virginitatem non esse laudandam cum contumelia coniugii, coniugium non dici bonum respectu fornicationis, in coniugio etiam esse corporis & animi sanctitatem.* In lib. de bono viduitatis *argumenta de dissolvendis nuptiis post votum contractis examinat* ac talia coniugia non esse dirimenda ostendit. In libro de S. virginit. improbat illam hypothesin, quod *virginitas sit meritum iustitiæ ac vitæ æternæ. Etiam vos virgines*, ait cap. XL. *gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Etiam virginibus orandum est*, inquit cap. XLVIII. *Dimitte nobis debita nostra. Etiam ad virgines pertinet*, inquit cap. XLIX. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus.* Sed posteri, ut recte conqueritur Chemnitius, relicta Augustini modestia hyperbolas Hieronymi & Ambrosii de meritis virginitatis plurimum auxerunt, non sine contumelia coniugii & labefactione articuli de gratuita peccatorum remissione propter Christum, quin & multa supposititia sub veterum nomine sparse-

runt, qualis est epistola ad Demetriadem virginem, quæ Ambrosii & Hieronymi titulo circumfertur, cum sit Pelagii hæretici, ac confutetur ab Augustino ut Pelagiana lib. de gratia Christi c. XXII. XXVII. XXXVII. XXXVIII. & XL. quod ipsum agnoscunt Gregorius de Arimino libr. II. sent. dist. 26. q. 1. art. 3. & Bellarminus in catal. script. eccles. in nomine *Hieronymi*.

§. CCCCXCVIII. III.) Pontificiis, qui & ipsi virginitatem cum contumelia coniugii laudant: 1.) dum dicta scripturæ, quæ de spirituali virginitate & desponsatione cum Christo loquuntur, ad solos cœlibes adcommodant, & fideles coniugatos ab illis excludunt, Esai. LXI. 10. Ose. II. 19. Matth. XXV. 1. 2 Cor. XI. 2. Apoc. XIV. 4. &c. quidam totum Canticum Canticorum ad cœlibes ac virgines tanquam Christi sponsas unice referunt, cum tamen de tota Christi ecclesia & quavis fideli anima loquatur, nullo cœlibatus vel coniugii habito respectu. 2.) Dum dicta scripturæ, quæ de immunditie & contaminatione loquuntur, coniugio adplicant. Hugo virginibus in comparatione coniugum adplicat illud Sap. III. 13. *Felix sterilis & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum*; cum tamen hæc sententia opponatur illegitimis commixtionibus, ideoque non sine summa coniugii contumelia ad coniuges adcommodetur. Siricius & Innocentius ecclesiæ ministris ideo interdicunt coniugio, quia, *qui in carne sunt, Deo placere non possunt, quia scriptum est, omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum.* Bellarminus libr. I. de clericis c. XIX. cœlibatum sacerdotum stabilire conatur ex eo, quod 1 Sam. XXI. 4. *Abimelech sacerdos noluit Davidi panes propositionis comedendos dare, nisi prius intellexisset, eum ab uxore aliquandiu se continuisse*; cogitur igitur ex contrario sensu statuere, congressum cum uxore esse immunditiem, quia Abimelech sic informat quæstionem: *An pueri sint mundi a mulieribus?* Atqui nullibi in tota lege mosaica congressus coniugalis recensetur inter immundities, propter quas a sacris erat abstinendum. Variæ rationes contaminationis a mulieribus traduntur in lege Mosis, utpote in puerperio, in menstruis, in fluxu sanguinis; sed de usu coniugii nuspiam dicitur, quod talem contaminationem adtulerit, quæ coniugatos a rebus divinis arceat. Ac si vel maxime legalem aliquam immunditiem usus coniugalis in vet. test. induxisset, quod in æternum probari nequit, nequaquam tamen ex eo inferri posset, rem esse coram Deo impuram & immundam, ac in ministris ecclesiæ minime tolerandam; quia etiam contactus mortui contaminabat iuxta legem, & tamen officium curandi funera inter sacros ordines a quibusdam veteribus refertur. 3.) *Dum* sacerdotem *gravius peccare dicunt, si uxorem ducat, quam si scortetur* Campeius, Piggius, Eccius, Hosius & Costerus vid. loc. de minist. §. 347. 4.) Dum ad sacros ordines *digamum*, hoc est, eum qui successive duas uxores habuit, non admittunt, interim scortatoribus & adulteris aditum ad illos patefaciunt. Bellarminus lib. I. de cleric. cap. XXIV. scribere non veretur, *prohiberi quidem in episcopo etiam concubinatum & adulteria, sed tamen magis prohiberi bigamiam, quam ista in deligendo episcopo.* Vid. loc. de minist. §. 359. 5.) Dum absolute ac simpliciter pronunciant, cœlibes curare ea, quæ sunt Domini, maritum curare quæ sunt mundi, & propterea ministros ecclesiæ a coniugio arcent, quia in coniugio non possint curare commode ea, quæ sunt Dei. Ostendimus autem paulo superius §. 492. verba apostoli 1 Cor. VII. 32. non esse accipienda *exclusive*, quasi solus cœlebs curet ea, quæ sunt Domini, & maritus curet tantum, quæ sunt uxoris, sed *comparate*; loquitur enim de illis, quæ utplurimum acci-

cidunt, in coniugiis scilicet imparibus, qualia tunc pleraque erant, ubi maritus christianus habebat ethnicam aut Iudaicam uxorem, & uxor christiana ethnicum vel Iudaicum maritum, ibi sane ob studium pacis & tranquillitatis domesticæ multa cogebantur pii coniuges dissimulare, quæ alias in cœlibatu & in coniugio christiano non opus erat tolerare. Esse autem coniugium in se ac per se ac semper vel pietatis vel ministerii ecclesiastici impedimentum, diserte nobiscum negant pii veteres. Clemens lib. III. stromat. *Quæ nupsit*, (si sit pia) *& de his, quæ sunt mariti, & quæ sunt Domini, potest esse solicita in Domino.* Nazianzenus in orat. de fun. sororis: „Carni conglutinari nequaquam sepa„rat a spiritu, neque si quæ caput habet „virum, ideo caput primum ignorat, sed „parumper mundo ministrat & naturæ, „quantum exigit lex carnis, seu illi potiùs, „qui carni hanc legem tulit, Deo.„ Chrysostomus in sermon. de evang. *Nuptiæ factæ sunt* tom. V. „Ne excuses te propter „nuptias, Dominus nuptiis interfuit, & „tu nuptias arguis ac dicis, nuptias ad pie„tatem obstaculum esse? nullum enim ad „pietatem est obstaculum. *Ibidem*: Vis „cognoscere, quod nihil nocet habere uxo„rem & liberos. Moses nonne uxorem „habuit & liberos? Elias nonne virgo erat? „nonne Moses manna e cœlo deduxit? „nonne Moses coturnices advolare fecit? „nonne Elias verbo cœlum clausit? nonne „Mosi Deus locutus est, nonne & cum „Elia conversatus est? an nocuit huic vir„ginitas, an illi impedimento fuerunt uxor „& liberi &c. *In Matth. hom. LVI.* Pro„phetæ quidem omnes & uxores & domos „habebant, sicut Esaias & Ezechiel & exi„mius ille Moses, & nihil hinc virtuti eo„rum fuit impedimento. *In Rom. VII.* „Non est vulgaris res coniugium bene se „habens, sed his, qui eo non utuntur, ut „oportet, innumerorum malorum sit mate„ria. Etenim qui iuxta congruas leges il„lud observat, domûm & uxorem suam ut „malorum omnium consolatricem ac libe„ratricem reperit, ita qui temere & vul„gariter hanc rem adgreditur, ingressus in „domum scopulos & petras videbit. *In „Rom. XVI.* Licet & ei, qui in matri„monio est, esse gloriosum. *In 1 Tim. III. „hom. X.* Licet eum, qui uxorem habet, „quasi non habentem esse, licet eam rem „honeste ac licite capere, si quis velit. „Quemadmodum enim divitiæ difficile in „regnum cœlorum introducunt, sæpe tamen id divites plurimi ingressi sunt; ita „& nuptiæ, licet difficultatis in se pluri„mum habeant, ita tamen adsumi possunt, „ut perfectiori vitæ impedimento non sint. „*In Heb. VII. hom. VII.* Si beatitudi„nes solis monachis dictæ sunt, secularem „autem hominem impossibile est eas im„plere, cum ipse nuptias iussit, ipse ergo „omnes perdidit. Si enim non potest ea „cum nuptiis, quæ monachorum sunt, im„plere, omnia perierunt & corrupta sunt, „& in angustum concluſit ea, quæ virtutis „sunt. Et quomodo honorabiles sunt nu„ptiæ & thorus immaculatus, si nos tan„topere impediunt? quid ergo? possibile „est & valde possibile etiam habentes uxo„res virtutem adgredi, si voluerimus, „quomodo? si habentes tanquam non ha„bentes simus, si non gaudeamus in his, „quæ possidemus, si mundo utamur, tan„quam non habentes. Si autem aliqui im„pediti sunt ex nuptiis, sciant, quoniam „non nuptiæ illis impedimentum fuerunt, „sed voluntas, quæ male utitur nuptiis. „Nam neque vinum facit ebrietatem, sed „mala voluntas & excessus moderationis. „Utere cum moderatione nuptiis, & pri„mus eris in regno, & omnibus frueris „bonis.„ Idem adv. vituperat. monast. vit. libr. III. *& monachos & seculares pariter ad supremum perfectionis fastigium per divinas leges cogi*, scribit. Sozomenus lib. I. cap. XI. Nicephorus libr. VIII. histor. cap. XLII. de Spiridone episcopo:

Rusticus cum esset, coniugemque in matrimonio haberet & liberos ex ea susceptos, non propterea τὰ θεῖα χείρων in rebus divinis deterior aliquo fuit. Idem Nicephorus lib. XI. histor. cap. XIX. de Gregorio Nysseno, Basilii fratre, scribit, quod *fuerit lux & ornamentum ecclesiæ Nyssenæ, vir doctrina, moribus & vitæ sanctitate spectatus, & quamvis coniugem habuerit, rebus tamen aliis fratri minime cesserit.* Baptista Mantuanus de Hilario uxorato canit:

Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor,
Legitimo coniuncta thoro. . . . . .

Cui nos succinimus hoc modo:

Sacrorum curæ coniux non obiicit ullum
Obstaculum, si sit pietatis sedula cultrix,
Adiutrix potius dicenda ex ore Iehovæ.

Hisce permoti quidam ex ipsis pontificiis hic nobis æquiores sunt. Claudius Espensæus comm. 1 Timoth. III. scribit: *Nuptiæ licet plurimum difficultatis habeant, sic tamen adsumi possunt, ut vitæ perfectiori impedimento non sint, raro licet & plane difficile id sit.* Bartholomæus Cassanæus in catal. glor. mundi part. III. consid. 41. refellit eos, qui *matrimonium homini in consequenda salute impedimento esse volunt*, ac laudat librum Augustini Dathi de connubiis sanctor. Cassander in consult. art. XXIII. de cœlib. sacerd. p. 197. „Res in plerisque sacerdotibus ita compa„ratæ sunt, ut coniugium piarum consor„tio non modo ad functiones ecclesiasticas „obeundas non impediantur, sed etiam ad „earum procurationem adiuventur ab eis, „quemadmodum de patre suo Gregorio & „matre Nonia Gregorius Nazianzenus te„statur.„ 6.) Dum illud Hieronymianum urgent & inculcant: *Nuptiæ replent terram, virginitas paradisum.* Abbas in c. cum olim x. de cler. coniug. Petrus Gregorius libr. XL. art. mirab. cap. XIV. *Iustum quidem est hominibus, dum mundus multiplicandus esset, ut crescerent & multiplicarentur, at nunc satis repleta terra convenit & cœlum repleri.* Atqui ut pii coniuges matrimonio recte utentes ac liberos in disciplina & admonitione Domini educantes, non solum terram, sed etiam ecclesiam, & consequenter cœlum implent, dum liberos per baptismum Christo offerunt, & ad pietatis studium sedulo informant; sic coactus, superstitiosus & impurus cœlibatus terram spuriis, & nisi pœnitentia sequatur, infernum hominibus damnatis replet. Pii patriarchæ, Abrahamus, Isaacus, Iacobus, Iosephus &c. non terram tantum, sed etiam cœlum in suo coniugio repleverunt, nec minus hodie cœlibes fide in Christum iustificari & salvari oportet, quam coniugatos vet. test. non enim cœlibatus vel coniugium iustificat, sed fides in Christum, quæ cœlum replet, & omnes vere pios unum in Christo facit, ut nec virginitas nec coniugium coram Deo ad iustificationem sit aliquid, sed fides per dilectionem efficax & nova in Christo creatura. „Nihilo magis„ (scribit Iustus Ionas in libr. qui continet defens. coniug. sacerd. contra Fabrum) „hodie tempore evangelii „Deo placet virginitas, quam tempore pa„trum placuit, nisi ipse suo Spiritu & vo„catione peculiari, ut in Ieremia & ali„quot aliis fecit, donum hoc tam rarum „& pretiosum excitet, nisi inquam ipse ad „virginitatem vocet.„ 7.) Dum cœlibes vocant sanctimoniales, religiosos, spirituales, coniugium contra vocant statum carnalem.

V.) *Coelibatus quatenus coniugio præferendus sit, ex propria huius doctrinae sede petendum.*

§. CCCCXCIX. *Quinta* propositio: „Cœlibatus quatenus coniugio præferendus „sit, non nostro definiendum „est arbitrio, sed ex scriptura sacra & quidem ex pro„pria huius doctrinæ sede de„ducendum.„ Neque enim nu-

dam thesin proposuit apostolus, quod *melius faciat*, qui non elocat virginem, quam qui eam matrimonio jungit 1 Cor. VII. 38. quodque *beatior sit* vidua, si sic permanserit v. 40. sed diserte ibidem theseos huius rationem & explicationem addidit, quo sensu ac respectu ὁ μὴ ἐγαμίζων melius faciat, ac quatenus beatior æstimanda sit vidua. Revocari autem possunt illæ rationes causam finalem cœlibatus continentes ad tria capita: I.) *Existimo*, inquit apostolus v. 26. *hoc esse* καλὸν, hoc est, σύμφερον, *benum* & conducibile, διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, *propter instantem* vel præsentem *necessitatem*; utroque enim modo verbum ἐνίστημι ac participium ἐνεστὼς usurpantur, de *re præsente*, Rom. VIII. 38. 1 Cor. III. 22. Galat. I. 4. Hebr. IX. 9. de *re proxime instante*. 2 Thess. II. 2. 2 Tim. III. 1. Per hanc ἐνεστῶσαν ἀνάγκην quidam intelligunt *necessitatem descendi ad coniugia imparia*, hoc est, cum infidelibus paganis vel Iudæis in tanta christianorum paucitate contrahenda; sed quia in tertio membro proprie de illa coniugiorum inæqualitate agitur, ideo per ἐνεστῶσαν ἀνάγκην rectius intelliguntur pericula persecutionum, quod in tanto Iudæorum & ethnicorum magistratuum contra evangelii doctrinam odio ac furore christianis eo tempore quotidie timendæ erant proscriptiones, direptiones facultatum, infamiæ, vincula & exsilia, adeoque omnis generis persecutiones, quam necessitatem vocat ἐνεστῶσαν, quia pericula illa persecutionum singulis horis, imo momentis, quasi imminebant christianorum cervicibus. In talibus publicis persecutionibus ac gravissimis temporibus coniugatis dolor duplicatur, quando scilicet non ipsi solum exsilii molestias sentire coguntur, sed etiam familiam, uxorem scilicet ac liberos circumducere, & adspicere suos spoliatos, miseros, infamia notatos, quæ cogitatio tempore persecutionis quosdam ex coniugatis facit remissiores & tepidiores in veritatis evangelicæ confessione. Hoc ergo sensu & respectu apostolus pronunciat, esse, καλὸν καὶ σύμφερον, esse ac manere ἄγαμον, hoc est, cœlibatum in personis idoneis, (id quod ex tertia propositione superius demonstrata semper addendum) esse expeditiorem & commodiorem ad ferenda exsilii onera & persecutionum molestias. Adferri huc possunt collationis gratia duo scripturæ dicta, in quibus cœlibatus commodum proponitur. Ierem. XVI. 2. dicit Dominus ad prophetam: *Non accipies uxorem, & non erunt tibi filii & filiæ in loco isto.* v. 3. subiungitur ratio: *Quia hæc dicit Dominus super filios & filias, qui generantur in loco isto, & super matres eorum, quæ genuerunt eos, & super patres eorum, de quorum stirpe sunt nati in terra hac:* v. 4. *Mortibus ægrotationum morientur, non plangentur & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt, & gladio & fame consumentur, & erit cadaver eorum in escam volatilibus cœli & bestiis terræ.* Ubi non absolute nec simpliciter matrimonium prophetæ dissuadetur, sed propter statum periculosissimorum temporum, quæ imminebant, videlicet propter instans bellum, exsilium, deductionem in captivitatem. Luc. XXIII. 29. *Ecce venient dies, in quibus dicent; Beatæ steriles & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt*, hoc est, tempore obsidionis & devastationis Hierosolymitanæ feliciores erunt cœlibes ac steriles, quia suum tantum tribulationis calicem bibunt, & non simul etiam coniugis & liberorum miseriis excruciantur. Quisquis igitur tempore persecutionis præsentis vel instantis dono continentiæ instructus cœlibatum hoc fine eligit, ut minori cum molestia persecutiones ferat, is recte facit, & suis rebus bene consulit: qui vero uxori jamdum adligatus est, vel continentiæ dono destituitur, is non debet propterea animum despondere, solutionem ab uxore quærendo, vel ustioni-

bus indulgendo, sed sit *tanquam non habens*, hoc est, non ita addictus sit uxori ac liberis, ut propterea confessionem in persecutione velit abiicere, sed sciat Deum sibi adfuturum, & sic confessio erit illustrior. II.) Bonum est manere cœlibem propter *maiorem vitæ tranquillitatem*. v. 28. *Si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis*, vel in carne, *habebunt huiusmodi, ego autem vobis parco.* Per θλίψιν intelligit apostolus multiplices calamitates & adversitates, quæ in coniugio solent obiici, quales sunt molestiæ ac dolores partus in uxore, sudores laboris in marito, utrique communis liberorum educatio, familiæ gubernatio, rei familiaris adquisitio & conservatio &c. ab illis omnibus cœlebs liber est, ac proinde maiore tranquillitate fruitur. De his coniugii incommodis graphice depingendis laborat Bernhardus tract. de pass. Domini cap. XXX. col. 1634. „Tria (*inquit*) sunt in„commoda in præsenti vita in coniugatis, „propter quæ vitanda virginalis castitas est „adpetenda. Præsentis vitæ incommoda „duo habemus ex maledictione, quæ infli„cta fuit primæ parenti nostræ Evæ post „transgressionem peccati, Eva enim dua„bus, Adam uni maledictioni subiacuit. „Maledictiones Evæ & per ipsam omnium „mulierum nuptarum duæ sunt in præsen„ti expressæ, scilicet quod in dolore pa„riant liberos, & sub potestate virorum „sint. Quis & quantus dolor sit parien„tium mulierum, nullus hominum novit, „nisi quæ expertæ sunt &c. hanc maledi„ctionem evadunt virgines, evadunt etiam „maledictionem secundam, scilicet quod „sub viri mortalis potestatem non sunt &c. „Tertia causa adpetendæ virginitatis est ca„rentia multiplicium anxietatum, quæ in„errabiliter habetur circa pueros nutrien„dos. Quanta sit hæc anxietas, soli nove„re parentes. Secundum amorem enim, „quo adficiuntur circa filios, extenditur „solicitudinis magnitudo, quem amorem „exceptis parentibus nulli sciunt, unde „nonnunquam solicitudinem ipsam in tan„tum contingit extendi, ut omnes animi „vires occupet, & omnibus postpositis so„lummodo filiorum mentionem habeant. „Discurrit animus & vagatur, percurrit „mare & aridum, nil inexpertum relin„quit, plurimumque & corpus miserorum „parentum diverso labore atteritur, ut fi„liis pecunia & possessio relinquatur. Quan„tum autem putas anxietatis adiici etiam „bonis parentibus & maxime matribus, „quæ maiori circa filios solent adfectu mo„veri, cum vident vitam filiorum virtutum „tramite relicto vagari per devia vitio„rum, cum diversis illos adfici vident cor„porum infirmitatibus, cum denique tan„dem ad mortis vident interitum deveni„re? „ Hæc omnia vere dicuntur de conjugii incommodis post lapsum, ac proinde quisquis dono continentiæ instructus cœlibatum eligit, ut ab illis incommodis liber maiore tranquillitate fruatur, is non peccat. Etenim si coniunx vel infidelis vel minus studiosus pietatis contingat, multa sæpe in tali inæquali coniugio erunt dissimulanda, ac si coniugati sint infirmiores, sæpe illis difficultatibus succumbunt, ut lapsu aliquo præoccupentur, cum in cruce ferenda sæpe plus doleat maritus ex συμπαθείᾳ erga uxorem & liberos quam ex ipso calamitatis sensu. Qui vero in conjugio vivit, vel necessitatem ineundi matrimonii ab ustionibus sibi iniici sentit, non desponderit animum propter illa incommoda, sed maiorem habeat rationem internæ conscientiæ, quam tranquillitatis illius externæ, sit *tanquam non flens*, ut apostolus loquitur, hoc est non nimium ob illa mala contristetur, sed sciat, Deum piis conjugibus suo auxilio adesse, ut hæ calamitates sint exercitia patientiæ, invocationis, dilectionis, fiduciæ &c. Iustus Ionas in defens. coniug. sacerd. adv. Fabrum: *Nisi me ipsum conscientiæ periculum moviſſet, satis*

satis videbamus, quod tu sic belle decantas, plus esse literarii otii ac minus turbæ in cœlibatu quam in coniugio, sed maluimus hac tranquillitate carere, quam Deum offendere. III.) Bonum est esse ac manere cœlibem ob *maiorem serviendi Deo opportunitatem.* v. 32. *Volo vos esse ἀμερίμνους sine solicitudine. Qui sine uxore est, solicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino.* v. 33. *Qui vero uxorem duxit, solicitus est de his, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Discretæ sunt, ea, quæ est uxor, & ea, quæ est virgo.* v. 34. *Virgo innupta cogitat, quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu, quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Loquitur apostolus potissimum de matrimoniis, quæ tunc pleraque erant, videlicet *imparia*, ubi maritus christianus habebat ethnicam aut Iudaicam uxorem, & uxor christiana ethnicum vel judaicum maritum, ubi studio pacis & concordiæ multa erant toleranda ac dissimulanda. Ac quia etiam in christianorum coniugiis raro æquale pietatis studium in utroque coniuge deprehenditur, ac piorum etiam coniugium multa secum trahit avocamenta, ideo in genere adplicari potest ad coniuges, non tamen *exclusive*, sed *comparate*, ut superius late fuit expositum. Arias Montanus in comment. 1 Cor. VII. *Beatior erit, si sic permanserit. Beatior, utpote quæ minus molestiarum minusque impedimenti habitura est, ut spiritu & corpore sese totam in pietatis exercitationem tradat.* Lutherus noster dicit, *coniugatum in multa aliena a verbo negotia dividi, non posse semper intendere lectioni, interesse communibus precibus, & publicis congressibus, ac sæpius a cogitationibus primæ tabulæ distrahi ad curas rei familiaris.* Qui ergo dono continentiæ instructus cœlibatum eo fine eligit, ut sit ἀμέριμνος τῶν τοῦ κόσμου, ut omnes cogitationes, curas, studia & actiones pietatis exercitiis sine avocamentis huius seculi addicere possit, recte facit. Qui vero jamdum in coniugio vivit, vel ab ustionibus matrimonii contrahendi necessitatem sibi imponi intelligit, is expendat regulam apostolicam: v. 31. *Qui utuntur mundo tanquam non utantur;* caveat ac solitice sibi prospiciat, ne curis huius seculi tanquam spinis quibusdam fructificatio verbi impediatur, *quærat primo omnium regnum Dei & justitiam eius*, moderationem in cura rei domesticæ adhibeat, ac sciat in operibus etiam secundæ tabulæ Deo gratum præstari obsequium, si ex vera fide & dilectione proficiscantur.

§. D. Tertium illum cœlibatus finem & usum ab apostolo adsignatum salvator noster Matth. XIX. 12. hisce complectitur verbis: *Sunt, qui se castrant propter regnum cœlorum.* Cum vero regnum cœlorum in scripturis significet, vel *beatitudinem æternam*, hoc est, *regnum gloriæ* in futura vita, vel *ministerium ecclesiasticum* & exercitia pietatis, invocationis, confessionis in ecclesia, hoc est, *regnum gratiæ* in hac vita; quæstio est, in qua significatione regnum cœlorum in hoc dicto accipiatur. Id vero optime colligitur ex circumstantiis textus & ex collatione cum propria huius doctrinæ sede 1 Cor. VII. tradita. Loquebatur Christus ad apostolos, qui ablegandi erant in totum terrarum orbem ad prædicandum evangelium omni creaturæ; cum hac apostolorum vocatione non quidem pugnabat coniugium, interim tamen ad officium apostolatus expeditior erat cœlibatus. Christus igitur quamvis non absolute ac simpliciter præcipiat apostolis, ut a coniugio abstineant, tamen probat cœlibatum in illis, qui dono continentiæ sunt instructi, *qui potest capere, capiat*, inquit, & addit, quod *ad regnum cœlorum*, hoc est, ad ministerium prædicandi evangelii sit expeditius ac commodius, si quis se castret, hoc est, voluntarie

Matth. XIX. 12. Sunt, qui se castrant propter regnum coelorum.

tarie ac sponte a matrimonio abstineat instar eorum, qui vel naturali impotentia vel hominum malevolentia sunt castrati. Idem colligitur ex loco apostolico 1 Cor. VII. 32. *Qui sine uxore est, solicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino;* hoc est, qui in cœlibatu vivunt, expeditiores sunt ad curandum, quæ sunt Domini, sive in ministerio verbi, sive in aliis pietatis exercitiis, inde idem apostolus 1 Cor. IX. 5. inquit: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri apostoli & fratres Domini & Cephas?* sed postea addit v. 15. *Ego nullo horum usus sum.* v. 23. *Omnia autem facio propter evangelium, ut eius particeps efficiar;* hoc est, mea sponte a matrimonio abstinui, ut ad profectiones evangelicæ prædicationis causa suscipiendas essem expeditior, nec gravarem ecclesias sumtibus in mei meorumque sustentationem conferendis. Augustinus & plerique veterum per *regnum cœlorum* intelligunt vitam æternam, non autem id faciunt sensu pontificio, quasi cœlibatus sit *satisfactio peccatorum maxima & meritum regni cœlorum;* hanc enim detorsionem distertis verbis repudiant; sed sensu orthodoxo, quod vita æterna ex gratia propter Christum detur fidelibus tum cœlibibus tum coniugatis. Interim *sicut stella differt a stella in claritate*, ita illi, qui cœlibatu recte utuntur, & in hoc vitæ statu plus laborant in evangelii prædicatione & pietatis exercitiis, prærogativam quamdam in vitæ æternæ gloria sunt habituri, si enim est donum præstantius, utique etiam præmium præstantius legitimum eius usum consequetur. Verba Augustini sic habent, de S. virginit. cap. XXII. *Scripturarum divinarum evidentissimis testimoniis adparet, non propter præsentem huius seculi vitam, sed propter futuram, quæ in regno cœlorum promittitur, continentiam diligendam*, id probat ex 1 Cor. VII. 32. Matth. XIX. 12. Esai. LVI. 4. Quo sensu etiam Brentius concedit in verbis Christi per *regnum cœlorum* haud incommode majorem in vita cœlesti gloriam intelligi posse, cum credentes totius pietatis & omnium actionum finem non constituant in hac transitoria vita, sed respiciant ad futuram gloriam. Sed cap. XL. addit: „Etiam vos „cœlibes gratia salvi facti estis, & hoc non „ex vobis; sed Dei donum est, non ex „operibus, ne quis forte glorietur. *Cap.* „*LXIV.* Non dubitet hanc rem illi rei, „virginitatem scilicet, coniugio præponere, „re, non tamen hæc vel hæc virgo obediens & Deum timens illi vel illi mulieri „(*coniugatæ*) obedienti & Deum timenti „se anteferre audeat, alioquin non erit humilis. *Cap. XLV.* Divinæ gratiæ multa sunt munera, & est aliud alio maius „ac melius. *Cap. XLVI.* Multa sunt dona, & alia aliis clariora ac superiora, singulis singula. Et aliquando alter fructuosus est donis paucioribus, sed potioribus, „alter inferioribus, sed pluribus. Et quemadmodum inter se vel coæquentur, vel „distinguantur in accipiendis æternis horibus, quis hominum audeat judicare? „dum tamen constet & multa esse ista diversa, & non ad præsens tempus, sed in „æternum prodesse meliora? *Cap. XLVIII.* „Etiam ad virgines pertinet: Quis gloriabitur se castum habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? etiam „virgines Christus ecclesiæ sponsus orare „docuit, dimitte nobis debita nostra. *Cap.* „*XLIX.* Etiam virginibus dicitur: Si „dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mendaces sumus. *Cap. LI.* Virginitatis bonum quanto magnum video, „tanto ei, ne pereat, futuram superbiam „pertimesco. Fidenter dico, facilius sequuntur agnum coniugati humiles, quam „superbientes virgines. *Cap. LII.* Iustitiam vestram nolite statuere, Deo vos justificanti submittite, veniam peccatis donate alienis, orate pro vestris. *Cap. LIII.* „Quanto magni estis, quicunque ita magni estis, tanto humiliate vos in omnibus,

„bus, ut coram Deo inveniatis gratiam &c. Hæc omnia Auguſtinus, quæ oſtendunt, præſtantius quidem donum eſſe caſtitatem virginalem quam coniugalem, & legitimum eius uſum ſequi maiora præmia pietati in vita æterna promiſſa; 1 Tim. IV. 8. tamen in articulo juſtificationis coram Deo non eſſe confidendum cœlibatus ſanctitati, nec eum poſſe ſtatui vel vitæ æternæ meritum, (hic enim honor ſolius Chriſti obedientiæ & ſatisfactioni competit) vel adplicationem, ea enim communis eſt virginibus & coniugatis, vera ſcilicet fides, neque propter cœlibatum quemquam ſe debere efferre & extollere, ſed dona Dei etiam in aliis agnoſcere &c.

§. DI. Opponenda hæc ſunt: I.) *Immodicis cœlibatus encomiis*, quæ apud veteres interdum occurrunt, in quibus non obſervantur limites ac termini ab apoſtolo præſcripti, intra quos & ſecundum quos cœlibatus in perſonis ad eum idoneis coniugio præferendus. Cyprianus in libr. de diſciplin. & bon. pudic. *Virginitas ſe angelis exæquat, ſi vero exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent angeli.* Cum quo congruit illud Ambroſii de virg. *Virginitas conditionem humanæ naturæ ſupergreditur & angelicam dignitatem, per quam homines angelis adſimilantur. Maior eſt victoria virginum quam angelorum, angeli enim ſine carne viuunt, homines vero virgines in carne triumphant.* Nazianzenus coniugium vocat *decus terræ*, *virginitatem vero cœli*; in carmine:

Κόσμος ὁ μὲν γαίης. ἡ δ' ἀρανίοιο Θεοῖο.
Μάργαρος ἐν λάεσσιν ἑωσφόρος ἐν φαέεσσιν.

Item: Αγγελικῆς δόξης εἰκὼν μόνας. Vid. etiam orat. XI. XXXI. XL. in quibus in virginitate deprædicanda ſatis liberalis eſt. Athanaſius in lib. de virg. *O virginitas opulentia indeficiens, o virginitas corona immarceſcibilis, o virginitas templum Dei, & domicilium Spiritus ſancti, o virginitas margarita pretioſa vulgo inconſpicua, & quæ non niſi a paucis invenitur! O continentia amica Dei, & a ſanctis deprædicata! O continentia mortem & infernum profligans, & quæ ab immortalitate poſſidetur. O continentia gaudium prophetarum & apoſtolorum gloriatio &c.* Baſilius itidem de laudibus virginitatis integrum ſcripſit librum. Ephremio in ſermon. de caſt. & Amphilochio de Dei genitr. vix verba ad eam commendandam ſufficiunt. Origenes ex amore & admiratione cœlibatus ſe ipſum caſtravit, quod in conciliis poſtea prohibitum. Chryſoſtomus libr. de virginit. *tanto eam nuptiis præſtare* adſerit, *quanto cœlum terræ, quanto hominibus angeli.* Cyrillus Hieroſolymitanus catech. IV. *auro eam* comparat, ſicut coniugium *argento.* Iſidorus Peluſiota libr. II. epiſt. CXXXIII. & CCCLI. *ſoli* eam, nuptias vero *lunæ* confert. Fulgentius epiſt. III. ad probam de virgin. & humil. p. 497. *Non dubitamus dicere, tantum a ſancta virginitate carnis & ſpiritus fidelium coniugatorum licet a Deo conceſſum infirmæ mortalisque carnis huius diſtare concubitum, quantum ſimilitudo pecorum ab imitatione diſcernitur angelorum.* Similia occurrunt apud Hieronymum libr. I. adv. Iovin. epiſt. XXII. ad Euſtoch. Iſidorum lib. II. de ſumm. bon. cap. XL. Bernhardum ſermon. de mod. bene viv. cap. XXI. XXII. &c. Notandum autem de immodicis illis cœlibatus apud veteres encomiis, 1.) quod ut reliqua omnia patrum dicta, ita etiam iſthæc encomia non contra fidem torquenda, ſed juxta fidei analogiam in ſcripturis ſacris propoſitam pie explicanda ſint; arcte enim tenendum hoc fidei chriſtianæ στοιχεῖωμα, quod etiam Auguſtinus contra illas hyperbolas urget, *etiam virgines gratia ſalvas fieri per fidem, non ex operibus, etiam virginibus quotidie orandum eſſe; Domine dimitte nobis debita noſtra &c.* contra

quod fundamentum abſit, ut dicta ſua pii veteres intelligi velint. 2.) Quod in quibusdam locis mentem ſuam recte explicent, neque cum coniugii contumelia cœlibatum vel laudandum vel eligendum eſſe doceant, utpote quando docent, cœlibatum abſolute & in ſe bonum opus non eſſe, ſed ſtatum boni operis & ex eorum genere, quæ ad aliud referuntur, ac proinde encomia illa non tam de ipſo cœlibatus dono, quam de vero & legitimo eius uſu in pietatis exercitiis intelligenda erunt. Hæc dicta enumerata ſunt ſuperius propoſ. II. quando docent, in coniugio non minus quam in cœlibatu eſſe caſtitatem, pudicitiam, munditiem & ſanctificationem Deo placentem, quæ dicta enumerata ſunt propoſ. IV. quando docent, coniugium in ſe ac per ſe non eſſe impedimentum pietatis ac miniſterii eccleſiaſtici, quæ dicta ibidem in antitheſi ſunt enumerata. 3.) Quod ut admirationi cœlibatus occaſionem dedit ethnicæ ſcortationis familiaritas, perſecutionum atrocitas & coniugiorum imparitas, qua de re diximus ſuperius prop. I. ita hyperbolicis illis encomiis occaſionem dederint diſputationes cum hæreticis cœlibatum contemnentibus & impuritatem vitæ introducentibus; illis enim cum totis viribus ſeſe opponerent, contigit eis, quod in omnibus controverſiis fieri ſolet, ut in partem alteram nimium deflecterent. Clemens lib. III. ſtrom. & Epiphanius tom. II. lib. I. hær. 25. referunt de Nicolao quodam, apoſtolorum diſcipulo, *quod ſub continentiæ & conſilii apoſtolici prætextu propriam conjugem dimiſerit, mox vero libidinis ardore victus omnis generis ſcortationes & vagas libidines introduxerit*, docens, εἰ μή τις καθ' ἡμέραν λαγνεύει, ζωῆς οὐ δύναται μετέχειν αἰωνίου, a quo turpiſſima Nicolaitarum ſecta eſt exorta. Epiphanius hær. 26. de Gnoſticis refert, quod *continentes habuerint ludibrio, ac vanum illorum in cœlibatu ſtudium fuerint aſpernati.* Quid ergo mirum, ſi in oppugnandis impuris illis hæreticis, in extollenda virginitate longius veteres ſint progreſſi? Hieronymus lib. I. adv. Vigilantium dicit, *ſe incitatum ad adſtruendam virginitatis dignitatem ſermonibus Vigilantii, qui continentiam dicebat hæreſin, pudicitiam libidinis ſeminarium, virginitatem impugnabat, nulli pudicitiam credebat.* Bellarminus lib. I. de cleric. cap. XIX. *Error olim Græcorum erat, oportere clericos uxores ducere, antequam ordines ſuſcipiant, quia poſt ordines non licuit, hic fuit, ut alii volunt, error Nicolaitarum hæreticorum, quem conſtat Vigilantium expreſſe docuiſſe.* Coſterus in enchir. cap. XV. *Ex Hieronymo conſtat, Vigilantium hæreticum docuiſſe, non eſſe diaconos ab epiſcopis ordinandos, niſi prius duxiſſent uxores.* Joviniano Ambroſius lib. X. epiſt. LXXXII. tribuit, quod docuerit, *virgines oportere nubere, ſimiliter & viduas, etiamſi continere poſſint, errare eas, quæ nolint iterare copulam, virginitatis nullam eſſe gratiam, pari omnes æſtimari pretio, caſtimoniam nullius eſſe utilitatis, nullum eſſe præmium virginitatis, nullum fructum viduitatis, nullum honorem caſtitatis, quinimo, quicunque in Chriſto baptizatus eſt, qualiscunque eius vita ſit, eum Deo acceptum eſſe.* Auguſtinus lib. II. de ſent. Jacob. ad Hieronym. cap. III. de eo dicit, quod *in ſtatuenda peccatorum paritate fuerit Stoicus, in aucupandis & defenſandis voluptatibus Epicuræus.* Hiſce Vigilantii & Joviniani opinionibus Hieronymus & Ambroſius, qui tunc eruditione, eloquentia & auctoritate in Latina eccleſia maxime illuſtres erant, acerrime ſe oppoſuerunt, ac in partem alteram nimium deflexerunt, adeo, ut Auguſtinus quædam durius & incommodius prolata mollire fuerit coactus, ut ſuperius monuimus. 4.) Quod, quamvis Eſſæorum ſuperſtitiones, & Marcionitarum, Tatianorum, Encratitarum, aliorumve hæreticorum manifeſtæ contra conjugium blaſphemiæ (de quibus ſuo loco egimus)

gimus) non fuerint in ecclesia receptæ vel adprobatæ, tamen ex illa hypocrisi de perfectione cœlibatus in ipsam ecclesiam paulatim quædam zizania irrepserint, quod negare nulla veritatis specie poterit, qui expendit duriores veterum sententias contra secundas nuptias prolatas, quas exposuimus superius. §. CXCI. ac incommoda Tertulliani & Hieronymi dicta contra primas nuptias prolata, quæ paulo ante §. CCCCXCVI. sunt adducta. Ex eodem igitur fonte, & cumprimis ex admiratione vitæ cœlibis in Essenis Judæis, & in vestalibus ac sacerdotibus gentilium immodica illa cœlibatus encomia sunt exorta; judicabant enim indignum esse Christianis, si non ad perfectionem illam, quæ in Judæis & gentilibus admirationi erat, summis viribus contenderent. De *Essenis* scribit Josephus lib. XV. antiq. cap. XIII. quod *juxta regulam Pythagoræ vixerint, & cœlibatum sectati fuerint.* Lib. XVIII. antiq. cap. II. & libr. II. de bell. Jud. c. VII. *Essæos hoc hypocritico vitæ genere eximiæ sapientiæ & sanctitatis nomen sibi conciliasse* adserit, ut dicerentur Esseni quasi ὅσιοι. De scribis Epiphanius commemorat, quod *eo tempore, quo continentiam exercebant, in quatuor aliis palliorum habuerint fimbrias purpureas, quæ vocabantur phylacteria, quibus notis exponebant hominibus suam professionem.* De Pharisæis dicit, quod quidam illis continentiæ & exercitiis præscripserint *quadriennium*, quidam *octennium*, quidam *decennium* &c. ex quo adparet, posterioribus ecclesiæ Judaicæ temporibus opinionem de meritis cœlibatus animos superstitiosos fascinasse. Apud *gentiles* in quanto honore fuerint *vestales* virginitatem perpetuam professæ, constat ex Romanæ historiæ scriptoribus. Facinorosus vestali occurrens ad supplicium rapi non poterat. Alexander ab Alexandr. libr. V. genial. dier. c. XII. Vestali præsente non poterant tribuni potestatem suam exsequi vetando vel intercedendo; *ideo Claudia vestalis, ne patrem iniussu populi Romani triumphantem vetare aut interdicere fas cuiquam tribunorum esset, adscenso triumphantis patris curru eum in capitolium prosecuta est*, referente Valerio Maximo lib. V. cap. de pietate erga parentes. De philosophis gentilibus scribit Hilarius in comment. Psalm. LXIV. *Canimus nudis philosophos algere corporibus, ipso etiam coniugiorum usu magistri abstinent.* De cœlibatu *sacerdotum gentilium* diximus tract. de minist. eccles. §. CCCXLIII. 5.) Quod scripta quædam veterum, in quibus tantopere celebratur cœlibatus, sint spuria, vel certe dubiæ fidei. De *epistola ad Demetriadem* diximus superius, quod nec Hieronymi sit, nec Ambrosii, sed Pelagii hæretici. Cypriani liber *de disciplina & bono pudicitiæ* ab ipso Bellarmino in catal. script. eccles. inter suppositicia opera refertur. *Athanasii de virginitate* sermo inter dubios a Riveto numeratur lib. III. critic. sacri cap. IV. nihil enim commune habet cum germanis illius scriptis, ac nemo paulo humanior credet, verum Athanasium *locum in tertio angelorum ordine* temere illis polliceri voluisse, qui leves præceptiunculas & constitutiones humanas observant. Erasmus conditionaliter loquitur. *Si Athanasii est, mire deiicit stylum.* 6.) Quod talia proferant encomiorum istorum fundamenta, quæ non sunt solida ac firma, sed facili negotio subruuntur. Cyprianus dicit, quod *virginitas angelis non solum se exæquet, sed etiam superet.* Atqui angeli absque omni concupiscentiæ labe purissimi ac sanctissimi sunt, quis vero hominum de sua virginitate coram Deo gloriari poterit, cum scriptum sit: Prov. XX. 9. *Quis gloriabitur castum se habere cor?* Job. XXV. 4. *Quis gloriabitur, mundum se esse peccato?* (quod etiam ad virgines dictum esse probat Augustinus de virgin. cap. XLVIII. in principio.) Matth. V. 28. *Qui adspicit mulierem ad concupiscendam eam, jamdum mœchatus est cum ea in corde suo.*

Athanasius dicit, quod *virginitas sit templum Dei & domicilium Spiritus sancti.* Atqui *per fidem Christus habitat in cordibus credentium.* Ephes. III. 17. *Qui Christi sermonem servat, ad illum Pater cœlestis & Christus veniunt, ac mansionem apud ipsum faciunt.* Joh. XIV. 23. Ab hac inhabitatione coniuges, si pii sunt, non excluduntur, 1 Cor. VI. 19. nec per virginitatem ad eam cœlibes provehuntur, sed per veram in Christum fidem. Addit Athanasius, quod *virginitas mortem & infernum profliget.* At hic honor soli Christo competit, qui *torcular calcavit solus*, Esai. LXIII. 3. in quo ut *nec circumcisio nec præputium*, sic nec cœlibatus, nec conjugium aliquid valet, *sed nova creatura.* Galat. VI. 15. Hieronymus dicit, *quod nuptiæ impleant terram, virginitas paradisum.* At negari nequit, pios coniuges non terram solum, sed etiam cœlum replere, si liberos in disciplina & institutione Domini educent. Eph. VI. 4. *Salva erit mulier διὰ τῆς τεκνογονίας, si manserit in fide, &c.* inquit apostolus 1 Tim. II. 15. Si de virginitate tale quid scriptum exstaret, quis gloriationis finis foret? Erasmus in colloq. proci & puellæ huic Hieronymi dicterio illud opponit, *unam virginem, si nubat, posse multas virgines parere, proinde si virginitas placet, non posse virginum nuptias displicere, quæ hoc ipsum, quod tantopere placet, cum fœnore reddunt.* Si absque coniugio esset, nec virgines essent. Damascenus lib. IV. orth. fid. cap. XXV. in laudem virginitatis hæc adfert: 1.) *Virginitatem ab ipso mundi exordio inductam, quia ex terra adhuc virgine formatus sit homo;* 2.) *a primis parentibus usque ad transgressionem esse cultam;* 3.) *tempore diluvii adprobatam, quando filii Noe ab uxoribus erant separati;* 4.) *patriarcharum quorumdam & aliorum sanctorum exemplis confirmatam esse atque commendatam, ut exemplo Eliæ, Elisæi, trium puerorum in fornace Babylonica, Danielis & sacerdotum in populo Israelitico, quos non nisi abstinentes a coniugio oportuerit sacra adyta ingredi;* 5.) *esse eam nuptiis honorabiliorem propter Christum ex virgine natum.* Sed hisce facili negotio iterum opponi potest: *a.*) Coniugium jam inde a primo mundi exordio institutum, & quidem in paradiso in ipso innocentiæ ac puritatis statu; *b.*) primos parentes ante transgressionem coniuges fuisse; *c.*) separationem in arca non introduxisse vinculi coniugalis dissolutionem; *d.*) patriarchas & prophetas plurimos, sacerdotes plerosque omnes fuisse coniugatos, summum sacerdotem quotidie immolasse, & tamen liberos generasse; *e.*) Christum natum esse ex virgine desponsata, & nuptias non solum præsentia sua, sed & honorifico dono commendasse. 7.) Denique de immodicis cœlibatus encomiis & hoc notandum, quod ea temporibus sequentibus non juxta fidei analogiam exposita, sed contra illam detorta fuerint. Sic Augustinus, Ambrosius & alii sano sensu disputant, *eum, qui cœlibatu recte utitur, ut curet ea, quæ sunt Domini, majora aliquando habiturum in cœlo præmia;* sed posteri hoc eo traxerunt, quod cœlibatus in se ac per se sit meritum vitæ æternæ, cum tamen diserte addat Augustinus: *Etiam vos virgines gratia salvi facti estis.* Cum Hieronymus in epistola ad Paulam de obitu Blesillæ filiæ dixisset: *Secundo quodammodo baptismi proposito se lavit*, licet de proposito interpretetur, & addat *quodammodo*, ac de huiusmodi hyperbolis ipse dicat, *rhetoricati sumus, & aliquid declamationibus dedimus.* Posteri tamen eamdem gratiam professioni cœlibatus in vita monastica adscripserunt, quam scriptura baptismo tribuit. Et quamvis Bernhardus, qui (ut Chemnitius de ipso loquitur) *aliquid lucis habuit in articulo justificationis*, mitigationem aliquam illius sententiæ quæsierit, quando in lib. de præcept. & dispens. scribit: *Audire vultis a me,*

me, unde inter pœnitentiæ instituta monastica disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum baptisma nuncupetur? arbitror ob perfectam mundi renunciationem & spiritualis vitæ excellentiam; tamen Bernhardinus in Rosario & alii monachi illam mitigationem non recipiunt, sed verba illa simpliciter interpretantur de consequenda plenaria omnium peccatorum remissione per professionem cœlibatus ac monastices. Quæ ad commendandam virginitatem a veteribus adferuntur, ea intellecta volunt de vera illa virginitate, quæ corporis & animi sanctitatem complectitur, sicut Chrysostomus in lib. de virginit. inquit: Παρθενίας κόσμος ὲ σωματικὸς ἀλλὰ τῆς ψυχῆς ὅλος, & Augustinus lib. de virginit. cap. VIII. *Nemo pudicitiam servat in corpore, nisi spiritu prius insita castitate*; sed posteri laudant cœlibatum etiam in illis personis, quæ ustiones sentiunt, quæ perpetuo coniugii desiderio flagrant, & coacte virgines sunt.

§. DII. II.) Cumprimis vero, quæ de causis finalibus, propter quas cœlibatus coniugio præfertur, ex apostolo adtulimus, opponenda sunt pontificiis clamoribus, quod *cœlibatus sit opus quoddam supererogationis, per quod evangelica consilia impleantur, & aliquid supra & ultra Dei præcepta præstetur, quo & sibi & aliis cœlibes meritum aliquod proprie sic dictum adquirere, & pro suis ac aliorum peccatis coram Dei judicio satisfacere possint*; vel ut brevibus & emphaticis hæc omnia Petrus a Soto complectitur, quod *cœlibatus sit satisfactio peccatorum maxima & meritum regni cœlorum*, quæ adfertio hæretica 1.) *in Christi meritum & honorem est iniuria*. Ipse enim est, qui *delet iniquitates nostras*, non propter nostrum cœlibatum, sed *propter se ipsum* & sanctissimum suum meritum. Esai. XLIII. 25. *Qui torcular calcavit solus*. LXII. 3. *Qui mortuus est propter peccata nostra*. Rom. IV. 25. *Cuius sanguis emundat nos ab omnibus peccatis*. 1 Joh. I. 7. *Qui est propitiatio pro totius mundi peccatis*. II. 2. *Qui purgationem peccatorum nostrorum facit per se ipsum*. Hebr. I. 3. *Qui est unicum ἱλαστήριον*, Rom. III. 25. & in quo solo omnem spem justitiæ & salutis coram Deo unice habemus repositam. 2.) *Gratuitæ justificationi per fidem in Christum extreme adversa*. Non cœlibatu nec coniugio, sed gratia Dei propter solum Christi meritum vera fide justificamur & salvamur, ac beatitudo hominis tam cœlibis quam coniugati in eo consistit, quod *Deus justitiam imputat sine operibus*, Rom. IV. 6. ac tam cœlibum quam coniugatorum respectu *vita æterna est χάρισμα τοῦ θεοῦ ἐν χριστῷ*. Rom. VI. 23. *In Christo vero, ut non est Iudæus, nec Græcus, nec servus, nec liber, nec mas, nec fœmina*; Galat. III. 28. sic nec virgo nec coniunx, ac nulla hic προσωποληψία sive cœlibum sive conjugatorum, Act. X. 34. Ephes. VI. 9. Ostendimus suo loco, ne illis quidem operibus, quæ fiunt a renatis, juxta normam legis divinæ hanc laudem tribui posse, quod sint satisfactio pro peccatis & meritum vitæ æternæ proprie sic dictum; quanto minus superstitioso, impuro & coacto cœlibatui pontificio hoc tribui poterit, qualis enim sit tantopere celebratus cœlibatus in plerisque personis, in vulgus etiam notum est, ac si vel maxime sit castissimus & purissimus, tamen longe minus donum est, quam caritas. 1 Cor. XIII. 13. Collatio igitur virginitatis & coniugii non pertinet ad *articulum justificationis*, ibi enim fides in Christum æquales facit virgines & conjugatos, ac Deus & coniugatos & virgines gratis justificat propter Christum. 3.) *Multis modis absurda*. Quod Paulus Galat. II. 21. de operibus legis dicit: *Si per legem est justitia, Christus gratis mortuus est*; id justissime etiam de cœlibatu dici potest. Si cœlibatus est satisfactio peccatorum & meritum vitæ æternæ, Christus gratis mortuus est. Si cœlibatus est

per se cultus Dei & satisfactio pro peccatis, ergo etiam ethnici cultus Deo gratos præstare, & pro peccatis suis ex parte satisfacere potuerunt; negari enim nequit, virginalis continentiæ studium etiam apud ethnicos viguisse. *Septem virginibus Milesiis* magis curæ fuit pudicitia quam vita. *Claudia, virgo vestalis*, apud Romanos ad comprobandam castitatem dicitur cingulo navem duxisse, quam aliquot millia hominum trahere non poterant. Denique si continentia virginalis est satisfactoria & meritoria, etiam coniugium suo modo, licet inferiore gradu, erit satisfactorium & meritorium. Ratio connexionis est, quia cœlibatus statuitur meritorius & satisfactorius propter castitatem. Atqui castitas non solum est in cœlibatu, sed etiam in pio ac legitimo coniugio, in illo quidem, si purus sit, maior & amplior, sed non propterea in coniugio nulla. Quod si ergo virginalis castitas esset meritoria ac satisfactoria, utique etiam coniugalis, licet non in pari, tamen in minori gradu. Consequens est absurdum, nec dum a pontificiis adsertum. Ergo & antecedens. 4.) *Naturæ cœlibatus opposita.* Nulla dona specialia, sive ut loquuntur scholastici, *gratiæ gratis datæ*, Deo nos commendant, sed *fides, quæ per caritatem efficax est.* Galat. V. 6. At virginitas est tale donum speciale 1 Cor. VII. 7. Sicut *regnum Dei non consistit in cibo & potu.* Rom. XIV. 17. Sicut *esca non commendat nos Deo;* 1 Cor. VIII. 8. ita quoque nec in cœlibatu nec in coniugio consistit regnum Dei, nec virginitas vel coniugium Deo nos commendat, sed fides, caritas & mandatorum divinorum obedientia in cœlibibus & coniugatis Deo probantur. Lutherus in epithal. id est, in comm. 1 Cor. VII. fol. 338. *Si virginitas & coniugium invicem conferantur, virginitas nobilius donum est quam coniugium; interim tamen coniugium itidem est donum Dei, ut clare testatur apostolus. Vir nobilior ac dignior est fœmina, interim fœmina non minus est Dei opificium quam vir, quia coram Deo sunt æqualia, quæ inter se inæqualia.* Cœlibatus est ex eorum numero, quæ vocantur τὰ μέσα, quibus & bene & male uti possumus. Qui in cœlibatu pie & caste vivit, ac propter fines in sacris literis propositos cœlibatum eligit, illi bonus atque utilis est cœlibatus, sin minus, frustra de cœlibatu in se ac per se considerato gloriabitur. 5.) *Superbiæ nutricula.* Quid magis posset fastum spiritualem in animis cœlibum alere, dignitatem coniugii & virginalem orthodoxæ fidei de gratuita propter Christum justificatione integritatem labefactare, quam adseverare, quod cœlibatus sit *satisfactio peccatorum maxima & meritum regni cœlorum?* 6.) *Sibi ipsi repugnans.* Qui cœlebs est, non potest curare, quæ sunt Domini, ut placeat Domino, nisi credat in Christum Mediatorem & Salvatorem nostrum unicum. Jam vero fides vera non aliam agnoscit peccatorum satisfactionem, nec aliud vitæ æternæ meritum, quam passionem, mortem & obedientiam Christi, ex quo sic concludimus: Nullus homo, sive cœlebs sit, sive coniugatus, Deo placet, nisi vera in Christum fide. Atqui persuasio illa, quod cœlibatus sit satisfactio peccatorum & meritum regni cœlorum evertit veræ in Christum fidei naturam. Ergo qui hac persuasione fascinatus cœlibatum sectatur, Deo placere nequit. Breviter, opinioni illi de satisfaciendo pro peccatis propriis & aliorum per cœlibatum & præstando quodam supererogationis opere aliis etiam adplicando opponendum est totum systema locorum practicorum de ἀδυναμίᾳ perfecte implendi legem; de justificatione non ex lege, sed ex evangelio, non ex operibus, sed ex fide, non ex meritis, sed ex gratia speranda & obtinenda; de bonorum operum imperfectione & contaminatione; de unico & solo Christi merito; de causis, propter quas præstanda bona opera, &c. Inde est, quod quidam mo-

moderatiores ex ipsis pontificiis opinionem illam, quod cœlibatus (ac monachatus) sit satisfactio peccatorum & meritum regni cœlorum, diserte reiiciant, Conrad. Clingius in loc. comm. cap. CXVIII. *Hoc cavendum est, ne ponatur justitia, id est, salus in huiusmodi observationibus,* (monasticis) *id est, ne quis putet se promereri justitiam & remissionem peccatorum & gratiam huiusmodi servandis ritibus; nam justificationem & gratiam impetrare fit per fidem in Christum. Igitur monachus, si servata sua regula sentiat se propterea justitiam coram Deo consequi, is errat juxta illud Christi Matth. XV. Frustra me colunt mandatis hominum.* Idem in alio loco: *Vita monastica non quæritur alia justitia, quæ salvet, præter unicam Christi justitiam, qui sanguine suo nos lavit, & justos ac filios regni fecit. Igitur illa justitia carnis est sub justitia fidei seu Christi, & infinitum distant, non enim illi, sed priori Christi justitiæ tribuimus justificationem & salutem.* Cassander in consultat. cap. de monachatu art. XXV. p. 232. *Dicuntur opera consilii & supererogationis, non quod aliquid supra finem mandatis Christi præscriptum præstent, sed quod ad finem illum consequendum peculiarem quamdam & expeditiorem viam ingrediantur;* de quibus Gerson lib. de consil. evangel. *Consilia*, inquit, *evangelica faciunt ad perfectionem vitæ spiritualis, sicut instrumenta promoventia, vel expedientia, vel manu ducentia ad illam, vel sicut removentia prohibens.* Idem Cassander pag. 233. *Removenda est falsa opinio & præposiera fiducia, ne in his operibus fiducia collocetur, quæ in solo Christi merito collocanda est.* Similia quamplurima occurrunt apud Erasmum in lib. de laud. matrim. & in milite christiano.

§. DIII. *Sexta* propositio: *In cœlibatu practice præferendo vitæ coniugali vigere debet recta intentio, doni cuilibet dati exploratio, & diligens omnium circumstantiarum consideratio.* De virginibus expresse negat apostolus, *se præceptum aliquod Domini habere*, quo scilicet ad cœlibatum adstringantur, sed *consilium* tantum sese dare adserit, 1 Cor. VII. 25. ac diserte protestatur, *se nolle cuiquam* hoc suo consilio ad circumstantias personarum & temporum istorum adcommodato *laqueum iniicere* v. 35. quin & subiicit v. 36. *Si quis aliquid se minime decens committere erga virginem suam putat, si florem ætatis excedat, & ita debet fieri, quod vult faciat, non peccat, jungatur matrimonio.* Hanc apostoli prudentiam ac modestiam si sequi velimus, ut omnino eam sequi debemus, nec nobis ipsis, nec aliis in cœlibatu sectando legem aliquam necessitatis præscribere debemus; sed illud vitæ genus eligere, in quo ratione personarum, donorum ac temporum habita commodius Deo servire, ac ecclesiæ salutem promovere nos posse adparebit. In cœlibatu igitur eligendo dixi-

VI.) *In cœlibatu eligendo vigere debet*

mus; I.) vigere debere *rectam intentionem.* Ut enim in aliis vitæ actionibus recta intentio earumdem velut *oculus* censetur, Matth. VI. 22. Luc. XI. 34. ita quoque in cœlibatu eligendo & sectando cumprimis eadem respicienda. Tunc vero cœlibatum ex recta intentione eligimus, *si propter finem* ab apostolo præscriptos eum eligimus, ex qua regula de antitheſi facile judicari potest. 1.) *Qui peculiares causas finales* sui cœlibatus sibi fingit extra & præter Dei verbum, eumque in se ac per se statuit etiam peculiarem Dei cultum, is ex cœlibatu facit ἐθελοθρησκείαν, & peccat contra regulam divinitus traditam: Deut. XII. 8. *Non facietis singuli, quod vobis rectum videtur.* Num. XV. 39. *Non sequantur cogitationes suas.* Esai. I. 12. *Quis hæc requisivit de manibus vestris.* Rom. XIV. 23. *Quidquid non fit ex fide, peccatum est, &c.* 2.) Qui cœlibatum eo

I.) *recta intentio.*

fine

fine eligit, ut per illum satisfaciat pro suis & aliorum peccatis, ac non sibi solum, sed etiam aliis vitam æternam mereatur, is abjicit gratiam Dei, Gal. II. 21. & in solium Mediatoris se ipsum collocando honorem soli Christo debitum sibi arrogat. 3.) Qui cœlibatum ea intentione ac persuasione sectatur, quod coniugium sit res impura, in quo castitatem servare, ac Deo placere nequeat, in sanctam Dei ordinationem est iniurius, & ab Ignatio in epist. ad Philadelph. *draconem apostatam inhabitantem habere* dicitur. 4.) Qui cœlibatum eligit ex avaritia, ut maiores opes comparet, atque ex diffidentia, quod uxorem & liberos alere nequeat, vel ignavi otii causa ad vitandas œconomicas molestias, atque interim ustionibus internis torquetur, is itidem vero fine & recta intentione aberrat. Sic pontifex Pelagius. c. de Syracusanæ. dist. 28. cuiusdam episcopi uxorem & liberos habentis ordinationem distulit ex ea ratione, *ne ecclesiæ substantia periclitaretur*. Wimphelingus circa annum 1510. referente Wolffio cent. XVI. memorab. p. 22. sic conquestus est: *Credibile est, multos comites olim filios suos tradidisse in monasterium vel statum ecclesiasticum, ne paternæ hereditatis coheredes essent, & filii reliqui seculares exaltarentur, & familiæ propagarentur. Quod si genitores Deo, universali provisori, confisi essent, & filios suos frugaliter vivere instituissent, hodie forsan ipsorum progenies subsisteret, nec essent prorsus exstinctæ*. Erasmus in adnot. 1 Tim. III. p. 469. *etiam atque etiam se vereri* adserit, *ne census ecclesiastici castrent hodie clericos verius quam pietas, dum metuunt, ne, quod tenent, intercipiatur, aut certe nihil accedat.* 5.) Qui ab hominibus castrati vel eunuchi nati politicum tantum finem in custodiendis gynæceis olim usitatum spectant, illi ab ipso Christo distinguuntur ab iis, qui se castrant *propter regnum cœlorum*, nec pertinent ad illos, qui sponte cœlibatum eligunt μὴ ἔχοντες ἀνάγκην, ἐξουσίαν δὲ ἔχοντες περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος ut loquitur apostolus 1 Cor. VII. 7.

II.) In cœlibatu eligendo præcedere debet *doni cuilibet dati exploratio*. Hoc ipsum disertis verbis docet apostolus 1 Cor. VII. 7. *Unusquisque proprium donum habet, alius sic, alius vero sic.* v. 8. *Dico non nuptis & viduis, bonum est si permanserint, sicut & ego.* v. 9. *Sed si non continent, nubant, melius est nubere quam uri.* Jubet igitur, ut quilibet se ipsum exploret, an continentiæ dono instructus sit, ut immunis ab ustionibus *corpore & spiritu sancto* in cœlibatu vivere possit, antequam cœlibatui nomen det, qua de re in sequenti quæstione pluribus dicetur. III.) Denique coniungi debet *diligens circumstantiarum omnium exploratio*. Hoc ipsum itidem docet apostolus in propria huius quæstionis sede. Postquam enim commoda vitæ cœlibis enumerasset, eamque facultatem *sine distractione Domino adhærendi* præbere docuisset, 1 Cor. VII. 35. statim subiungit v. 36. εἰ δὲ τις ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτοῦ νομίζει, ἐὰν ᾖ ὑπέρακμος, καὶ οὕτως ὀφείλει γίνεσθαι, ὃ θέλει ποιείτω. Ostendit igitur illud ἔυσχημον, de quo v. 35. egerat, quandoque cessare, & parentes in filia virgine ὑπεράκμῳ ἀσχημονεῖν, si scilicet cœlibatui sese minus idoneam ostendat, vel etiamsi causa incontinentiæ non intercesserit, tamen pro more populi aut loci indecorum habeatur, quo in casu ob emergentem novam rationem parentes consilium mutare, & filiam, quam virginem servare decreverant, elocare consultius judicat. Adnotabimus igitur quasdam circumstantias in deliberatione de cœlibatu eligendo respiciendas. *a.)* Augustana confessio art. I. abusuum & apologia confessionis in cap. de coniug. sacerd. hoc exaggerat: Cum senescen-

II.) *Doni cuilibet dati exploratio.*

III.) *Diligens circumstantiarum omnium exploratio.*

scente mundo natura humana paulatim fiat imbecillior, cum furor diaboli sit longe maior, ac postremi huius seculi perversio longe tristior, quam superioribus temporibus; ideo in cœlibatu eligendo quemlibet exacto debere uti examine, an sese tentationibus exponat, ac vires suas ponderare, an donum caste vivendi habeat. Inclinatio sexus ad sexum ipsi naturæ in prima creatione est insita, ad quam post lapsum accesserunt libidinum flammæ, quibus in hac effœta mundi senecta natura imbecillior minus resistit, nisi id fiat per coniugium; requiritur igitur ad illud continentiæ donum divinitus datum, quod non est omnibus commune, & de quo non exstant tales generales promissiones, sicut de aliis donis, sed est paucorum tantum ac plane singulare. *Defectus nostri temporis, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis pristinæ non patitur manere censuram*, scribit pontifex Pelagius c. Fraternitatis. dist. 34. *cum ex dispensatione misericordiæ* ad diaconatum eum proveheret, *qui post legitimæ uxoris mortem filios ex ancilla susceperat.* Quanto magis in eligendo honesto coniugio hæc ratio adtendi debet? 2.) B. Lutherus in propositione de digamia episcoporum anno 1528. disputatis, quæ habentur tom. I. oper. Lat. fol. 496. propositione 125. & seqq. illud monet: *Sicut in primitiva ecclesia laudabile fuit, virginitatem & cœlibatum extollere contra licentiam iudaici coniugii & gentilis scortationis: ita nunc laudabile est, coniugium extollere contra cœlibatum ecclesiæ derivativæ, hoc est, contra prostibulum papisticæ abominationis. Cum enim cœlibatus hodie sit fere vocabulum sine re, pernicioſissimi scilicet exempli, recte facient etiam ii, qui non valde uruntur, si exemplo suo coniugii causam juvent ad illius condemnationem. Nam cum Daniel & Paulus antichristum fore prædicent coniugii hostem auctoremque libidinis & omnis peccati, consultum & salutare est sub hoc impuriſſimo libidinis regno, quocunque coniugio liberari.* Hæc omnia Lutherus. Negari certe nequit, impurum sacrificulorum ac monachorum papalium cœlibatum causam dedisse, ut castus etiam cœlibatus, qui alias est genus vitæ Deo placens, quique ad exsilii incommoda ferenda expeditior, & ad vocationis ecclesiasticæ officia & pietatis exercitia in personis idoneis quandoque aptior, apud multos male audiat, vel in suspicione hæreat, a qua si quis per honestum coniugium sese liberare potius velit, quam in cœlibatu permanere, reprehendendus minime erit. Cassander in consult. art. XXIII. de cœlib. sacerd. pag. 199. „Plerique homines docti & pii ad „continentiæ observationem adstringere se „nolunt, cum & infirmitatis suæ rationem „habeant, & exemplis turpitudinum & „scelerum, quæ prætextu cœlibatus passim „in oculos & aures incurrunt, moveantur.„ 3.) Consideretur etiam illud, quod pontificii simpliciter & absolute clericis coniugio interdictum esse statuant, quin imo protervo ore ebuccinent, *coniugia sacerdotum concubinatu & scortatione esse turpiora;* si quis ergo in ministerio ecclesiastico constitutus cœlibatum amplecti velit, diligenter caveat, ne occasionem suspicandi infirmis præbeat, quod horrendam illam Babylonicæ meretricis turpitudinem adprobet, vel ex quadam necessitatis lege ad cœlibatum se adstringi opinetur. 4.) Cœlibatum apostolus coniugio præfert *propter temporum illorum necessitatem*, & quia cœlebs expeditius *curare potest, quæ sunt Domini.* Quod si ergo tempus & vocatio eiusmodi contingat, ut adscita thori socia veræ pietatis studiosa liberetur quis a curis rei familiaris, & hac ratione negotia publica in ministerio ecclesiastico peragenda expeditius subire possit, tum cessat illa ratio apostolica, ac pia coniux est potius adiutorium quam impedimentum. 5.) Quandoque amor & desiderium propagandi ge-

neris ineundi matrimonii causam obiicit, quo in casu quandoque Romanus pontifex in solenni etiam voto dispensavit, ut ex monasteriis quidam extracti, & in thorum coniugalem collocati fuerint, ne ipsorum familia ac genus penitus intercideret; quanto igitur magis in simplici collatione, quando scilicet nondum interceſſit solenne eiusmodi cœlibatus votum, ob generis propagationem & conservationem coniugium cœlibatui erit præferendum? 6.) Denique etiam valetudinis in coniugio vel cœlibatu eligendo habenda est quædam ratio, qua de re sic scribit Claudius Baduellus in tractatu de coniugio literatorum pag 47. *Quantum ad valetudinem conducat moderatus coniugii usus honestaque uxoris consuetudo, medicis & physicis, qui ista profitentur, explicandum relinquo. Guilielmus Bigotius, qui in medicis ac physicis versatus summam harum rerum habet scientiam, aliquando promisit, se de coniunctione matrimonii usuque eius necessario scripturum. Necessarium opinor intelligit, sine quo homo non potest valere.* Hæc Baduellus. Forestus libr. XXVI. observat. medicarum, cap. XX. in schol. *Fœminis concitata Venere, si genitura retenta fuerit, non sine periculo spiritum sæpe præcludit, & suffocantur, temperatus enim congressus ad sanitatem utilis est, ut Galenus in arte parv.* cap. LXXXV. docuit, *nam & semen, si corrumpatur, retentum vertitur in venenum, magis vero mulieribus, quibus abstinentia plus nocet quam viris.* Quæ tamen omnia non nisi de coniugali consuetudine accipienda, nequaquam vero impuris porcis ad libidinis patrocinium dicta. Tradunt medici, multa morborum genera ex abstinentia a coniugio in quibusdam fœminis oriri, ac per coniugium in iisdem terminari; equis ergo dubitet, etiam huius rei in deliberatione de cœlibatu amplectendo quamdam habendam esse rationem? nisi velimus dicere cum jure canonico c. Contraria de consecrat. dist. 5. *Divinæ conditioni contraria esse medicinæ præcepta.* Bellarminus quidem lib. de monach. c. XXXII. resp. ad 4. rat. disputat, *ob periculum morbi vel mortis non licere votum continentiæ violare.* Sed si vel maxime hoc detur, de quo tamen non injuria dubitatur; (cum sanitas ac vita præclara illa Dei dona ob constitutiunculas humanas non sint floccifacienda) nemo tamen prudens & cordatus inficias ibit, in libera electione coniugii vel cœlibatus rationem aliquam sanitatis habendam esse.

§. DIV. *Septima* propositio: *Nullus cœlebs, etiamsi castissime vivat, piis coniugibus sese præferat, ac si apud Deum in maiori gratia sit propter suum cœlibatum.* Hanc regulam proponit Augustinus lib. de virginit. cap. XLIV. *Quis nesciat, obedientem mulierem inobedienti virgini præponendam? sed cum ambæ sint obedientes præceptis Dei, itane trepidabit, sanctam virginitatem etiam castis nuptiis, & continentiam præferre connubio? hæc tamen vel hæc virgo obediens & Deum timens illi vel illi mulieri obedienti & Deum timenti se anteferre non audeat, alioquin non erit humilis?* Idem lib. XVI. de civ. Dei cap. XXXVI. *Solo Dei veroque judicio cum continentia coniugio præferatur, melior tamen est fidelis coniugatus quam continens infidelis, &c. Constituamus ergo ambos bonos, etiam sic profecto melior est coniugatus fidelissimus & obedientissimus Deo, quam continens minoris fidei minorisque obedientiæ.* Aliter ergo pronunciandum de virginitate in *concreto*, aliter in *abstracto*. Virginitas in abstracto considerata est præstantius donum quam castitas coniugalis, sed si in concreto consideretur, virgo non debet absolute & simpliciter coniugibus præferri. Augustinus id demonstrat sequentibus rationibus. 1.) *Unde scit virgo, quamvis solicita sit, quæ sunt Domini,*

VII.) *Nullus cœlebs etiamsi castissime vivat, coniugibus sese præferat.*

quo-

quomodo placeat Domino, ne forte propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio; illa vero mulier, cui se præferre gestiebat, jam possit bibere calicem dominicæ humilitatis, quem prius bibendum discipulis amatoribus sublimitatis opposuit? unde inquam scit, ne forte ipsa nondum sit Tecla, jam sit illa Crispina? Certe, nisi adsit tentatio, nulla doni hujus sit demonstratio. lib. de virg. cap. XLIV. 2.) *Aliquando alter fructuosus est donis paucioribus, sed potioribus, alter inferioribus, sed pluribus, & quemadmodum inter se vel coæquentur vel distinguantur in accipiendis æternis honoribus, quis hominum audeat judicare?* cap. XLVI. 3.) *Facilius sequuntur agnum, etsi non quocunque ierit, tamen quousque potuerint coniugati humiles, quam superbientes virgines.* cap. LI. 4.) *Existimate o virgines aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores, cum aliorum bona forte ignota vobis benigne creduntur a vobis, vestra vobis nota non comparatione minuuntur, sed dilectione firmantur, & quæ forte adhuc desunt, tanto dantur facilius, quanto desiderantur humilius.* cap. LII. Hæc Augustinus, quibus sequentia addi possunt. 1.) Distinguendum est *donum* a *doni usu*. Continentia virginalis est donum præstantius quam castitas coniugalis; interim tamen usus doni posterioris, videlicet castitatis coniugalis potest esse apud quosdam præstantior, quam doni prioris, scilicet continentiæ virginalis. Qui enim in coniugio maiori fide, spe, caritate, humilitate, patientia, mansuetudine, &c. opquæ sunt virtutes Deo in credentibus placentes, ornatus est, is melius utitur dono suo, quam qui in statu cœlibe minori fide, spe, caritate, humilitate, patientia, mansuetudine, &c. Deo servit; nisi enim veri fines accedant, cœlibatus in se ac per se non est Dei cultus. 2.) Coniugium cum sit schola crucis, ideo plures occasiones præbet exercendæ fidei, invocationis, dilectionis & aliarum virtutum, quam cœlibatus, ac pii coniuges in molesta liberorum educatione & informatione magis exercent caritatem, quam cœlibes, iam vero *caritas*, docente apostolo 1 Cor. XIII. est longe præstantius donum in christianis, quam peculiaria illa dona, ad quæ cœlibatus pertinet. Sicut cœlibes (casti) adversus coniuges gloriari possent de hoc miraculoso Dei dono, de immunitate multarum ærumnarum, de mitioribus tentationibus; ita coniuges gloriari præ illis possent de benedictione & gloria partus, sobolis, & incremento ecclesiæ, utrique autem de voluntatis divinæ adorando beneplacito. 3.) In ipso conjugio potest esse maior castitas quam in cœlibatu. Disputant scholastici, coniugalem consuetudinem esse actum virtutis, quando suscipitur ob procreandos liberos; ergo nisi limites excedantur, coniugalis castitas non labefactatur, sed per interiores ustiones in plerisque cœlibibus continentia virginalis sæpius violatur. 4.) Johannis baptistæ virginitatem non audent cœlibatus admiratores præferre coniugio Abrahæ, jam vero nemo potest statum suum cœlibem æquare virginitati Johannis baptistæ; ergo nec præferat eum casto coniugio Abrahæ. Si obvertant, *aliam esse rationem cœlibatus in nov. quam in vet. test.* quærimus ex illis, an cœlibatum otiosi monachi præferre velint conjugio Petri Philogoni, Spiridonis, patris Nazianzeni, Hilarii, &c. quorum opera ecclesiæ utilior exstitit quam decem monachorum otiosorum? 5.) Si fidelis coniugatus judicio & iræ divinæ, cui propter peccatum sese sentit obnoxium, opponat satisfactionem & obedientiam Christi, ac de suis meritis penitus desperans in solo Christi merito omnem fiduciam collocet; contra vero cœlebs suum cœlibatum tanquam satisfactionem & meritum justitiæ & salutis opponat, certe fidelis coniugatus isti pharisaico cœlibi in hoc casu jure & merito longissime anteponitur. Confer

igitur ſtatum & opera piæ coniugis in eccleſiis evangelicis cum ſtatu & operibus monialis virginis in papatu juxta verum ſpiritus judicium. Inter moniales rariſſimæ ſunt, quæ *corpore & ſpiritu ſanctæ:* 1 Cor. VII. 34. plurimæ uruntur internis flammis; v. 9. pia uxor utitur remedio divinitus conceſſo, honorabili ſcilicet matrimonio, Heb. XIII. 4. & διὰ τῆς τεκνογονίας ſalvatur permanens in fide, dilectione, ſanctificatione, &c. 1 Tim. II. 15. Monialis preces certo numero ac pondere Deo expendit, demurmurat pſalmos non intellectos, propter multiloquium ſe exaudiri credit; Matth. VI. 7. pia uxor communis vitæ calamitatibus preſſa orat *in ſpiritu & veritate*, Joh. IV. 23. raro mens in precibus ſerio exardeſcit, niſi igne calamitatum accendatur. Monialis ſibi ipſi crucem fabricat, eligit ἀφειδίαν corporis & alias voluntarias adflictiones; Col. II. 23. pia uxor crucem divinitus ſibi impoſitam patienter ſuſtinet, ideoque vel liberationem vel mitigationem certa fiducia exſpectare poteſt. Monialis ſculptas imagines & templa marmorea ornat atque expolit auro, argento, purpura, cereis candelis, &c. pia uxor vivas Dei imagines & viva Spiritus ſancti templa curat, dum liberos in diſciplina & inſtitutione Domini educat, Epheſ. VI. 4. familiam regit, 1 Tim. V. 14. pauperibus erogat, infirmos viſitat, nudos veſtit. Monialis inſtituta hominum & cultus ab hominibus excogitatos ſectatur, ac partem juſtitiæ illis tribuit longe maximam, quin imo ſe propterea ad perfectionem perveniſſe arbitratur, ſeque opera ſupererogationis etiam aliis communicare poſſe perſuaſum habet; pia uxor vivit in ſtatu ab ipſo Deo inſtituto, ſoli miſericordiæ Dei & Chriſti merito confidit, nemini ſeſe præfert, & in operibus a Deo mandatis ſeſe exercet. Huc referenda ſunt ſimilia piorum veterum dicta. Ignatius in epiſt. ad Phil. VI. αἱ πάρθενοι τῷ χριστῷ ἐν ἀφθαρσίᾳ ὑποτάγητε, ἃ ἐδιλυσσόμεναι γάμον, ἀλλὰ τὸ κρεῖσσον ἀφιεμέναι, οὐκ ἐπὶ διαβολῇ συναφείας, ἀλλ' ἕνεκα τῆς τοῦ νόμου μελέτης, *non abominantes nuptias, ſed id quod præſtantius, amplectentes non in calumniam matrimonii, ſed ut liberioribus animis divinæ legis meditationi vacetis.* Idem in epiſt. ad Smyrnenſ. εἰ τις δύναται ἐν ἁγνείᾳ μένειν, ἐν ἀκαυχησίᾳ μενέτω, ἐὰν καυχήσηται, ἀπώλετο. Concilium Gangrenſe can. X. *Si quis ex his, qui virginitatem propter Dominum ſervant, in coniugio poſitos per arrogantiam vituperaverit, anathema ſit.* Bernhardus homil. I. ſuper Miſſus eſt. *Laudabilis virtus virginitas, ſed magis neceſſaria humilitas, illa conſulitur, hæc præcipitur.* Breviter, *coniugium humile melius eſt virginitate ſuperba*, unde etiam Eraſmus ad verba Auguſtini, *quibus Iovinianum virginitatem coniugio adæquaſſe* ſcribit, in margine adnotavit, *ὦ ſcelus!* innuens veros ſcripturæ limites in cœlibatus encomiis facile tranſiliri, & pios coniuges non minus quam cœlibes Deo placere. Idem in lib. de mil. chriſt. p. 31. *Non auſim explicare quantulum interſit inter cœlibatum & caſtum matrimonium.* (ſi ſcilicet non amplius in abſtracto, ſed in concreto cœlibatus & coniugium ſpectentur) Bellarminus ipſe lib. de monach. cap. XXXIV. reſp. ad 19. *Poteſt fieri, ut virginitas coniuncta ſit in uno homine cum minore caritate & humilitate aliisque virtutibus, quam coniugium in altero homine, idcirco non poſſumus virginem anteponere coniugato, niſi conſtet, in cæteris virtutibus illos eſſe pares.*

B.) *An ad cœlibatum ſuſcipiendum quidam lege adſtringi debeant?*

§. DV. B.) Expoſita per ſeptem propoſitiones priore de cœlibatu quæſtione, ſuccedat ἐργασία quæſtionis poſterioris: *An ad cœlibatum voto aliquo ſponte ſuſcepto, vel lege eccleſiaſtica, quidam homines adſtringi poſſint ac debeant?* Duo ſunt quæſtionis huius membra. Poſterius concernit

cœli-

cælibatum ſacerdotum; ab illis enim, quam primum ad *maiores ordines*, ut vocant, provehuntur, in papatu votum perpetuæ a matrimonio abſtinentiæ exigitur, quod quidam ex lege divina, plerique vero ex lege eccleſiaſtica deſcendere ſtatuunt, qua de re quid ſtatuendum, & an lex illa cœlibatus ſacerdotalis probanda ſit, in tractatu de miniſterio eccleſiaſtico cap. VII. ſect. II. late diſputatum fuit. Prius quæſtionis membrum ſpectat *votum cælibatus a monachis & monialibus in papatu* emiſſum. Tria enim monaſticæ diſciplinæ ſubſtantialia ſtatuunt vota, *caſtitatis*, *paupertatis & obedientiæ*. Thomas II. 2. q. 186. art. 3. & ſeqq. Dominicus a Soto lib. VIII. de juſt. & jure. q. 5. art. 3. De voto *paupertatis & obedientiæ*, deque aliis, quæ in hodierno monachatu jure deſiderantur, alibi agitur, hic de *cælibatus voto*, quale in papatu viget, duntaxat agemus, ubi proponimus hoc theorema generale: *Votum cælibatus, quod in papatu hodie viget, eſt non ſolum ἀγραφον, ſed etiam ἀντίγραφον.* I.) Ἄγραφον eſſe, demonſtramus ex eo, quod 1.) *nullum mandatum*, 2.) *nullum probatum exemplum*, 3.) *nullum promiſſum* de voto cœlibatus adferri poteſt, quomodo igitur ex fide erit, quæ verbum Dei unice reſpicit? In vet. teſt. vota erant pars cultus divini, quia de illis exſtabat expreſſum Dei verbum, quæ vota juxta normam revelatæ voluntatis facta ſibi grata & accepta fore promiſerat; ſed in nov. teſt. nec mandatum, nec promiſſionem, nec probatum aliquod exemplum habemus, quod in faciendis votis cultus Dei in nov. teſt. conſtat; quomodo igitur vota ex fide ad cultum Dei fieri poterunt, cum ſolum & unicum Dei verbum ſit fidei fundamentum, inter verum Dei cultum & ἐθελοθρησκειαν diſtinctionem faciens? Matth. XV. 9. Col. II. 22. Quod adtinet votum Pauli Act. XVIII. 18. XXI. 24. illud 1.) reliquum fuit ex lege ceremoniali vet. teſt. 2.) fuit temporale, 3.) eo unice ſpectavit, ut Judæos lucrifaceret, 1 Cor. IX. 20. quo fine etiam abſtinentia a ſanguinis eſu ad tempus fuit præſcripta; Act. XV. 20. nequaquam vero apoſtolus hoc voluit eſſe exemplum, quod in nov. teſt. chriſtiani ſequentibus eccleſiæ temporibus imitarentur; 4.) ut nihil dicamus de eo, quod eventus ſcopo apoſtoli, quem in hoc voto ſibi propoſitum habuit, minime reſponderit. Quod adtinet vaticinia prophetarum, in quibus etiam in nov. teſt. vota uſitata fore prædicunt, Eſai. XIX. 21. *Vovebunt Domino, & ſolvent*; ad illa reſpondemus ex uſitata regula: *Prophetæ verbis vet. teſt. loquuntur de cultu ſpirituali nov. teſt.* ſicut ſacrificiorum, adſcenſus in montem Sion, reditus in Hieroſolymam &c. mentionem faciunt, quibus nihil aliud quam ſpiritualia nov. teſt. beneficia deſcribunt. Si quæras, an igitur abſolute & ſimpliciter omnia omnino vota in nov. teſt. repudiemus; reſp. ex Luthero in Gen. XXVIII. diſtinguendum eſſe inter *vota ceremonialia* & *moralia*. Ceremonialia ad vet. teſt. unice pertinent, qualia fuerunt votum Naſiræorum, Num. VI. 2. de offerendis primitiis ac decimis, Levit. XXVII. 30. &c. eaque cum ſacerdotio Levitico in nov. teſt. defecerunt. Moralia præſtantur de iis, quæ etiam ſine voto juxta decalogi præſcriptum Deo debentur, qualia ſunt vota fidei, invocationis, dilectionis, obedientiæ, ad quæ homines ideo ſeſe voto obligabant, ut inconſtantia humanæ voluntatis hoc veluti vinculo arctius conſtringeretur. De his moralibus votis dicimus, quod eatenus maneant, quatenus ipſe decalogus in nov. teſt. adhuc manet. Si quis ergo ea, quæ ex mandato legis divinæ debentur, interpoſita peculiari obligatione cum obteſtatione nominis divini Deo promittat, non peccat, nec quidpiam Deo adverſum ſuſcipit; modo non fiat opinione ſatisfactionis pro peccatis ac meriti vitæ æternæ, nec ea perſuaſione, qua-

Votum cœlibatus papale eſt

I.) Ἄγραφον.

quasi sit præstantior Dei cultus, si fiat ex voto, quam si ex obedientia propter mandatum Dei fiat, sed eo tantum fine atque intentione, ut inconstantia humanæ voluntatis arctius constringatur. Chemnitius part. III. exam. conc. Trident. de cœlib. & virg. c. VII. Talis promissio atque obligatio sit in fœdere baptismi, de quo Lutherus serm. de sacro baptism. tom. I. Germ. Jen. fol. 187. quod is *solus sit religiosum christianorum votum*, (accepta scilicet hac voce in significatione laxiore, in stricta enim religionis Israelitarum votis in vet. test. unice competit) *quippe in quo omnium christianorum fit una & communis obligatio ad cultum spontaneum & in verbo præscriptum Deo præstandum. Non admodum desiderabimus.* (scribit Erasmus in enchir. mil. christ. cap. XXXI.) *in eo tria illa vota ab hominibus reperta, qui primum illud & unicum votum, quod in baptismo non homini, sed Christo nuncupavimus, sincere puriterque servaverit.* Præter hoc generale votum, si quis christianus ad peccata cautius vitanda, ad veterem hominem arctius constringendum, ad vocationis officia diligentius expedienda, adeoque ad gloriam Dei & hominum salutem eo melius promovendam, ex spiritu discretionis votum aliquod speciale suscipiat, non peccaverit, modo id fiat absque superstitione & absque opinione necessitatis, cultus, meriti, satisfactionis, &c. modo etiam id, quod vovet, non pugnet cum voluntate in verbo revelata, nec excedat vires divinitus concessas, nec oppositum sit christianæ libertati, Gal. V. 1. Col. II. 20. nec cum scandalo infirmorum coniunctum, &c. denique modo talia vota temere cum nominis divini abusu non multiplicentur.

§. DVI. Sed enim non tam de votis in *genere*, quam de voto continentiæ in *specie* hoc loco soliciti sumus, quando negamus vel *mandatum*, vel probatum *exemplum*, vel divinum *promissum* de eo exstare. Quamvis enim in vet. test. ex libera & spontanea voluntate Deo aliquid vovere licitum & usitatum esset, tamen ipsa voti materia, quid scilicet possint vel debeant homines vovere, non erat in arbitrio voventium relictum, sed expresso Dei verbo traditum ac declaratum erat, quidnam voveri sibi Deus vellet. Sic vovebantur in vet. test. sacrificia, sed quæ sacrificia vovenda sint, præscribitur Lev. VII. Num. LV. ac res votivæ Lev. XXVII. enumerantur hoc ordine: Voveat *se ipsum, animalia, domum, agrum.* Votum adfligendæ animæ per jejunium & abstinentiam describitur Num. XXX. votum abstinentiæ a vino & potu inebriativo fundamentum habet Num. VI. Sed nullus ex vet. test. produci potest locus, in quo Deus expresso verbo testatus fuerit, sibi placere perpetui cœlibatus votum. In nov. test. de cœlibatu dicit apostolus 1 Cor. VII. 25. *Consilium do tanquam misericordiam consecutus a Domino.* & v. 37. *Qui statuit firmius in corde suo non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, se servare virginem suam, bene facit;* sed nulli vel præcipit vel consulit, ut virginitatem Deo voveat, quin potius negat v. 35. *se velle laqueum alicui iniicere;* ac proinde etiam exemplo suo docet, neminem sibi hac in parte laqueum iniicere debere. Quomodo igitur conscientia absque certo & expresso verbo statuere potest, cœlibatus votum Deo placere, cum inter verbum & fidem sit perpetua atque individua relatio? Qua fronte ecclesiæ minister votum cœlibatus sub peculiari opinione cultus proponere & inculcare poterit, cum de eo nec Christi mandatum nec apostolorum institutum exstet? Certe conscientia perpetuo ipsi obiiciet illud Christi: Matth. XXVIII. 20. *Docete eos servare quæcunque præcepi vobis.* Joh. VIII. 31. *Si in sermone meo manseritis, vere discipuli mei eritis.* Cœlibatus in personis idoneis non improbatur, habet enim fundamentum in verbis Christi

sti Matth. XIX. 12. & 1 Cor. VII. 7. Sed de *voto cœlibatus* unice hic quæritur, an illud in nov. test. fundamentum habeat. Aliud est sectari cœlibatum, aliud vovere ac præcipere cœlibatum, sicut aliud est a matrimonio abstinere, aliud matrimonium prohibere. Christus finit eunuchos esse, sed non præcipit, ut sint; permittit absque coniugio manere eum, qui potest, sed addit, *paucos capere posse*, ideoque nemini hic imponit necessitatem. Paulus commendat virginitatis tranquillitatem, dicit *bonum esse virginibus & viduis, si sic permanserint propter præsentem necessitatem*, non reticet, coniuges in carne adflictionem habituros; sed addit ex dono Dei contingere, ut quis & cœlebs & castus simul esse possit. Sic ergo non prohibet, ut sint cœlibes & virgines; sed ubi jam quæritur, an præceptum cœlibatus alteri dare velit, & quod perinde est, an quis sibi ipsi per votum necessitatem cœlibatus imponere debeat, ibi dicit, *se nolle cuiquam laqueum iniicere*: 1 Cor. VII. 35. docet, *melius esse nubere quam uri*, v. 9. *propter fornicationem habendam cuique uxorem suam*, v. 2. *juniores viduas vult nubere*, 1 Tim. V. 14. *episcopum unius uxoris maritum eligi jubet*, 1 Tim. III. 2. ac *prohibitionem matrimonii doctrinam esse dæmoniorum* notanter adserit 1 Tim. IV. 3. Hæc omnia si probe considerentur, manifestum evadet, cœlibatum quidem a Christo & apostolo in personis idoneis probari, sed cœlibatus præceptum, ad quod etiam pertinet votum, quippe per quod sibi ipsi quis necessitatem perpetui cœlibatus imponit, nusquam ab ipsis dari. Quisquis ergo cœlibatum hoc animo atque intentione vovet, ut peculiarem aliquem cultum Dei præstet, is ἐθελοθρησκείαν sectatur, cum destituatur expresso Dei verbo & audire cogetur: Esai. I. 12. *Quis hæc requisivit de manibus vestris?* Matth. XV. 9. *Frustra me colunt mandatis hominum.* Quod autem pontificii disputant, *cœlibatum, si Deo voveatur, esse cultum longe gratiorem & magis meritorium ac satisfactorium opus;* illud non amplius relinquit cœlibatum inter ἐθελοθρησκείας illas, quibus frustra Deus colitur, sed reiicit eum inter doctrinas dæmoniorum. Idem est, ac si dicerent, Deus cœlibatum noluit præcepto aliquo adstringere, & cultum aliquem in eo statuere, sed sub consilio reliquit, nos vero possumus præstantiorem cœlibatum adferre, quam ipse præscripsit; per votum enim cœlibatus eximi potest ab illa libertate divinitus præscripta, & fieri inde opus aliquod maius ac præstantius, quam in decalogi præceptis in genere omnibus proponitur, per quod remissionem peccatorum & vitam æternam non sibi solum, sed etiam aliis homo impetrare possit. Cumque tantus apostolus non audeat adserere, eos, qui donum continentiæ habent, si tamen conjuges esse malint, quam cœlibes, in electione coniugii peccare, illi contra legem ponunt. Ut si quis semel emisit votum continentiæ, etiamsi postmodum sentiat, se dono continentiæ destitui, tamen propter votum non posse eum uti remedio conjugii pro illis, qui uruntur, divinitus instituti, imo non tam graviter eum peccare, qui votum continentiæ præstitit, si libidines expresso Dei præcepto tam severe prohibitas sectetur, quam si coniugium divina institutione omnibus liberum contrahat.

Antithesis & argumenta pontificiorum. I.) ex vet. test. 1.) votum Iephtae Iud. XI. 39.

§. DVII. Proferunt autem pontificii quædam vet. & nov. test. dicta & exempla, quibus votum cœlibatus demonstrare nituntur. Ex *vet. test.* proferunt I.) exemplum *Iephtæ*, qui *filiam suam perpetuæ virginitati devovit.* Jud. XI. 39. Resp. 1.) Quidam existimant, quod Jephtah filiam suam mactaverit in holocaustum ex χαχοζηλία Abrahæ, Gen. XXII. 4. (qui tamen non immolavit filium, sed accepto Dei mandato sese promtum ad obediendum demonstravit) & ex falso intel-

tellectu legis Lev. XXVII. 29. *Omne devotum, quod devovetur, ab homine non redimetur, sed morte morietur.* (ubi tamen agitur de hominibus impiis anathemati ac maledictioni subiectis, qui omnino erant eradicandi) Ita statuit Targum, Chaldæus, Rabbini antiquissimi, Josephus lib. V. antiq. cap. Hieronymus in epist. ad Jul. Ambrosius lib. III. de virg. lib. III. de offic. c. XII. Augustinus q. 49. in lib. Judic. *) & alii argumentis usi eiusmodi, quod nulla lex antiquitus fuerit, ut puellæ virginitatem voverent, quin potius maledictionis loco censebatur, si mulier sterilis decessisset; quod non sit verisimile, sanctos promissionem illam divinam, *si observaveritis legem meam, non erit inter vos sterilis*, Exod. XXIII. 26. votis suis impedire voluisse; quod Jephta non requisiverit consensum filiæ, qui in eligenda ac vovenda virginitate fuisset omnino requisitus; quod Jephtah dicatur *feciſſe juxta votum ſuum*, jam vero expresse promiserat, se Domino in holocaustum oblaturum, quidquid ipsi in foribus domus occurrerit; quod Jephtah tantopere expaveſcit, & *veſtimenta ſua lacerat*, at si non fuisset occidenda, non fuisset sufficiens doloris causa, quia virginitas animo promto erat Deo offerenda; quod sodales eam deploraverint; quod Judæis nec hodie votum virginitatis usitatum, &c. Hanc hypothesin si amplectamur, ex Jephtæ facto cœlibatus voto nihil subsidii accedit. 2.) Quidam existimant, quod *Deo filiam* suam *conſecraverit*, ac proinde eam non immolaverit, sed *civili tantum morte mulctaverit* **) a communi conversatione eam separando, *ut Deo tantum vixerit vacando precibus & aliis pietatis exercitiis.* Hanc sententiam

*) BALDVINVS in casibus conscientiæ lib. II. cap. VIII. cas. 4. multis probat, *Iephtam filiam ſuam Deo in ſacrificium obtuliſſe & immolaſſe.* ** GERHARD.

** Præter BALDVINVM, quem heic excitavit GERHARDVS, fuerunt & alii ex recentioribus, qui in eandem ingressi sunt sententiam. Eminent ex iis LVDOVICVS CAPELLVS, theologus quondam reformatus, in singulari diatribe *de voto Iephtæo* in *operibus poſthumis p.* 424. ex nostratibus AVG. PFEIFFERVS, cuius pariter peculiaris de hocce argumento exstat dissertatio, quæ septima est inter eas, quæ *dubiis* eius *vexatis* sunt adiectæ, *p.* 154. *ſeqq.* itemque ex cœtus romani doctoribus NATALIS ALEXANDER, in *hiſt. eccleſiaſt. vet. teſtam. aetate mundi IV. diſſert. XIX. p.* 55. *ſeqq.* Ut complures alios taceamus. Hoc unicum adiicimus, longius heic progressum esse theologum quondam Batavum, cui nomen est GERDRE, statuentem, sacrificium, quod JEPHTA immolatione filiæ suæ unicæ Deo obtulisse dicitur, fuisse typum quendam, eundemque perfectissimum sacrificii Christi in cruce peracti, quod ad antitypum suum rite delineandum proxime accesserit. Vid. eiusdem *ſermon ſur le voeu de Iephthe*, Rotterdam *MDCLXXXVII. p.* 30. Uberius cogitata huius auctoris recensuit JAC. SAVRINVS *in den Betrachtungen über die wichtigſte Begebenheiten des alten und neuen Teſtaments, part. I. p.* 1248, 1249.

**) Quum virgines in gente ebræa, quæ Deo erant consecratæ, perpetuam servare debuerint virginitatem, hoc revera perinde erat, ac si *civiliter* essent *mortuae*. Hinc & filia JEPHTÆ bimestre spatium ad *deflendam virginitatem* sibi a patre suo concedi postulavit, prout refert scriptor sacer *Iud. XI.* 37, 38. Colligimus exinde, receptam olim apud gentem Ebræam fuisse consuetudinem, ut virgines, votis a parentibus Deo dicatæ, ac proinde nunquam nupturæ, *virginitatem* ad tempus aliquod *deflerent*, hoc est, flerent, quod servanda sibi esset virginitas, nullæque ipsis nuptiæ unquam sint exspectandæ. Atque hæc ipsa facti circumstantia, a scriptore sacro memorata, quod nimirum filia Jephthæ *virginitatem* defleverit, haud leve nobis suppeditat argumentum, quo sententia eorum, qui puellam hancce mactatam fuisse volunt, refelli potest. Quod si enim sciviſſet puella, se, ex voluntate parentis sui, immolandam esse, *vitam* deflere oportuisset, non *virginitatem*,

ut

tiam amplectitur Rabbi David Kimchi *), qui copulativum ו in verbis Jephtæ Jud. XI. 30. exponit per particulam alternativam: *Quidquid egrediendo domo egredietur, erit Iehovæ, & offeram illud holocauſtum*, id eſt, ſi eiusmodi fuerit, ut queat ſacrificari, ſacrificabitur, ſin vero ſecus, Domini erit, & ei dilabitur. (at ו raro ita accipitur, uſitata eius ſignificatio eſt copulativa, ac per ἐπεξήγησιν videtur hic poni, *erit Domini, quia offeram illud in holocauſtum*) Expendit etiam illud, quod puella ſpatium ſibi dari petat, ut *virginitatem*, non autem vitam ſuam defleat v. 37. at ſi fuiſſet immolanda, vitam cumprimis deploraſſet; (ſed reſponderi poſſet, eam cumprimis hoc nomine mortem luxiſſe, quod absque liberis ſibi moriendum eſſe videbat, hoc enim in vet. teſt. opprobrii loco habebatur Gen. XXX. 23. 1 Sam. I. 6.) quibus addi poſſet etiam illud, quod v. 40. filiæ Iſrael *annuatim iviſſe dicuntur*, לְתַנּוֹת, *ad adloquendam filiam Iephtæ quatuor diebus in anno.* (quæ tamen verba ab aliis ſic explicantur, *quod celebraverint eius memoriam & recordatæ fuerint ſermonum, quos cum ea inſtituerant*) In eadem ſententia eſt Rabbi Levi Ben-Gerſon, qui hoc urget, quod v. 39. dicatur, *fecit Iephta ei juxta votum ſuum*; at ſi eam immolaſſet, dictum fuiſſet: *& immolavit eam Domino*, (at ex ſuperioribus conſtat, quale fuerit illud votum, videlicet non de virginitate, ſed de immolatione) & quod explicationis gratia addatur לֹא יָדְעָה אִישׁ, *non cognovit ipſa virum*, quaſi ex eo colligi poſſit, quale ſacrificii genus ſit intelligendum. (atqui poſſunt etiam hæc verti in plusquamperfecto: *non cognoverat illa virum*, ut ſit explicatio eorum, quæ v. 34. habentur, *ipſa erat tantum unica, & non ei ex ſe filius vel filia.*) Quidquid ſit, ſi vel maxime poſteriorem illam ſententiam amplectamur, quod facit Lyranus & quidam alii recentiores, non tamen ex ea votum cœlibatus ſtabilietur. *a.*) Quia non exemplis, ſed legibus judicandum, ac ſingularia exempla non poſſunt trahi ad imitationem. *b.*) Quia parentes absque liberorum conſenſu perpetuæ virginitati eosdem conſecrare poſſe ex hoc exemplo colligi poſſet. *c.*) Quia Spiritus ſanctus hoc exemplum tantummodo recitat, non autem laudat, & ad imitationem proponit. *d.*) Quia Jephtam incaute egiſſe, patet ex eo, quod neſciverit, vel non adtenderit, lege divina cautum eſſe, ſi quis vel ſuam vel alterius perſonam ſub poteſtate ſua conſtitutam Deo voverit, eam certa pecuniæ ſumma iterum redimi poſſe, Lev. XXVII. 3. & 4. *e.*) Denique quia in tota lege moſaica nihil quidquam occurrit de morte illa civili, qua viri aut mulieres coniugio in perpetuum ſe abdicarint, ergo hoc exemplum non congruit cum regula. Naſiræi quidem a vino & omni potu, qui inebriaret, ex voto abſtinebant, Num. VI. 2. ſed interim a coniugio non abhorrebant. Simſon & Samuel Naſiræi erant, interim a coniugio non erant alieni. Jud. XIII. 5. 1 Sam. VIII. 1.

§. DVIII.

ut recte iudicat JO. CLERICVS, in *comment.* ad *h. l.* Ut complures alias, quæ hanc ſententiam premunt, difficultates, in rerum præſentia haud commemoremus.

*) Fuerunt quoque quam plurimi ex cœtus chriſtiani ſcriptoribus, qui eandem cum DAVIDE KIMCHIO aliisque ebrææ gentis doctoribus adoptarunt ſententiam. Sufficiat ex iis heic laudaſſe DANIELEM HEINSIVM, THEODORVM HACKSPANIVM, SALOM. GLASSIVM, JO. CLERICVM, JO. FRANC. BVDDEVM, atque JAC. SAVRINVM, quem ſupra jam laudavimus. Diximus & nos nonnulla ad hocce argumentum ſpectantia, in *obſervationibus* noſtris ad verſionem germanicam FLAVII JOSEPHI *antiquit. jud. libr. V. cap. VII.* §. *X. p.* 146. edit. Tubing.

2.) *Exemplum Raziae 2. Maccab. XIV. 38.*

§. DVIII. II.) *Exemplum Raziæ*, de quo 2. Maccab. XIV. 38. dicitur, *quod multis temporibus continentiæ propositum tenuerit in Iudaismo, corpusque & animam tradere contentus fuerit pro perseverantia.* Hoc exemplum urget Lyranus in comm. Resp. 1.) Liber hic est extra canonem. 2.) Si vel maxime Razias continentiæ votum fecisset, non tamen propterea statim id probandum vel imitandum foret, quia non habetur de eo expressum Dei verbum. 3.) Idem Razias exemplo minime probando se ipsum interfecit. 4.) Sed prætermissis illis omnibus hoc unicum urgemus, quod in textu originali nulla fiat mentio de voto perpetui cœlibatus. Sic enim Græca habent: Ῥαζίας ἀνὴρ φιλοπολίτης καὶ σφόδρα καλῶς ἀκούων, καὶ κατὰ ἔυνοιαν πατὴρ τῶν Ιουδαίων προσαγορευόμενος, ἦν γὰρ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις τῆς ἀμιξίας κρίσιν εἰσενηνεγμένου Ιουδαϊσμῷ καὶ σῶμα καὶ ψυχὴν ὑπὲρ τῷ Ιουδαϊσμε παραβεβλημένου μετὰ πάσης ἐκτενίας. Per ἀμιξίαν Chemnitius intelligit *separationem a gentilibus*, & hoc modo explicat, Razias superioribus temporibus secessionis, scilicet a profano cum gentibus commercio cum actiones judiciales propter Judaismum intentarentur, corpus & vitam pro Judaismo obiecerat. Potest etiam hoc modo verti, quod *sinceritatis propositum in Iudaismo tenuerit*, id est, quod sincere in religione Judaica perstiterit, neque quidquam ethnicæ impietatis ac idololatriæ illi admiscri passus fuerit, quin & vitam suam pro retinenda perseverantia in vera religione tradere intentus fuerit. Lucianus ἀμιξίαν tribuit Timoni, quod se aliis hominibus non immisceret, sed eorum consortium vitaret. Ἄμικτοι dicuntur non utentes commercio. Quid per ἀμιξίαν hoc loco intelligendum sit, colligi potest ex hac observatione: Cum vicini reges vexarent Judæos, eorumque religionem exstinctam cuperent, factæ sunt duæ populi partes, unam constituebant οἱ ἀγαθοὶ καὶ ὅσιοι τῷ ἔθνες, ut eos vocat Josephus lib. XII. c. XVII. veræ religionis retinentes, qui in libris Judæorum dicuntur חסידים in l. Macc. Ασιδαῖοι, alteram partem constituebant οἱ ἀποστήσαντες ἀπὸ τῷ Ισραὴλ, impii apostatæ & legis proditores, פושעים מישראל a Judæis vocati. Casaubonus exerc. I. ad ann. Baronii c. IX. Razias ergo dicitur fuisse ex piorum numero. Lutherus ad sensum respiciens reddidit: *Auch war er vor dieser Zeit darum verklagt und verfolgt gewest, und hatte Leib und Leben männlich gewagt über der Iüden Glauben.* Ex illa igitur in religione Judaica constantia cum vitæ periculo coniuncta, non autem ex cœlibatus voto honorificum illud nomen sortitus fuerat Razias, quod pater Judæorum cognominatus est.

II.) *Ex nov. test.* I.) *Matth. XIX. 12. Sunt eunuchi qui se castrant propter regnum cœlorum.*

§. DIX. Ex *nov. test.* hæc fundamenta adferunt I.) Matth. XIX. 12. *Sunt eunuchi, qui se castrant propter regnum cœlorum. Ipsa eunuchorum adpellatio*, scribit Bellarminus lib. II. de mon. c. XXIII. *perspicue indicat votum; non enim est eunuchus, qui solum continet, sed qui non potest non continere. Eunuchi autem, de quibus hic agitur, non coguntur continere ex vitio naturæ, nam ab his eos Christus ipse sejunxit, neque coguntur continere ex lege aliqua communi, nulla enim lex est prohibens nuptias absolute, igitur id solum remanet, ut non possint ex lege particulari sponte adsumta, id est, ex voto. Idem etiam colligitur ex illo verbo:* Qui se castraverunt. *Nam si Dominus loqueretur de his, qui sine ullo voto cœlibes vivunt, diceret, qui se castrant quotidie, non qui se castraverunt. Cum ergo dixerit:* qui se castraverunt; *significat eos unica actione voluntaria amputasse sibi omnem facultatem*

*tatem contrahendi nuptias.**) Resp. 1.) Ex hoc ipso loco contra pontificium cœlibatus votum argumentum ducimus, quod donum continentiæ extra coniugium non sit ita comparatum, ut quisquis cœlibatum elegerit ac voverit, modo velit & petat, possit illud habere, sed quod sit *donum speciale*. Cum enim apostoli audientes, matrimonii vinculum esse tam arctum atque excepta unica adulterii causa penitus indissolubile, in hæc verba erumperent: *Si negotium hominis cum uxore ita comparatum est, non expedit nubere;* diserte Christus respondet, *non omnes hoc verbum capere, sed quibus datum est.* 2.) Cæterum ut eo clarius Christus explicet, quinam ad cœlibatum apti sint, constituit duo eunuchorum a matrimonio abstinentium genera, quidam *corpore*, quidam *animo ac spiritu* tales sunt. Corpore tales, iterum sunt duplices, quidam eunuchi *nati ex utero matris*, hoc est, jam inde a prima nativitate vitio aliquo naturali ad coniugium inepti, quidam vero eunuchi *facti ab hominibus*, hoc est, per violentiam ab illis castrati. Theophylactus quidem in comm. posterius hoc membrum de eunuchis spiritu talibus accipit, sic enim scribit: *Ab hominibus eunuchus fit, qui ex humano præcepto carnalis concupiscentiæ incendium exscindit, cui opponit eum, qui se ipsum castrat, hoc est, qui non ab alio, sed se ipso doctus est & sua sponte ad continentiam inclinatur;* qua ratione solum primum membrum de eunuchis corpore talibus ageret, duo autem postrema de eunuchis animo & spiritu talibus: sed rectius accipitur de eunuchis corpore, qui per violentiam castrati sunt, alias genus quoddam eunuchorum in adcurata illa tractatione fuisset prætermissum. Eodem modo exposuit Hilarius in comm. *In uno* (inquit) *posuit Christus naturam, in altero necessitatem, in tertio voluntatem.* Duobus illis eunuchorum generibus, qui tales sunt vel *per naturam internam*, vel *per violentiam externam*, opponit Christus eunuchos *animo ac spiritu* tales, qui se ipsos *eunuchos fecerunt propter regnum cœlorum*, id est, qui cum nec per naturæ vitium, nec per hominum maleficium eunuchi essent, sed apti ad coniugium, tamen libere ac sponte ab eo abstinent, adeoque respectu coniugii ita se gerunt, ac si corpore eunuchi essent. Ori-

*) Hæc cardinalis BELLARMINI obiectio, ex *Matth. XIX.* 12. petita, exinde facile dilui potest, quoniam verba servatoris *loc. cit.* prolata, ut cuivis facile patet, nudam duntaxat quorundam factorum continent recensionem, nullam vero eorundem adprobationem, multo minus præceptum quoddam innuunt. Quod speciatim ad ultima huius oraculi verba, in quibus eorum, *qui se ipsos castrarunt* mentio iniicitur, attinet, in iis servator optimus procul dubio digitum intendit in sui temporis *Essenos*, ex quibus multi, teste *Philone Iudaeo*, a coniugio, religionis ac maioris sanctitatis prætextu abstinuerunt, quod & *Anachoretae*, itemque *Therapeutae*, quos nonnulli pro *Essaeis* habent, fecerunt, eo tamen discrimine, ut nonnulli eorum *decennium*, aut *octennium*, aut *quadriennium* virginitatis ubi præscripserint, eo quidem fine, ut hac ipsa ratione vitam sempiternam citius promererentur. Jam vero hoc ipsum institutum *loc. cit.* neque laudat servator, neque in exemplum aliis proponit, sed, prout ex ipsis eius verbis dispalescit, æque ac duo priora *eunuchorum* genera, tantum commemorat, atque mox subiicit, *qui capere potest, capiat*, h. e. qui cœlibatum voluntarium sectari potest, ac continentiæ dono a Deo est instructus, *capiat illud*, adeoque a matrimonio abstineat. Quibus vero id datum non est, iis expedit, ut in matrimonio potius, quam in cœlibatu vivant. Si quidem præstat nubere, quam concupiscentiæ funestis facibus uri. Falsum itaque est, quod nonnulli contendunt, Christum omnibus atque singulis suis sectatoribus cœlibatum, ut eminentiorem perfectionis gradum, heic præscribere. Vid. GVIL. SELDENVM in *otiis theolog. libr. III. exerc. VI. §. V. p. 501.*

Origenes hoc tertium membrum itidem accepit de eunuchis corpore talibus *); unde ex præpostero amore cœlibatus se ipsum castravit; (simile exemplum commemorat Wierus lib. III. de præst. dæm. c. XVIII. de quodam monacho, qui a fratribus voti fracti adcusatus testes per chirurgum sibi amputari curavit, ut fratres re ipsa ad oculum confunderet) sed hunc verborum Christi perversum intellectum graviter refellit Chrysostomus hom. LXIII. in Matth. ὃ τῶν μελῶν λέγει τὴν ἐκτομὴν, ἄπαγε, ἀλλὰ τῶν πονηρῶν λογισμῶν τὴν ἀναίρεσιν, ὡς ὅγε τὸ μέλος ἐκτεμὼν καὶ ἀρᾶς ἐστὶν ὑπεύθυνος. *Non de abscissione membrorum dicit, abscit, sed pravæ cogitationis interemtionem intelligit, nam qui membrum incidit, maledictioni subiectus est, homicidæ enim opus, qui tale quid tentat, adgreditur, & Dei opificium criminantibus occasionem præbet. Manichæorum ora recludit, & eamdem iniquitatem committit cum illis, qui apud gentes mutilantur, &c.* ac postea nominat δαιμονικῆς ἐνεργείας καὶ σατανικῆς ἐπιβελῆς ἔργον. 3.) Ergo per *eunuchos, qui se ipsos castraverunt*, intelliguntur illi, qui cum ad coniugium apti essent, tamen sponte ac libere ab eo abstinent, ac deliberato animi proposito *propter regnum cœlorum* (qua phrasi quid intelligatur, superius fuit expositum **) ita sibi a coniugio temperant, ac si corpore eunuchi essent. Theophylactus in comm. *Qui se ipsos eunuchos faciunt, non sunt, qui verenda sibi ipsis amputant, maledictum enim hoc, sed quod continentes sunt.* Ita enim illud εὐνούχισαν ἑαυτὸς exponit apostolus 1 Cor. VII. 37. *Qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis & hoc judicavit in corde suo.* De *firmo* igitur cœlibatus *proposito*, non autem de *voto* cœlibatus proprie & specialiter sic dicto Christus loquitur, neque aliud quidquam vel ex adpellatione eunuchorum, vel ex usurpatione verbi εὐνουχίζειν in tempore præterito Bellarminus exsculpere poterit. Concedimus, personas ad cœlibatum idoneas posse concipere firmum aliquod ac fixum a matrimonio abstinendi propositum, quod si quis in generali & abusiva significatione votum cum

*) Mirum haud immerito videri potest, insignem hunc cœtus christiani doctorem, cum alias universam fere scripturam in *allegorias* vertere adsuetus erat, fere unicum hoc servatoris oraculum, *sunt* eunuchi, *qui propter regnum coelorum se ipsos castrarunt, secundum litteram* sumendum duxisse, atque ob hanc ipsam rationem semetipsum eviraſſe. Tradit hoc ipsum EVSEBIVS *Caesarienſis*, qui factum hocce ORIGENIS refert, insimulque observat, eundem *simplicius ac juvenilius* hocce effatum *accepisse, partim, ut Servatoris nostri verbum adimpleret, partim vero, ut omni obscoeni rumoris & calumniae occasionem infidelibus adimeret, eo quod ipse, aetate juvenis, non solum viris, sed & foeminis divinae fidei praecepta tradebat, dictum servatoris re ipsa exsequi adortus est.* Vid. eiusdem *hist. eccleſiaſt. libr. VI. cap. VIII.* Fuerunt vero, quod paucis hic notamus, jam ante ætatem ORIGENIS, statim post apostolorum tempora, haud pauci, qui effato isto turpiter sunt abusi, dum pariter *ad litteram* verba servatoris accipientes, insana superstitione se ipsos eviscerare occœperunt. EPIPHANIVS *tom. I. oper. libr. II. p.* 230, 231, eos *sectam Eunuchorum*, sive *Valesios* adpellavit. Hos seculo tertio secutus est ORIGENES, qui alios in eandem pertraxit dementiam. Atque hinc factum est, ut patres concilii *Nicaeni* peculiarem canonem condiderint, quo castratos, religionis ergo, a clero eccleſiaſtico arcendos esse decreverunt. Atque huic constitutioni prorsus consentaneum est, quod in *canone apost. cap. XXI.* hisce verbis effertur: *qui sibi ipsi virilia amputavit, clericus non efficitor, sui enim ipsius homicida est, & inimicus creationi Dei.* Plura hanc in rem legi possunt apud SELDENVM *loc. cit. p.* 500. *seqq.* Add. BINGHAMVM *orig. eccleſiaſt. Vol. II. p.* 133. *seqq.*

**) Vid. supra §. *D. p.* [illegible].

cum veteribus adpellare voluerit, non magnopere refragabimur, modo discrimen inter tale propositum & votum pontificium, specialiter ac stricte sic dictum, constituatur, qua de re sic scribit Chemnitius part. III. exam. conc. Trid. de cœlib. & virg. c. VIII. p. 51. *Si quis donum continentiæ ex Deo habet, & pro ratione vocationis firmo ac constanti animi proposito quasi sistens se Deo constituat, se in vita cœlibe, ad quam donum habet, juxta verbum curaturum, quæ sunt Domini, is si non opinione justificationis, quæ solius Christi meritum ac beneficium est, hoc faciat, nec tali proposito aut decreto sibi iniiciat laqueum, abiurato in perpetuum, quicunque etiam casus inciderit, matrimonio, benefacit. Non leviter sane aut temere sine necessitate aut gravi causa propositum illud, quod interposita quasi testificatione Dei decretum est, mutari debet; sed tamen non debet esse laqueus, si recte servari non possit, aut si servatum pugnet cum fine cœlibatus, quem Paulus præscripsit. Sicut qui coniugium eligit, non perpetuo voto se obligat, ut non liceat, si possit, ex utriusque consensu ad tempus abstinere, vel postea in viduitate permanere. Hoc propositum aut decretum, si quis cum veteribus votum cœlibatus vocare velit, si res ipsa cum præscripto Pauli congruat, & conscientiæ libertas servetur, de vocabulo non litigabo. Nec tale votum includit abiurationem coniugii in perpetuum, usitata enim exceptio seu limitatio, in quantum humana fragilitas permittit, videtur vetus formula esse ostendens, votum cœlibatus primum non fuisse absolutum, sed conditionale, hoc sensu: Constituo seu voveo me in cœlibatu caste victurum, sed hac conditione, exceptione & limitatione, si humana fragilitas hoc non permittat, ut liberum mihi sit, remedio coniugii contra ustionem & scortationem divinitus illis, qui continere non possunt, ordinato uti. Quod igitur ad vocabulum adtinet, per se sane non multum refert, si votum cœlibatus adpelletur propositum illud, quod Paulus suis verbis describit 1 Cor. VII. qui statuit in corde firmus. Quamquam proprie loquendo aliud est propositum cordis, quod quis apud se in corde suo statuit & decrevit, & aliud est votum, ad quod dicunt requiri voluntatis intentionem, rationis deliberationem, cordis promissionem, oris expressionem, promissionis testificationem, seu confirmationem Deo factam, interposita obtestatione nominis divini & addita sive explicite sive implicite exsecratione, si non servetur.* Hæc nervose & graviter Chemnitius quæ multis pontificiorum argumentis satisfacere possunt, si recte observentur & adplicentur. Idem tamen postea recte adiungit: *Quia vota in regno pontificio ita sunt contaminata, ut ipsum etiam vocabulum, sicut pontificiis usitatum est, depravationem rerum secum trahere videatur, & per illud veritati in fidiæ struantur, ideo tutius & rectius fieri, si planis ac simplicibus verbis Pauli sententia tradatur & explicetur, a quibus scilicet, quo modo, quo fine & qua conditione cœlibatus eligendus seu suscipiendus sit.* 4.) Sed redeamus ad Bellarminum. Is ex verbis Christi evincere conatur per *eunuchos, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum*, non posse intelligi, nisi eos, qui continentes sunt ex voto. Atqui si id locum haberet, consequens fuerit, multos, antequam Christus personis ad cœlibatum idoneis liberum eum hic reliquisset, vovisse castitatem, cum in *præterito* dicat, esse plures, qui se *castraverunt*. Ex quibus vero historiarum monumentis talium cœlibum, qui vet. test. ac Christi in terris docentis tempore ex voto proprie & specialiter sic dicto a matrimonio abstinuerint, exempla nobis proferet Bellarminus? Constat certe manifestissime, ac nulla veritatis specie negari potest, tempore vet. test. cœlibatum ac sterilitatem opprobrii loco fuisse habitam, tantum abest, ut solen-

ni voto cum abiuratione coniugii coniuncto ad eum sese multi adstrinxerint. *Israelitarum mores*, inquit Augustinus lib. de S. virg. c. IV. *votum virginitatis adhuc*, (eo scilicet tempore, quo Maria dicebat: *virum non cognosco*) *recusabant. Prima fœminarum*, ait Beda in Luc. I. de Maria virg. *tantæ se virtuti mancipare decrevit.* Unde quidam ex ipsis pontificiis statuunt, *votum cœlibatus in nov. demum test. a Christo & apostolis fuisse institutum.* Bellarminus in propria huius doctrinæ sede nullum ex vet. test. fundamentum pro adstruendo cœlibatus voto adducit; quin imo in lib. de matr. cap. XVII. resp. ad 4. obiect. diserte scribit, *perpetuum cœlibatum non fuisse in veteri lege usitatum.* 5.) Consequens fuerit etiam illud ex Bellarminiana hypothesi, quod nemo possit dici *se ipsum castrasse propter regnum cœlorum*, nisi votorum nexibus fuerit illigatus, qua ratione non solum multi martyres & virgines, sed ipsi etiam apostoli, qui sine voto cœlibes fuerunt, castitatis laude privarentur. 6.) Quin & hoc sequeretur, ut solos, ita & omnes monachos ac sacrificulos, qui votum cœlibatus præstiterunt, recte dici *propter regnum cœlorum se castrasse*, si genuina & nativa illa esset huius phraseos significatio, quam Bellarminus urget. Sed neutrum dici potest, non prius, ut iam ante demonstratum, nec posterius, quia ut Erasmus conqueritur, *multos clericos hodie ecclesiastici census potius castrant quam pietas*; ac multi monachi ideo se castrant, ut in claustris suis delicatius in pingui otio vivere possint, sicut Palingenius de illis canit:

Proh pudor, hos tolerare potest ecclesia porcos,
Duntaxat ventri, Veneri, somnoque vacantes.

7.) Adducit quidem Bellarminus pro confirmanda sua interpretatione patres, sed illi nequaquam dicunt id, quod Bellarminus eos dicere fingit. Epiphanius hær. LVIII. Valesiorum ne verbo quidem voti meminit, quin & *apostolos* inter eos, qui se propter regnum cœlorum castraverunt, numerat, quos cœlibatum voviſse facilius dicitur, quam probatur; ac virgines ab illis, qui monasticam vitam degunt, distinguit, quo ipso ostendit, virgines fuisse, qui se monasticæ vitæ per vota cœlibatus non addixerant, de quibus nihilominus dici possit, quod *propter regnum cœlorum* per virginitatis propositum sese castraverint. Hieronymus in comm. virginitatis præceptorum meminit, & lib. I. in Jovin. eos dicit *se ipsos castrare, qui templum se Deo purissimum & holocaustum acceptissimum offerunt*; sed hæc omnia in simplice ac libero cœlibatus proposito locum habere possunt, si vel maxime non accesserit votum. Præcepta enim illa non obligant, nisi volentes, ac velle possunt etiam ii, qui non voverunt cœlibatum. Augustinus lib. de virgin. c. XXX. *voti* nomen habet, sed per votum nihil aliud intelligit, quam firmam & constantem animi sententiam ac propositum, ut constat ex eius verbis in comm. Psalm. LXXV. *Alius vovet Deo castitatem coniugalem, ut præter uxorem suam non noverit aliam. Alii etiam vovent, etsi experti coniugium, ultra nihil tale pati, in viduitate scilicet permanere, & ipsi vovent aliquid maius quam illi. Alii virginitatem ipsam ab ineunte ætate vovent, & isti voverunt plurimum.* Fulgentius de fid. ad Petr. c. III. *Quisquis*, inquit, *se castraverit propter regnum cœlorum, & in corde suo continentiam voverit.* At corde solo non potest solenne continentiæ votum fieri, ut ipsi pontificii statuunt, sed requiritur præter *cordis intentionem* etiam *oris professio*; loquitur ergo Fulgentius tantum de animi proposito & fixa cordis sententia.

§. DX. II.) Luc. I. 34. *Beata virgo, audiens concepturam ac parituram filium respondet:* Quomodo fiet istud,

II.) *Luc. I. 34. Virum non cognosco.*

istud, quoniam virum non cognosco? *Quibus verbis significat se impedimentum habere, quo minus filium concipere & parere posset. Impedimentum autem illud non aliud esse potuit, quam votum continentiæ jam emissum. Illa enim verba:* virum non cognosco; *non significant, jam actu non cognosco, sed non licet mihi cognoscere, alioquin ineptissima interrogatio fuisset, cum possit statim responderi, etsi nunc virum non cognoscis, tamen paulo post cognosces. Cur autem prohiberetur, nulla ratio reddi potest nisi votum, nam & virum habebat, & juvenis erat, nec est credibile, sterilem aut impotentem fuisse, vel certe id ipsa scire nondum poterat, cum ad virum nondum pervenisset. Nec denique prohibebatur virum cognoscere, lege aliqua communi, ut notum est, igitur lege particulari, id est, voto.* Resp. 1.) In vet. test. nullum exstat mandatum vel exemplum probatum vovendæ perpetuæ virginitatis, quin & illis, qui Deo devoti erant, in vet. test. licuit matrimonium capessere, ut Simsonis & Samuelis exemplo ostendimus superius; ecquis igitur credat, Mariam sine certo ac expresso Dei verbo propria ac privata quadam intentione tale votum fecisse? 2.) Opinioni de voto perpetuæ virginitatis a Maria emisso fortissime repugnat desponsatio facta Josepho, Luc. I. 27. propter quam Josephus dicitur ἀνὴρ Μαρίας, Matth. I. 16. & Maria dicitur γυνὴ Ιωσὴφ Matth. I. 20. Luc. II. 5. Ut enim Hieronymus loquitur in comm. Matth. I. & citatur c. Genuit. 27. q. 2. *Consuetudinis est scripturarum, quod sponsi viri & sponsæ vocentur uxores.* Ibidem: *Non ab alio inventa est gravida, nisi a Joseph, qui pene licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat.* Origenes hom. I. in Matth. & cit. c. Inventa caus. & q. iisdem: *Joseph licet eam non contingeret, futuræ tamen, ut putabatur, uxoris omnia noverat.* Ambrosius de inst. virg. c. VI. & citatur c. cum initiatur. caus. & q. iisdem: *Cum initiatur coniugium, coniugii nomen adscisitur, non cum puella viri admixtione cognoscitur.* Et addit Gratianus: *Ecce, quod in desponsatione coniugium initiatur.* Gregorius in epist. ad Mauritium, & habetur c. Qui desponsatam. ibidem: *Divinæ legis est mos sponsas adpellare coniuges, unde in evangelio dicitur: Accipe Mariam coniugem tuam.* Ex quo sic concludimus: Quæcunque alteri se patitur desponderi, ut fiat eius coniux, ea non emisit votum virginitatis, alias enim γάμον ἀγαμον contrahendo Deo & hominibus illudere videri posset. Sed Maria passa fuit se Josepho desponderi. Ergo. Bellarminus respondet, hoc argumentum *duobus modis* solvi posse. *Primo, si vel maxime daretur, b. virginem cum Josepho matrimonium contraxisse animo consummandi matrimonium; adhuc tamen non sequeretur, eam, cum dixit:* quomodo fiet istud? *non habuisse votum virginitatis, potuit enim hoc votum emisisse post coniugii celebrationem, & tamen ante angelicam salutationem,* ut docet Thomas part. III. q. 28. art. 4. *ita ut primum nuptiæ celebratæ sint. Deinde antequam ad matrimonii consummationem veniretur, b. virgo votum virginitatis emiserit ipso Josepho consentiente, & ut pie creditur, etiam simul vovente.* Atqui non ex nudis coniecturis adserendum, sed ex evangelica historia probandum fuisset, Mariam post sponsalia cum Josepho celebrata votum virginitatis emisisse. Contrarium demonstramus hoc modo: Aut insscio Josepho sponso Maria votum virginitatis emisisset, aut eodem consentiente. Prius dici nequit quia ut uxor, ita quoque sponsa, quæ est uxor pacta & promissa, non habet potestatem corpus suum alteri addicendi, aut promissum coniugii futuri usum intervertendi 1 Cor. VII. 4. At Maria fuit sponsa, & ut Spiritus sanctus loquitur, *uxor* Josephi, ergo non habuit potestatem corpus suum alteri addicendi, aut promissum coniugii

iugii futuri usum insçio & invito Ioſepho intervertendi. Posterius itidem dici nequit, si enim consensus Ioſephi interceſſiſſet, quorsum de dimissione cogitaret, cum gravidam eam inveniret? Matth. I. 19. & quid sibi vult illud evangeliſtæ v. 18. *Cum eſſet desponſata Maria Ioſepho*, *πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτὰς*, *antequam convenirent*, *inventa eſt in utero habens?* Notum est, quid significet *συνελθεῖν* de sponsis ac coniugibus usurpatum, quod videlicet matrimonii consummationem & usum coniugalem notet, 1 Cor. VII. 5. ergo cum iam desponsata esset Maria, ac iamdum esset gravida, Ioſephus consummationem coniugii adhuc speravit, quomodo igitur ipso conscio & consentiente, imo simul vovente, Maria votum perpetuæ virginitatis emisisse dici potest? Historia evangelica simplicem ac candidum Ioſephi & Mariæ animum enarrant, quod consummassent matrimonium, nisi divina conceptio interveniſſet, eademque ab angelo ipsis manifestata fuisset. Fruſtra proinde Bellarminus lib. de monach. c. XXXVII. blasphemiæ reos peragit centurias Magdeburg. propterea quod cent. I. lib. I. cap. X. col. 366. adserunt, *Ioſephum & Mariam ita verum coniugium contraxiſſe, ut voluerint ſtatuto tempore more aliorum coniugum liberos procreare:* id enim descriptioni evangeliſtarum exactiſſime congruit. Chryſoſtomus hom. IV. in Matth. I. verborum emphasin expendit. *Non dixit, priusquam in ſponſi domum adduceretur, ſed priusquam convenirent. Hunc enim morem ſervabat antiquitas, ut ſponſæ in ſponſorum domibus haberentur. Ut autem genери Loth apud ſocerum leguntur habitare cum ſponſis nondum ſibi copulatis lege coniugii, ſic & Maria habitabat cum ſponſo.* De qua Chryſoſtomi obſervatione quamvis adhuc dubitari possit, pontificiis tamen ea recte opponitur, cum sit relata in ius canonicum c. Priusquam. 27. q. 2. Si quis Chryſoſtomo obiiciat verba angeli Matth. I. 20. *Ne timeas παραλαβεῖν*, *accipere Mariam coniugem tuam*, ergo antea *eam in domo non habuit;* respondemus, accipere nihil aliud hoc loco esse, quam domi retinere, iam enim illam mente dimiserat. Quod si ergo Maria iam ante fuit in domo Ioſephi, manet illud, quod voce *συνελθεῖν* non significetur deductio in domum, sed nuptialis congressus, quem adhuc sperabat Ioſephus, cum Maria ex Spiritu sancto inveniretur in utero habens, ac per consequens, cum ad angelum iam ante dixisset: *Virum non cognoſco.* Sed Bellarminus ipse deserit hanc exceptionem & confugit ad aliam, *b. virginem nunquam habuiſſe explicitum animum conſummandi matrimonium, alioquin enim non eſſet virgo animo, ſed ſolum carne. Nec tamen luſit virum, quia cum matrimonium iniit, dedit viro abſolutam poteſtatem in corpus ſuum, ita ut vere licuerit Ioſepho, ſi voluiſſet, matrimonium cum b. virgine conſummare, id enim requiritur & ſufficit ad eſſentiam veri matrimonii, tamen quia ſciebat ipſa divina revelatione edocta nunquam Ioſephum id expetiturum, ideo poterat habere & habebat explicitam voluntatem ſemper continendi, in qua voluntate proprie virginitas conſiſtit.* Resp. ubi vero revelationis illius ullum in sacris literis exstat vestigium? Certe evangeliſtæ & apostoli, qui reliquas revelationes Ioſepho & Mariæ factas tam adcurate describunt, hanc ipsam non prætermisissent, si qua esset facta. Ac si Maria etiam ante desponsationem explicitam voluntatem habuit semper continendi, quo fine Ioſepho sese desponderi fuit passa? absurdum est sponsam facere eam, quæ coniux esse nequit. Desponsatio nihil aliud est, quam contractus de futuro matrimonio, eiusdemque inter sponsum & sponsam pactio ac promissio; tolle spem matrimonii, & desponsationi amplius non erit locus. Quæ virginitatem perpetuam voverunt, illis ex hy-

hypotheſi pontificiorum *etiam velle nubere* damnabile eſt, quo adcommodat dictum apoſtolicum: 1 Tim. V. 11. *nubere volentes habent damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* At quæ patitur ſe deſponderi, illa vult nubere. Excipit Bellarminus, eum, *qui vovit continentiam, non poſſe jam ſe alteri tradere cum periculo violandi voti, at ſi adſit certitudo infallibilis voti nunquam violandi, non repugnare, ut qui est unius, ſe tradat alteri in diverſo genere nuptiarum.* Sed hæc eſt mera petitio principii, unde etiam probatur, quod Maria in diverſo genere nuptiarum ſe Joſepho tradiderit, id eſt, non in matrimonium, ſed in cuſtodiam? unde probatur ipſo deſponſationis tempore Mariam habuiſſe certitudinem infallibilem voti nunquam violandi? 3.) In ſcriptura de tota hac re altum eſt ſilentium. Vident pontificii, deſponſationem fortiſſime adverſari opinioni de perpetuæ virginitatis voto, ideo excipiunt, *traditam fuiſſe Joſepho in cuſtodiam, non autem in matrimonium deſponſatam.* At qui repugnat ipſa verborum proprietas, notum enim eſt, quid ſignificet μνηστεύειν, quid συνέρχεσθαι, quid γυνή, quid ἀνήρ, quæ omnia non conveniunt tutori ac pupillæ, ſed ſponſo ac ſponſæ, marito & uxori; repugnat hiſtoriæ ſeries, neque enim vel ante deſponſationem vel in deſponſatione, ſed longe poſt deſponſationem, quando jam dum inventa eſt Maria ἐν γαστρὶ ἔχειν, angelus conjugium mutat in tutelam ac patronatum, ac copulat Mariam Joſepho *non in fœdus ſolenne conjugii, ſed in conſortium communis habitaculi*, ut loquitur Chryſoſtomus d. l. ac ſi omnibus conſtitit, Mariam in tutelam tantum & cuſtodiam, non autem in matrimonium fuiſſe Joſepho traditam, unde quæſo factum, ut Chriſtus *exiſtimatus fuerit filius Joſephi?* Luc. III. 23. Omnes pii veteres dicunt, in honorem conjugii Chriſtum ex deſponſata naſci voluiſſe, ſed ſi fingamus, Mariam tantum in tutelam fuiſſe Joſepho traditam, non autem in matrimonium ipſi fuiſſe deſponſatam, concidit penitus, quidquid dignitatis conjugio ex hac Chriſti e deſponſata virgine nativitate quæritur. 4.) Operæ vero pretium eſt, obſervare originem hujus opinionis de voto virginitatis a Maria Deipara emiſſo. Ea vero ex quodam *pſeudo Evodio* a Nicephoro fabulatore laudato, ſed veteribus Euſebio ſcilicet, Hieronymo, Epiphanio, &c. penitus ignoto, & ex *protevangelio Jacobi* a Lucio ſeu Seleucio conficto, & ab ipſo Gelaſio c. Sancta Romana diſt. 15. ſub tit. libri de nativ. Salvatoris, & de ſ. Maria & de obſtetrice Salvatoris, inter apocrypha repudiato dependet. Exſtat illud tom. 1. orthodoxograph. p. 71. ac multa fabuloſa inculcat, quod Joachim pater Mariæ, ob ſteriſitatem a ſacrificiis offerendis rejectus quadraginta diebus ac noctibus jejunaverit, ac ſobolem a Deo petierit, quod Anna Joachimi uxor audito ab angelo de ſobole nuncio Deo illam obtulerit, quod Maria ſexto ſtatim menſe ambulare potuerit, quod oblata fuerit ſacerdotibus in templo, inque ejus adytis inſtar columbæ educata acceperit cibum de manu angeli, quod duodecennis facta Joſepho ex mandato angeli in cuſtodiam fuerit tradita, congregatis enim omnibus viduis ex virga, quam Joſephus tenuit in manu ſua, columba evolavit, & in caput Joſephi conſedit, ex quo intellectum fuerit, ipſum divinitus eſſe hujus virginis cuſtodem & patronum electum; quod Maria & Joſephus aquis redargutionis a ſacerdote fuerint potati, quod Maria non in Bethlehem, ſed in ſpelunca quadam deſerti filium ſuum pepererit, quod Joſephus obſtetricem quærens, viderit polum ſtantem, aërem obſtupefactum & volatilia in medio curſu ceſſantia, ora hircorum imminentia quidem aquæ, ſed non potantia &c. quod nubes lucida ſpeluncam obumbraverit, quod Salome Mariam contrectans manum igne ardere ſenſerit, mox autem puero contrectato fuerit ſanata, quod Eliſabeth cum Johanne in montem fuerit recepta, &c. hæc omnia quomodo cum authen-

tica historia evangelica conciliari poterunt? Baronius ipse in adpar. annal. n. 38. testimonia ex illo pseudo evangelio Jacobi adducta respuit. Vel solum scripturæ silentium curiositatem humanam compescere hic deberet! Jam vero non solum in scriptura nullum hujus narrationis vestigium, sed etiam eidem in multis est adversa. Joachimus, Mariæ pater, statuitur sacerdos, cum scriptura negat quemquam unquam *e tribu Iuda ministrasse altare*, Heb. VII. 13. dicitur Maria in sancto sanctorum educata, cum in illud solus pontifex semel in anno intraverit, Hebr. IX. 7. Josephus lib. V. c. 15. Ac detur, Mariam Deo fuisse consecratam, ac in templo, ut in schola pietatis educatam, non tamen ex eo evinci potest, quod in voto perpetuæ virginitatis sese obstrinxerit, nam & Nasiræi in vet. test. uxores ducebant, ac in templo etiam viduæ serviebant, ut constat exemplo Hannæ, Luc. II. 36. quin imo summus sacerdos Deo devotissimus erat conjugatus. Quam vero causam adferre poterunt, quod puella duodecennis non cognatis, non adfinibus, non viduis, sed Josepho extraneo fuerit commendata? Habuit Maria συγγενῆ Elisabetham, si tutela indiguisset, ab ejus marito Zacharia, maximæ autoritatis & dignitatis viro, curari potuisset. Baronius in adparat. annal. XI. n. 56. hoc urget, *quod fuerit primogenita, aut ergo redimi debuit, aut in templo Deo servire, sed redemta non fuit, ergo in Dei servitio relicta.* At de primogenitura Mariæ scriptura penitus tacet, ac si vel maxime fuisset primogenita, non opus fuisset aliqua redemtione, cum lex de primogenitis tantum masculos concernat, Exod. XIII. 12. Num. VIII. 16. Luc. II. 23. ac si vel maxime in templo fuisset educata, & ad servitium Dei deputata, non tamen perpetuæ statim virginitati mancipata. Josephus ac Rabbini Nasiræorum ac Rechabitarum instituta diligenter describunt, sed de virginibus monialibus verbum nullum addunt. *Mulierem inter sacerdotes in templo versari, atque in sanctis ædibus conspici, nec lex nec gravitas permittebat*, inquit Gregorius Nyssenus homil. in natal. Dom. Urget Baronius, 2. Macc. III. 19. mentionem *fieri virginum in templo reclusarum.* Sed præterquam quod liber est apocryphus, nullius in templo reclusionis fit mentio; sed simpliciter dicitur, αἱ κατάκλειστοι τῶν παρθένων *virgines conclusæ*, hoc est, quæ alias domi se continere solebant, *procurrebant ad portas, aliæ ad muros quædam per fenestras prospectabant.* Glossa ordin. *Virgines, quæ conclusæ erant de domibus parentum, non exibant ratione verecundiæ & pudicitiæ virginalis, tamen in illa turbatione præter morem solitum exibant, &c.* Vide Casaubonum exerc. I. ad adparat. Baronii c. 23. pag. 118. ubi late hunc locum explicat. Quæ de mulieribus *ante ostium tabernaculi excubantibus*, Exod. XXXVIII. 8. ac de *abstinentia Ioæ in templo per sexennium*, 2 Reg. XI. 3. 2 Paral. XXII. 11. addit, ex illis, votum perpetuæ virginitatis in vet. test. usitatum fuisse, nunquam probari poterit. Quod enim 2 Reg. XI. 3. Joas dicitur fuisse *annos sex* אִתָּהּ, *cum ea*, scilicet Josaba, *in templo*, (ex quo Baronius & alii colligunt, quod Josaba Deo fuerit dicata, ac proinde in templo manserit) id 2 Paral. XXII. 12. sic explicatur, quod fuerit אִתָּם *cum eis*, scilicet cum Josaba & marito ejus Jehojada sacerdote, ex quo promte colligitur, Josabam non fuisse monialem Deo sacratam sed summi sacerdotis conjugem, eamdemque mansisse in templo propterea, quo maritus ejus esset pontifex maximus, cujus consensu ac voluntate egit, quidquid hac in parte suscepit. Casaubonus exerc. I. ad adpar. Baronii c. XXIII. Locum ex libro Exodi sic παραφράζει Jonathan in Targ. *Et fecit concham æream & basin ejus æneam e speculis æreis mulierum verecundarum, quo autem tempore veniebant ad orandum, in porta tabernaculi conventus stabant, juxta elevationem oblationis suæ, & laudabant,*

bant, & confitebantur: deinde revertebantur ad viros suos, & pariebant filios justos, quo tempore purgatæ erant a sordibus sanguinis sui. Ergo fœminæ illæ piæ non erant moniales perpetuæ virginitati devotæ, sed alternis rem divinam & domesticam curabant. Ipsi sacerdotes cultui divino vel maxime consecrati, non tamen erant cœlibes, sed in conjugio vivebant. Num. IV. 23. idem verbum צבא de sacerdotibus in tabernaculo ministrantibus usurpatur, quod Exod. XXXVIII. 8. de mulieribus in ostio tabernaculi excubantibus ponitur. Vide Fagium in paraph. Targum ac Drusium in comm. ad illum locum exodi. Breviter si Maria propter votum illud virginitatis in *cellula* quadam templo vicina habitasset concluſa, Hierosolymis in Judæa, non Nazarethæ in Galilæa nuncium de conceptione Salvatoris ipsi fuisset adlatum. 5.) Ne ipsi quidem pontificii in opinione de voto Mariæ consentiunt. Quidam enim *ante*, quidam *post* desponsationem illud emissum esse statuunt, qua de re sic disserit Bellarminus d. l. *Quamvis Thomas non admittat votum absolutum virginitatis in b. virgine ante desponsationem, Scotus tamen admittit*, lib. IV. sent. dist. 30. q. 2. *& ante Scotum Albertus magnus in libro de laudibus virginis, & ante Albertum sancti patres docent b. virginem vovisse ante desponsationem.* In Jure canonico c. Beata Maria. 27. q. 2. ex Augustino dicitur, *quod post natum filium demum votum illud emiserit. B. Maria proposuit se servaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum virginitatis non expressit ore, subjecit se divinæ dispositioni, dum proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter illi revelaret, committens ergo virginitatem suam divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam non illam adpetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo, postea vero cum filium genuit, quod corde conceperat, simul cum viro labiis expressit, & uterque in virginitate permansit.* Glossa ord. Luc. I. *Secundum quod, dicunt doctores catholici, b. virgo, antequam desponsaret Ioseph, habuit observantiam castitatis virginalis in desiderio, non tamen sic vovit expresse, sed cum postea Deo ordinante esset ei desponsata, qui erat in simili proposito, simul emiserunt votum.* 6.) Ex patribus pro adstruendo Mariæ voto adducta facilem habent explicationem. Gregorius Nyssenus in orat. de nativ. Christi nihil aliud dicit, quam *Mariam Deo virginitatem suam consecrasse, & statuisse apud se, virginitatem servare.* Atqui aliud est propositum servandæ virginitatis, aliud vero votum cum conjugii abjuratione coniunctum, ut paulo post plenius declarabitur. Ac si narratio Gregorii Nyssæni diligenter expendatur, facile adparebit, b. virginem, quando sacerdotibus trimula esset tradita, non ea lege datam esse, ut perpetuo cœlebs maneret, nam de *illius nuptiis postea deliberasse dicuntur sacerdotes.* Si fuissent tum temporis in templo tales virgines moniales in perpetuo cœlibatu vitam agentes, quales postea in christianismo cœperunt, nullus omnino deliberationi fuisset locus, an matrimonio elocanda esset. Adde quod Nyssenus se ex apocrypho scripto suam sententiam hausisse non reticeat, ac proinde liberum lectori adsensum relinquat. *Hæc*, inquit, *Mariæ vox demonstrat non esse penitus absurda, quæ ex historia incerti autoris commemoravi.* Basilius tantum abest, ut votum perpetuæ continentiæ virginalis Mariæ Deiparæ tribuat, ut in serm. de Christi nativ. Tom I. p. 389. scribat, *necessarium quidem esse credere, quod Maria ante partum & in partu manserit virgo*, τὸ δὲ ἐφεξῆς (inquit) ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τῶ μυςηρίω καταλείψωμεν, *quod supereſt, omittamus quærere, & mysterio sive silentio relinquamus;* & addit ibidem rationem, μηδὲν τῶ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ, *nihil ea res pietatem lædit.* Augustinus de sanct. virg. c. IV. *Mariam se Deo virginem vovisse*

visse dicit, sed per votum intelligit internum continendi propositum, non autem externum votum cum coniugii abiuratione coniunctum; unde illud votum *corde* tantum & non ore factum esse statuit. Adde, quod probabili tantum coniectura sese id adserere Augustinus innuit, quod adiuncta ratio ostendit. *Ipsa*, inquit, *virginitas eius gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret, ipse præripuit, sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit.* At consequens non est, Christum præripuisse marito virginitatem, si voluit in honorem conjugii ex sponsa nasci, elegit enim talem sponsam, quæ tali viro desponsata erat, quo ex divino consilio ipsis sponsis adhuc occulto postea voluit uti, ut patrono & custode virginalis castitatis maternæ, quamquam ipsæ desponsatæ personæ coniugii consummationem adhuc spectarent nondum revelata per angelum divina conceptione. Utrumque igitur adserendum & statuendum, quod vere sponsa, ac proinde sperata uxor fuerit Salvatoris mater, & quod illibata ac intemerata virgo manserit, prius placuit Deo ob coniugii dignitatem, posterius ob partus illius sanctitatem. Beda in Luc. I. & Anshelmus libr. de excell. virg. c. IV. non voti, sed propositi ac decreti mentionem faciunt, quod *sancta virgo vitam virginalem se ducturam decreverit, ac corpus & animam suam virginitate perpetua Deo consecraverit*, id quod iuxta Augustini explicationem accipiendum, proposuit se perseveraturam virginem, *nisi Deus aliter illi revelaret*, committens ergo virginitatem suam divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam. Rupertus lib. III. Cant. Bernhardus serm. IV. super *Missus est*, & scholastici lib. IV. sent. dist. 30. votum virginitatis Mariæ tribuunt, sed de *tempore ac genere voti* non consentiunt, nec diffitentur ex apocryphis scripturis illud esse desumtum. 7.) Sed urgent pontificii verba Mariæ, *virum non cognosco*, quæ sic interpretanda censent *non licet mihi virum cognoscere.* Varia hic responderi possent, utpote *primo* si beata virgo votum perpetuæ virginitatis fecisset, non perplexe & ambigue, sed aperte ac sine circuitione respondisset, non licet mihi virum cognoscere, quia virginitatem vovi; *deinde* si votum virginitatis fecisset, in futuro dicendum fuisset, *virum non cognoscam*, iam vero non in futuro, sed in præsenti dicit, ἄνδρα οὐ γινώσκω, quinimo Syrus interpres reddidit in perfecto לָא חַכִּים לִי גְּבַרָא, *vir non est cognitus mihi. Tertio* si vel maxime votum fecisset, *in corde* scilicet, tamen qua fuit erga Deum pietate & reverentia, postquam Deo aliter placere ex angelo intellexisset, votum illud minime prætendisset, sed Deo ad coniugium vocanti sese parituram respondisset; *subiecisset enim se divinæ dispositioni*, ut Augustinus loquitur, cum ea conditione se perseveraturam virginem proposuerit, nisi Deus aliter illi revelaret. In papatu tanta est Romani pontificis autoritas, ut eius vel permissione vel mandato intercedente & monachi & moniales perpetuam castitatem professi coniugium inire non reformidaverint; num existimabimus, Mariam de voto virginitatis fuisse solicitam, postquam ex angelo intellexerat, Deo placere, ut concipiat ac pariat? *Quarto* quod ex virginali pudore conspectu & nuncio angeli turbata audiens de conceptione & partu filii, quæsiverit: *quomodo futurum sit istud*, cum nondum in cubili coniugali versetur, & viri congressum penitus ignoret. Sed prætermissis illis omnibus simplicissime respondemus, angelum legationis suæ verba petiisse ex Esai. VII. 14. *Ecce virgo prægnans & pariens filium.* Quamvis enim evangelista Lucas secutus LXX. interpretum versionem tunc temporis usitatam in futuro loquatur, συλλήψῃ ἐν γαστρὶ καὶ τέξῃ υἱόν, tamen dubitari nequit, angelum

cum

cum virgine Hebræa hebraice locutum esse, ac ex ipso fonte scripturæ legationis suæ verba petiisse, in eo vero dicitur in præsenti: *Ecce virgo gravida parit*, הִנֵּה הָעַלְמָה הָרָה וְיֹלֶדֶת בֵּן. Arias Montanus & Pagninus reddiderunt: *Ecce virgo prægnans & pariens filium*, quod enim הָרָה non sit verbaliter reddendum, *concepit*, sed vel nominaliter, *gravida*, vel participialiter, *prægnans*, adparet ex addita voce יֹלֶדֶת & ex ipso Mariæ responso colligitur, angelum in præsenti fuisse locutum. Jud. XIII. 5. angelus Simsonis conceptionem nuncians utitur verbo futuro וְהָרִית וְיָלַדְתְּ *concipies & paries*, utrumque est 2. persona præteriti fœminini, sed ו *hippuch* sive conversivum in principio additum mutat significationem præteriti in significationem futuri; hoc vero loco angelus ex propheta non loquitur in *futuro*, sed utitur tali nomine, quo Thamar, cum adpareret eam esse gravidam, Gen. XXXVIII. v. 24. Sic de Pineas uxore 1 Sam. IV. 19. dicitur הָרָה לָלֶדֶת *erat prægnans ad pariendum.* Esai. XXVI. 17. *Gravida adpropinquans ad pariendum.* Cum ergo Maria ex angelo audiret: *ecce gravida seu prægnans pariens;* admirabunda respondet: *quomodo fiet istud*, id est, quomodo gravida pariam, cum non versor in cubili coniugali? q. d. Inusitatum est virginibus de conceptione ac partu narrare, iam vero nondum in matrimonio vivo, quæ ergo est ista ratio tuæ legationis & adnunciationis? *Nondum erat in domum sponsi deducta*, (inquit Chemnitius part. III. exam. p. 63.) *nec brevi adeo hoc futurum erat, nam post tres menses & amplius Ioseph demum de deductione cogitare cœpit;* Matth. I. 19. postquam scilicet ex ædibus Elisabeth Maria reversa erat. Luc. I. 56. Negat igitur se indigere tali promissione, qualem meminerat Saræ, Gen. XVIII. 10. uxori Manues, Jud. XIII. 3. & Hannæ, 1 Sam. I. 17. in sterili coniugio viventibus contigisse, ac profert virginitatis pure & caste hactenus custoditæ testimonium; non autem ab omni spe coniugii per votum aliquod virginitatis sese excluſam adserit. 8.) Denique si vel maxime concedamus, Mariam votum virginitatis perpetuæ fecisse, quod ex sacris literis evidenter probari nunquam poterit, & desponsationi eiusdem directe adversatur; nondum tamen consequens fuerit; votum cœlibatus pontificium eodem stabiliri posse. Ut enim prætermittamus reliqua omnia, quæ in voto cœlibatus pontificio desideramus; (de quibus paulo post plenius agetur) agnoscenda foret hac in parte specialis quædam & extraordinaria Dei dispositio, sicut Bellarminus etiam peculiarem *quamdam divinam revelationem* ponit, qua edocta fuerit beata Deipara, Josephum nunquam debitum coniugale expetiturum. Quod ergo Maria capere potuit, illud non possunt statim omnes capere, qui peculiari illo dono ac gratia sunt destituti, nec privilegia extraordinaria regulam aliquam constituunt.

§. DXI. III.) Act. XXI. 9. de Philippo evangelista commemoratur, quod *fuerint ipsi quatuor filiæ virgines.* Bellarminus libr. II. de monach. c. X. *Illas non ad tempus aliquod virgines credere debemus, sed perpetuo & ex electione, refert enim id Lucas tanquam aliquid magnum, quod videlicet uni homini essent quatuor filiæ virgines. At quid magni est habere quatuor filias virgines, quæ ubi maturæ fuerint, nupturæ sint?* Adde quod Eusebius libr. III. histor. c. XXX. ex Polycrate docet, *filias Philippi in virginitate consenuisse.* Resp. de hoc loco quædam diximus in tract. de evang. cap. de consil. evang. §. 102. hic breviter monemus: 1.) Bellarminum non adducere textum integrum;

III.) *Act. XXI. 9. Philippo fuerunt quatuor filiæ virgines.*

tegrum; additur enim Philippo fuisse quatuor filias προφητευούσας, ergo non hoc tanquam singulare commemorat Lucas, quod *virgines* fuerint, sed quod fuerint *virgines prophetantes*, quod non potest intelligi de publico docendi officio, sed de peculiari prophetiæ dono, quod scilicet idem cum Agabo ac septem discipulis prædicaverint, Paulum tradendum esse gentibus. 2.) Ut autem textum Lucæ, ita quoque Eusebii historiam truncatam Bellarminus adducit. Non enim de omnibus quatuor, sed de *duabus* duntaxat Philippi filiabus commemorat Eusebius, quod *in virginitate consenuerint*, quin imo in cap. proxime præcedente ex Clemente Alexandrino libr. III. strom. p. 210. adducit locum, quod *Philippus filias suas viris nuptum dederit*. 3.) Salmeron in comm. hujus loci, tom. XII. p. 341. Eusebium hoc nomine taxat, quod Philippum apostolum cum Philippo diacono confundat. *Illud*, inquit, *minime ferendum est, quod Eusebius cum Polycrate tradit, Philippum apostolum filias habuisse, cum id tantum de Philippo diacono tradat Lucas;* quomodo igitur ex Eusebio Bellarminus suæ sententiæ patrocinium quærere potest? 4.) Aliud est virginem esse, propositum virginitatis servandæ amplecti, in virginitate consenescere, &c. aliud vero tali cœlibatus voto se obstringere, quale in papatu viget.

IV.) 1 *Cor. VII.* 37. *Qui statuit in corde suo firmus.*

§. DXII. IV. 1 Cor. VII. 37. *Qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit.* Ergo *apostolus probat cœlibatus votum.* Resp. aliud est constans & firmum propositum cœlibatus, de quo apostolus agit, aliud vero votum proprie sic dictum & in sensu pontificio acceptum. Illud includit conditionem tacitam vel expressam, tamdiu scilicet aliquem fore cœlibem, quamdiu id videt dono & vocationi suæ convenire, ita ut liberum sibi relinquat, contra ustiones & fornicationes uti remedio divinitus ordinato 1 Cor. VII. 9. *Propositum continentiæ sæpe licet sine ulla culpa mutare*, inquit Bellarminus II. de monach. c. XXIV. §. 2. hoc vero est absolutum, & omnem matrimonii ineundi potestatem excludit. Illud non coniunctum est cum abiuratione coniugii & cum exsecratione, si non servetur; hoc vero utrumque complectitur. Illud ex deliberata animi sententia & gravi consilio suscipitur ab illis, qui donum sibi divinitus datum & vocationem diligenter explorarunt; hoc vero plerumque est temerarium, ab illis, qui nondum maturitate judicii pollent, profectum. Illud proficiscitur a personis idoneis, quæ donum continentiæ a Deo acceperunt; 1 Cor. VII. 7. hoc vero indiscrete ab illis exigitur ac suscipitur, qui monasticæ vel sacerdotio nomen dant, sive instructi sint illo dono, sive minus. Illud est pars pædagogiæ externæ pietatis exercitio inservientis; hoc vero est laqueus multorum animas in exitium demergens. Illud suscipitur sine debito & convenienter, ut videlicet expeditius curari possint ea, quæ sunt Domini; 1 Cor. VII. 32. hoc vero fine perverso & erroneo, ut sit satisfactio pro peccatis & meritum vitæ æternæ sibi atque aliis impetrandæ, quæ omnia ex sequentibus erunt clariora. Paulum non loqui de voto continentiæ, vel ex eo manifestum est, quod parentibus virginum loquitur. Jam vero ut parens non potest filiam cogere ad nuptias, ita quoque non potest pro filia emittere votum virginitatis, sed pendet hoc ex deliberatione & obligatione filiæ; tantum igitur monet patres, ne temere ac leviter aliquid statuant de cœlibatu vel coniugio filiarum, sed maturam ac gravem deliberationem adhibeant, ac conditiones personæ, temporis, negotiorum, &c. diligenter explorent.

§. DXIII.

V.) 1 *Tim. V.* 11. *Volentes nubere, primam fidem fecerunt irritam.*

§. DXIII. 1 Tim. V. 11. *Adolescentiores viduas devita, cum enim luxuriatæ fuerint contra Christum, nubere volunt;* v. 12. *habentes damnationem, quia primam fidem fecerunt irritam.* *Hoc loco* (scribit Bellarminus lib. II. de monach. c. XXIV.) *nihil aliud per primam fidem intelligi potest, quam donum continentiæ. Cum enim apostolus dicat, eas primam fidem fecisse irritam, quæ nubere volunt, necessario colligimus, eum loqui de fide servandæ continentiæ, quæ per nuptias violatur. Ista autem fides servandæ continentiæ aut est fides data marito carnali, aut Christo sponso spirituali. Non potest esse fides data marito carnali, illa enim tamdiu durat, quamdiu maritus vivit, quo mortuo soluta est mulier; sequitur igitur, quod sit fides data spirituali sponso. Non potest autem hæc fides Christo data esse simplex propositum seu voluntas continendi sine promissione ac voto; tum quia simplex propositum non habet relationem ad aliud, nec fides dici potest, unde non irritatur fides, cum mutatur propositum, tum etiam quia propositum sæpe licet sine ulla culpa mutare, apostolus autem absolute dicit, eas damnationem habere, quia fidem irritam faciunt, sequitur igitur, ut fides hoc loco votum significet.* Resp. de hoc loco apostolico late & erudite disputat Chemnitius part. III. exam. concil. Trid. de cœlib. c. IX. p. 56. quæ Bellarminus non adtingit. Superius etiam cap. V. membr. I. §. 195. de eo quædam diximus. Summa omnium huc redit, quod apostolus per πρώτην πίστιν, quam viduæ illæ dicuntur irritam fecisse, nequaquam intelligat pontificium cœlibatus votum. 1.) De eo enim altum ubique in scripturis silentium. 2.) Vocabulum *fidei* nusquam in scripturis pro quodam voto proprie & adcurate sic dicto accipitur. 3. Apostolus negat, se velle alicui per doctrinam de cœlibatu laqueum iniicere; 1 Cor. VII. 35. at vota pontificia vere sunt laquei conscientiarum & animarum, ut inferius ostendetur. 4.) Hoc ipso in loco rejicit apostolus a professione viduitatis juniores v. 14. ac minorem *sexaginta annis* in collegium illud recipi prohibet v. 9. quod cum doctrina & praxi ecclesiæ Romanæ aperte pugnat, quippe quæ etiam a juvenculis vota cœlibatus suscipit. 5.) Quod si jam juniores eiusmodi in collegium viduarum receptæ ipso facto cœlibatum professæ essent, illis non interdicit coniugio sub æternæ damnationis pœna, etiamsi continere non possint, nec præscribit eis alia contra in continentiam remedia, sed vult eas nubere, v. 14. ne ullam occasionem præbeant diabolo, ac si præter vires & voluntatem in cœlibatu manere cogantur, abjecta fide retro post satanam eant; v. 15. id quod iterum cum doctrina & praxi ecclesiæ fortissime pugnat, quippe quæ in illis virginibus ac viduis, quæ continentiam voverunt, etiam *velle nubere* damnabile esse censent. 6.) Regula apostolica est perpetua: 1 Cor. VII. 9. *Si continent se, nubant, melius est enim nubere, quam uri;* contra quam absit, ut quidquam hoc loco statuere & viduas continere se non valentes a remedio divinitus ordinato a coniugio scilicet arcere voluisse judicandus sit. 7.) In cap. proxime præcedente quarto v. 1. apostolus scripserat, *doctrinam esse dæmoniorum, si quis coniugium prohibere illis vellet,* quibus propter incontinentiam illud est necessarium. Cogitari ergo nequit, eum hoc loco viduas juniores continere non valentes a coniugio arcere propositum sibi habuisse. 8.) Si Paulus de voto aliquo perpetui cœlibatus hic egisset, illud magis *secundam* quam *primam* fidem dixisset, quia prima fides in baptismo datur. Cum enim in baptismo tota sacrosancta Trinitas nos in gratiam recipit, ac in filios & heredes adoptat, reciproca obligatione promittamus, nos fore gratos, ac vitam sanctam Deoque pla-

placentem ducturos; hæc ſtipulatio dicitur fides prima, illam demum ſequitur fides altera, quæ præſtari ſolet, cum quis ad publica officia ac ſervitia aliis præſtanda vocatur; quod miniſterio & officio ſuo pie diligenter & fideliter fungi velit. 9.) Repugnant textus circumſtantiæ. Votum definitur *ſolennis promiſſio propoſiti ſupererogantis ſeu de bono meliori, quod ſit magis meritorium.* Jam vero illis viduis tribui nequit, quod viduitatem elegerint ſub opinione cuiusdam operis ſupererogationis ac boni magis meritorii, alebantur enim eccleſiæ facultatibus, 1 Tim. V. 16. quas alii ex piis *labores manuum ſuarum manducantes* conferebant; Epheſ. IV. 28. at nemo dixerit, eſſe magis meritorium propter inopiam eccleſiæ facultatibus ali, quam labores manuum ſuarum manducare, & aliis de ſuo impertiri, cum contra Paulus ex ſententia Chriſti pronunciet: Act. XX. 35. *Beatius eſt dare quam accipere.* 10.) Denique praxis eccleſiæ apoſtolicæ pontificio illi cœlibatus ac viduitatis voto fortiter refragatur. Neque enim tunc erant talia collegia viduarum, in quibus cœlibatum, tanquam per ſe eximium quendam Dei cultum, voverent; alias Paulus juniores viduas ab eccleſiaſtico illo viduarum collegio ad matrimonium contrahendum & rem domeſticam adminiſtrandam minime omnium ablegare, ſed eas potius ad hoc invitare, & omnes illud expetentes recipere debuiſſet, ſi peculiarem quemdam cultum ac meritum aliquod vitæ æternæ in tali viduitate poſuiſſet. Sed viduæ pauperiores deſtitutæ parentibus, liberis ac nepotibus, a quibus alerentur, quæque nec rem familiarem habebant, nec operis manuum ſeſe ſuſtentare poterant, eccleſiæ eleemoſynis alebantur, ac viciſſim pro illa ſuſtentatione eccleſia earum opera utebatur ad curam pauperum peregrinorum, adflictorum & ægrotorum, &c. ut colligitur ex Act. VI. 1. & 1 Tim. V. 10. & 16. Hæc vero iſtarum viduarum conditio & functio requirebat, ut abdicarent ſe privata cura rei familiaris; proinde non poterant eſſe coniuges, quamdiu in illo collegio vivere, & de publico ſuſtentari volebant. Si enim cogitaſſent per matrimonium ſibi adſciſcere maritum, a quo alerentur, & curam rei familiaris ſuſcipere; non petiiſſent ſe in illud collegium cooptari, in quod eæ duntaxat recipiebantur, quæ neminem habebant, a quo ſuſtentarentur, quæque operam ſuam eccleſiæ deferentes ab œconomicis negotiis ſeſe penitus abdicabant, ut colligitur ex verbis apoſtoli v. 11. *Poſtea volunt nubere,* & 14. *volo juniores viduas nubere.*

§. DXIV. Hæc omnia oſtendunt, apoſtolum hic nequaquam de tali cœlibatus vel viduitatis voto loqui, quale in papatu viget; ſed per primam fidem intelligit fidem Deo datam in baptiſmi ſuſceptione & chriſtianiſmi profeſſione, quam tales viduæ per apoſtaſiam a chriſtiana religione & per peccata contra conſcientiam irritam faciebant. Hæc interpretatio probatur 1.) ex tradita in textu *viduarum illarum* deſcriptione. Viduæ enim illæ, quibus damnationem apoſtolus tribuit, ſic deſcribuntur *a*) quod καταστρηνιάσωσι τοῦ χριστοῦ, v. 11. στρῆνος reſpondet Hebræo ענג, & *luxum, faſtum ac delicias* ſignificat, καταστρηνιάζειν eſt *inſolentius ac faſtuoſius laſcivire contra aliquem.* Simplex στρηνιᾶν deductum exiſtimant a verbo τρέφειν, ut ſit metaphora ſumta a jumentis, quæ cum ob pabuli copiam ferociunt, excutiunt habenas, ac ſuo feruntur arbitrio. Alii deductum putant a τρηνὺς, quod eſt durum, unde Heſychius τρηνὲς βοᾶν interpretatur τὸ σκληρὸν βοᾶν *dure ſive ferociter clamare.* Apud Athenæum lib. III. τρηνιᾶν ponitur pro *deliciari.* Theophylactus καταστρηνιῶσιν interpretatur ἀκολαστῶσι καὶ θρύπτονται *acceſſaverint & deliciari cœperint,* priore verbo deducto a moribus petulantiſſimæ fœminæ, cui nomen

men Acco. Camerarius exponit *per crapulæ ac luxuriæ tumorem & obscœnæ libidinis titillationem.* Sensus igitur est, quod tales viduæ excussis & abiectis timoris divini, pietatis & pudoris habenis immani quadam insolentia, petulantia & lascivia luxuriatæ fuerint, (quam esse vim huius verbi colligitur ex 2 Reg. XIX. 28. Esai. XXXVII. 29. Apoc. XVIII. 7. 9.) & quidem quod *contra Christum* luxuriatæ fuerint. Vulgata translatio vocem τῦ χριςῦ ad verbum nubere referre videtur, ex quo perversa illa interpretatio postmodum orta, quod *viduæ illæ per votum Christo desponsatæ fuerint, unde damnabile ipsis fuerit, marito mortali nubere velle.* Sed Græcus textus manifeste ostendit, non ad γαμεῖν, sed ad καταστρηνιάζειν vocem τῦ χριςῦ pertinere, ut adparet ex particula κατὰ, & quomodo damnabile esset in Christo velle nubere, cum apostolus 1 Cor. VII. 39. expresse adserat, *vidua cui vult nubat in Domino?* Sensus igitur est, *quod contra Christum luxurientur*, id est, doctrinam Christi repudiaverint, quod fidem in Christum & timorem Dei abiecerint, quod cum abnegatione fidei & religionis christianæ nubere voluerint. Ingerebant enim se istæ viduæ, cum adhuc juniores essent, in collegium viduarum ecclesiasticum, recenti luctu ob maritorum obitum permotæ, ac viribus suis nondum satis exploratis, ac in hoc vitæ genere singularis pietatis persuasionem sibi fingebant; sed cum postea animadverterent, se donum continentiæ non habere, sed coniugii remedio indigere, ne levitatis & inconstantiæ inter christianos notarentur, si ab illo viduitatis proposito resilirent, & ex ecclesiastico illo ministerio ad curas rei privatæ ac domesticæ redirent, prorsus a christianismo deficiebant vel ad gentilismum, vel ad pseudoapostolos, qui *captivas ducebant mulierculas σεσωρευμένας peccatis*, 2 Tim. III. 6. qua ratione non absolutum ac nudum illud *velle nubere* damnabile ipsis erat, id enim sentire pugnat cum fundamentis paulo superius adsignatis, sed *contra Christum* lasciviendo & luxuriando nubere velle. *b)* Quod cum deberent ministrare pauperibus peregrinis, adflictis & ægrotis, ipsæ abiectis huius ministerii sui officiis *otiosæ circuiverint domos*, v. 13. qua ratione non solum gravissimo peccato sese obstrinxerunt *opus Domini* sibi ab ecclesia commissum *negligenter facientes*; Jer. XLVIII. 10. sed etiam tentationibus diabolicis ad lasciviam & petulantiam sollicitantibus sese ultro exposuerint, otium enim fomes est libidinis. *c)* Quod fuerint non solum ad bonum otiosæ, sed etiam ad malum negotiosæ, utpote φλύαροι, *nugaces*, *futiles*, verbis malignis garrientes, 3 Joh. v. 10. inepte loquaces, ac velut ipse apostolus exponit, *loquentes τὰ μὴ δέοντα, non decentia; φλυαρολογία* enim est *nugiloquentia*, quæ quantum sit peccatum, colligitur ex dicto Christi Matth. XII. 36. *Dico vobis; quod de omni verbo ἀργῷ otioso reddituri sint homines rationem in iudicio;* & Pauli Eph. IV. 29. πᾶς λόγος σαπρὸς, *omnis sermo putridus & otiosus non procedat ex ore vestro, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Item quod fuerint περίεργοι *curiosæ*, μηδὲν ἐργαζομέναι, ἀλλὰ περιεργαζομέναι, 2 Thess. III. 11. in necessariis otiosæ, in aliis non demandatis curiosæ, quæ περιεργία quantum sit peccatum, colligitur ex Act. XIX. 19. *d)* Quod occasionem dederint adversario maledicendi & blasphemandi evangelii doctrinam. Per τὸν ἀντικείμενον possunt intelligi vel adversarii ac hostes ecclesiæ, numero singulari pro plurali posito, Luc. XIII. 17. XXI. 15. 1 Cor. XVI. 9. 1 Tim. I. 10. vel ipse diabolus agens per illos tanquam per organa, qui dicitur noster ἀντίδικος, 1 Petr. V. 8. propter quod nomen Satanæ ipsi datum. Quantum vero peccatum sit hostibus evangelii occasionem calumniandi sanam doctrinam exhibere, colligi potest

ex 2Sam.XII.14. Esai.LII.5. Ezech.XXXVI. 23. Rom. II. 24. *e*) Quod τίνες ἐξετράπησαν ὀπίσω τῦ σατανᾶ, *converſæ ſint retro poſt ſatanam;* hoc ſequitur ex primo, quod *laſcivierint contra Chriſtum*, qui enim a fide Chriſti vel per apoſtaſiam vel per peccata atrocia excidit, in poteſtatem ac regnum ſatanæ transfertur, Luc. XI. 23. *qui non eſt mecum, contra me eſt.* Verba ipſa ſunt valde atrocia, ἐκτρέπεσθαι enim dicuntur, non qui in via Domini ſunt remiſſiores, ſed qui ab ea prorſus deflectunt, Hebr. XII. 13. ac in hac ipſa priore ad Tim. epiſt. uſurpatur de pſeudodoctorum conventu ad ματαιολογίαν I. 6. in poſteriore epiſt. accipitur de ſeductis a falſis doctoribus, *qui a veritate ad fabulas ſeſe convertunt.* IV. 4. Illud etiam ὀπίσω τῦ σατανᾶ ſignificat manifeſtam a Chriſto defectionem, ut colligitur ex antitheſi *venire poſt Chriſtum, ſequi Chriſtum*, Matth. X. 38. Luc. XIV. 27. & ex apoſtatarum exemplis, qui dicuntur abiiſſe εἰς τὰ ὀπίσω Joh. VI. 66. Ex quibus omnibus ſic colligimus: Illa fides in textu apoſtolico intelligitur, cui opponitur luxuriari & laſcivire contra Chriſtum, eſſe otioſum, curioſum, occaſionem calumniandi dare adverſario & retro poſt ſatanam abire. At hæc eſt fides Deo in ſuſceptione baptiſmi & profeſſione chriſtianiſmi data, per quam ex poteſtate & regno ſatanæ liberati in Chriſti regnum transferimur, ſed per apoſtaſiam ac peccata atrocioru contra conſcientiam ex ea iterum excidimus. Ergo illa fides, non autem votum cœlibatus in textu apoſtolico intelligenda. Id ipſum ulterius confirmamus 2.) ex *addita determinatione*, quod fides illa dicitur *prima*. Vocat primam fidem, *non voti monaſtici ſed chriſtianiſmi*, inquit apol. Auguſt. confeſſ. cap. de votis monaſt. Si enim de voto quodam cœlibatus apoſtolus fuiſſet locutus, illud non adpellaret πίςιν πρώτην, ſed potius δευτέραν, eam enim præcedit fides in baptiſmo Deo data, quæ dicitur prima reſpectu habito vel ad ſecundam illam fidem, quæ præſtari ſolet, cum ad publicum officium ac miniſterium aliquod quis evehitur, vel ad fidei naturam, quia eſt fundamentum omnium chriſtianarum virtutum & totius pietatis principium, atque eſt virtus primæ tabulæ, quam poſtea ſequitur fidelitas in officiis ſecundæ tabulæ, quæ itidem vocatur fides, Gal. V. 22. vel (quod Chemnitio magis probatur) ad pœnitentiam per quam poſt prolapſum in peccatum quaſi ſecundo reditur ad fidem primitus datam. Quando enim ſcriptura collationem facit inter id, quod antea ſeu prius fuerat, & inter id, quod ſecutum eſt, tunc eo ſenſu ac modo utitur vocabulo πρώτε, Matth. XII. 44. Luc. XI. 26. 2 Petr. II. 20. Apoc. II. 5. & 19. ſic ergo *prima fides* dicitur reſpectu eius, qua illi, qui lapſi fuerant, poſtea in converſione rurſus Deo reconciliantur, quæ tamen ſecunda fides nihil aliud eſt, quam reverſio ad primam, quæ ſignaculo baptiſmi erat obſignata. Bellarminus per idem primam intelligendam dicit *fidem voti, cui reſpondeat tanquam ſecunda fides matrimonii ineundi.* Sed quia viduæ iam ante marito demortuo fidem matrimonialem dederant, ideo fides illa voti potius dicenda fuiſſet fides ſecunda, & fides novi matrimonii ineundi fides tertia, ut nihil dicam de eo, quod ſit mera petitio principii illa de fide voti adſertio. 3.) Ex *phraſeos illius in hac ipſa Pauli epiſtola uſurpatione.* Quid per τὸ ἀθετεῖν τὴν πίςιν intellectum voluerit apoſtolus, non noſtro arbitrio definiendum, ſed ex uſu huius phraſeos in hac ipſa epiſtola Paulina rectiſſime ac tutiſſime colligitur. Jam vero conſtat, apoſtolum hac phraſi uti, quando ἐκπτωσιν ex vera, iuſtificante & ſalvificante fide vel per apoſtaſiam, vel per peccata atrociora contra conſcientiam commiſſa vult deſcribere. Sic 1 Tim. I. 19. de ſeductoribus dicit: *Nonnulli repulſa bona conſcientia circa fidem naufra-*

fragium fecerunt. IV. 1. *Quidam deficient a fide adtendentes ſpiritibus erroneis ac doctrinæ dæmoniorum.* VI. 21. *Quidam promittentes falſi nominis ſcientiam circa fidem a ſcopo aberrarunt.* 2 Tim. II. 18. *Circa veritatem aberrarunt & ſubverterunt multorum fidem.* III. 8. *Mente corrupti, reprobi circa fidem.* Hæc loquuntur de apoſtaſia a fide per errores in fundamento, vel plenariam a chriſtianiſmo defectionem. 1 Tim. V. 8. *Si quis ſuorum, maxime domeſticorum, curam non agit, fidem negavit, & infideli eſt deterior.* VI. 10. *Quidam adpetentes avaritiam erraverunt a fide.* Hæc loquuntur de amiſſione fidei per peccata contra conſcientiam admiſſa. Utroque autem modo viduæ illæ fidem irritam feciſſe ſive repudiaſſe ac reieciſſe intelliguntur, quia officia miniſterii ſui negligere, nugacem ac curioſum eſſe, contra Chriſtum laſcivire, occaſionem blaſphemandi doctrinam adverſariis dare, ſunt peccata contra conſcientiam admiſſa & fidem excutientia. Deſerta via Domini retro poſt ſatanam converti eſt per apoſtaſiam a religione chriſtiana diſcedere. 4.) Ex *analogiæ fidei collatione.* Deſponſat ſe Deus nobiscum *per fidem;* Oſ. II. 19. Ezech. XVI. 8. init nobiscum fœdus gratiæ, ac requirit a nobis, *ut militemus bonam militiam retinentes fidem ac bonam conſcientiam*, 1 Tim. I. 18. ac ut ipſe *fidelis eſt*, 1 Cor. X. 13. & *fidem cuſtodit in ſeculum;* Pſalm. CXLVI. 6. ita quoque a nobis requirit, ut fidem ipſi datam ſervemus; ſed per errores in fundamento, vel per peccata contra conſcientiam admiſſa fides illa repudiatur, ex quo ſic colligimus: Illa fides hoc loco intelligenda eſt, per quam ſpiritualis deſponſatio inſtituitur, & fœdus gratiæ ſancitur. Atqui ea non eſt votum cœlibatus (alias coniuges pii ac fideles ab illa ſpirituali deſponſatione eſſent excluſi) ſed vera, viva, & ſalvifica in Chriſtum fides. Ergo. 5.) Ex *patrum quorumdam teſtificatione.* Athanaſius lib. VI. de Trinit. Hieronymus in præf. epiſt. Tit. Vincentius Lyrinenſis adv. prof. vocum novit. per *primam fidem* intelligit eam, quam in baptiſmo amplexi ac profeſſi ſumus, quam per doctrinas hæreticas irritam reddi ſtatuunt.

§. DXV. Hæc omnia ſi probe obſerventur, facile adparebit, quid ad Bellarmini depravationes ſit reſpondendum. Is 1.) conatur demonſtrare *non poſſe per primam fidem intelligi ſimplex propoſitum continentiæ, quum illud non habeat relationem ad aliud, ac ſine ulla culpa mutari poſſit.* Reſp. hæc exceptio oppoſita eſt illis, qui per fidem intelligunt promiſſionem miniſterii ab illis viduis eccleſiæ datam, inter quos eſt non ſolum Beza in tract. de polyg. p. 206. Toſſanus in com. ſed etiam ex noſtris Hunnius in tract. de leg. & evang. p. 82. Sed illi facili negotio ſe tuebuntur; non enim nudum tantum propoſitum viduitatis internum illis tribuunt, ſed etiam externam promiſſionem, qua vel expreſſis verbis vel certe ipſo facto eccleſiæ, cujus ſumtibus alebantur, & a qua in collegium illud viduarum paupercularum ſeſe recipi petebant, fidem dabant, quod miniſterio ſuo erga pauperes, ægrotos, peregrinos, &c. diligenter ac fideliter fungi vellent, quodque a negotiis œconomicis, & conſequenter a matrimonio abſtinere velint. Hæc promiſſio omnino relationem aliquam ad aliud, videlicet ad eccleſiam, cui fides data erat, habebat, ac temeritas in ſuſcipiendo, ac levitas in abiiciendo illo propoſito, quod non erat mere privatum, ſed receptione in collegium viduarum publice conteſtatum & notorium factum, nec culpa nec reprehenſione caruit, cum adverſarii evangelii occaſionem calumniandi ex eo acceperint; ac levitatem illam in eccleſia fuiſſe infamem, colligitur ex eo, quod quædam ex viduis illis ideo prorſus defecerint a religione chriſtiana, ut ſine ex-

probratione levitatis vel Judæis vel gentibus nubere possent, quo sensu Epiphanius hær. LXI. discrimen facit inter κρίμα & κατάκριμα, ac viduas illas κρίμα *in iudicio ecclesiæ*, non autem κατάκριμα *in iudicio divino* habere adserit, si postea nubere velint. 2.) Docet, *omnes commentatores veteres & multa concilia hunc locum sic exposuisse, ut per primam fidem intellexerint votum perpetuæ continentiæ.* Resp. expositionem nostram ex ipsis textus visceribus demonstravimus, quæ non potest prætextu novitatis repudiari, cum quidam ex ipsis veteribus eamdem amplectantur. Nec opus est dubiis coniecturis vel expositione aliunde in scripturam illata, quale propositum & qualis professio cœlibatus tempore apostolorum fuerit usitata, cum diserte id expositum exstet 1 Cor. VII. tum κατὰ θέσιν, v. 37. *qui statuit in corde suo firmus, & hoc iudicavit in corde suo*, tum κατ' ἄρσιν v. 35. *non ut laqueum vobis iniiciam*, v. 9. *qui se non continent, nubant*; ergo propositum ac professio cœlibatus in ecclesiis apostolicis non fuit coniuncta cum abiuratione coniugii; sed libertatem illam sive tacite sive expresse habuit additam, ut si non continere possint, hoc est, si vel ustionis sustinendæ vel scortationis periculum impendeat, nuptias contrahere possint. Eodem modo textum apostolicum interpretantur quidam ex illis ipsis, quos Bellarminus nobis opponit. Patres concilii Carthaginensis can. CIV. & concilii Toletani quarti can. LV. non dirimunt nuptias earum, quæ viduitatem ac virginitatem professæ erant, sed aliis pœnis coërcent levitatem ab illa professione temere discedendi. Ancyrana synodus can. XVIII. *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati sunt professione contenta, inter bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debent.* Tertullianus lib. de monog. c. XIII. tantum professionis meminit, ac iunioribus viduis, quæ viduitatem professæ erant, nubere concedit. Cyprianus lib. I. epist. XI. *Deo dicatas vocat*, & addit: *Quod si ex fide se Christo dicaverunt, pudicæ & castæ sine ulla fabula perseverent, ita fortes & stabiles præmium virginitatis exspectent. Sin autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est ut nubant, quam ut in ignem suis deliciis cadant. Certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant.* Epiphanius d. l. traditionem profert, *peccatum esse post decretam virginitatem ad nuptias converti, ac proinde multi temporis pœnitentiam imponit nubentibus post votum, ut sic tandem ad ecclesiam inducantur*, & hoc vocat κρίμα. Sed addit: *Melius est habere* κρίμα, *quam* κατάκριμα, *melius est unum peccatum habere, quam plura, melius est lapsum a cursu palam sibi uxorem accipere, iuxta legem, quam occultis iaculis sauciari ab improbitate, quæ ipsi a diabolo infertur*; & hoc vocat κατάκριμα, quando malunt occulte scortari, quam apud homines confundi. Chrysostomus comment. de iunioribus viduis virginitatem professis interpretatur illud apostolicum: *Volo iuniores nubere. Quoniam*, inquit, *ipsæ volunt nubere, volo & ego iuniores nubere, liberos gignere, domum administrare. Longe enim præstat, hæc facere, quam illa, quæ scilicet de damnatis viduis ibi dicuntur. Oportebat quidem curare, quæ Dei sunt, oportebat fidem servare, quando vero illa non fiunt, melius est hæc fieri, quam illa, quidpe viduitas illa nihil boni parit, ex hisce vero nuptiis* (earum scilicet quæ viduitatem professæ erant, cum continere non possent) *multa bona.* Hieronymus in epist. ad Ageruch. exponit textum de fornicatione hoc sensu: *Postquam in iniuriam sponsi sui fornicatæ fuerint, etiam hoc addunt, ut nubere velint.* Eodem modo Basilius de virg. accipit de illis, *quæ fornicantur a Christo.* (At non for-

fornicationem, sed coniugium in illis simpliciter ab apostolo damnari pontificii contendunt.) Ambrosius in comment. verba apostoli: *volo iuniores viduas nubere*, sic explicat: *Quoniam quæ supra dixit de huiusmodi, quod contraria & illicita perducant eas ad mortem, idcirco consilium dat & præcipit ea fieri, quæ licita sunt, & multum expedit nubere, quam sub bona & pia professione notabiliter incedere, sic enim invenit occasionem satanas, quomodo subvertat inconsultas animas, cum pia profitentes iniuste versantur.* Augustinus de bono vid. cap. XIX. *Non ipsæ nuptiæ talium damnandæ iudicantur, sed damnatur propositi fraus.* Cap. X. *Qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acute ac diligenter considerare, quid dicant, fallit quidpe eos similitudo veritatis, &c. non possum dicere a proposito meliori lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse non coniugia.* Theophylactus in comment. illa duo: *iuniores nubere volunt, & volo iuniores nubere;* sic connectit: *Volo & ego indulgens & concedens earum votis, ne diabolus illudat ipsis, quod cum Christi sponsæ factæ essent, sint adulteræ, ideo sub matrimonium eas duco.* Hæc omnia ostendunt, patres nequaquam per *primam fidem* intellexisse solenne illud votum continentiæ cum coniugii abiuratione coniunctum, propter quod matrimonium post votum contractum dirimi debeat. 3.) Lutheri adsertioni, quod *fides in scripturis nusquam significet votum*, hoc opponit: *Etsi fides nusquam alibi significat votum, tamen multis in locis significat promissionem sive constantiam in promissione servanda, quorum utrumque ad votum pertinet.* Gen. XLIV. Rom. III. *Quod autem non solum possit, sed etiam debeat fides hoc loco pro pacto vel voto accipi non pro fide christiana, qua Deo credimus, colligitur ex verbo*: irritam fecerunt; *nam fides, qua Deo credimus, non recte dicitur irritari, sed amitti vel corrumpi, pacta autem & vota propriissime dicuntur irritari.* Deut. XXX. Psalm. LXXXVIII. Resp. aliud est *promissio*, sive *votum simplex*, ut loquuntur pontificii, aliud vero *votum solenne* continentiæ cum omnimoda coniugii abiuratione coniunctum. Concedimus, viduas illas in collegium istud ecclesiasticum receptas habuisse propositum seu decretum, quin & promissionem expressam vel tacitam in viduitate permanendi, ac ministerio suo pauperibus, ægrotis, exsulibus, &c. diligenter serviendi, ut superius demonstravimus; sed negamus eas voto solenni cum abiuratione coniugii in perpetuum sub conditione æternæ damnationis sese obstrinxisse. Procedit Bellarminus a genere ad speciem adfirmative, quando sic colligit: *Fides hic significat promissionem. Ergo votum solenne;* quod perinde est, ac si velim concludere: Animal est. Ergo homo. Recte ergo dicuntur *hanc fidem irritam fecisse*, quando ab illo viduitatis proposito petulanter recesserunt, ac curam ministerii sibi commissi negligenter ac fraudulenter administrarunt, adeoque fidem ecclesiæ datam fefellerunt, nam & fides etiam in secunda tabula servanda est. Quod autem ex verbo ἠθέτησαν Bellarminus colligit, *non posse hic intelligi fidem Christianam, qua Deo credimus*, admodum absurdum est; quin in baptismo fœdus cum Deo erigimus, & fidem ipsi damus, quod velimus ipsum ex verbo agnoscere, colere ac celebrare, quod si iam per apostasiam vel per peccata contra conscientiam a fide Christiana discedimus, recte dicimur primam illam fidem ἀθετεῖν, repudiare, reiicere, irritam facere. Si increduli & inobedientes dicuntur ἀθετεῖν *Dei mandatum*, Marc. VII. 9. *Christum ipsum*, Joh. XII. 48. *gratiam Dei*, Gal. II. 21. *legem Mosis*, Hebr. X. 28. ac quid sit ἀθετεῖν πίστιν, exponit apostolus in hac ipsa epistola *per τὸ*

facere naufragium circa fidem, deficere a fide, fidem negare, a fide aberrare. 4.) *Nulla causa erat, cur viduæ illæ, si non voverant continentiam, non possent nubere, nisi deficerent ad Iudæos aut paganos, quis enim illas prohibebat nubere inter Christianos?* Resp. imo vero animadvertebant, illam temeritatem in suscipiendo & levitatem in abiiciendo viduitatis proposito, quod non amplius erat privatum, sed receptione in collegium illud viduarum publice contestatum, inque repudiando ecclesiastico illo, quod ipsis commissum erat, officio, fuisse variis hominum iudiciis & sermonibus obnoxiam, ac veritatis adversarii inde acceperunt occasionem calumniandi, obtrectandi & conviciandi; unde quædam ex illis viduis prorsus defecerunt a christiana religione, ut absque levitatis ignominia & exprobratione Judæis vel gentibus nubere possent. Adde quod in hisce viduis propositi illius temeraria susceptio & inconstans mutatio coniuncta fuerit cum negligentia & contemtu officii ipsis commissi & cum aliis gravissimis peccatis contra primam & secundam tabulam admissis. Frustra Bellarminus urget, quod *luxuriari contra Christum non possit significare defectionem a fide Christi, sed scortari in iniuriam Christi*, utrumque enim apostolus illis viduis tribuit, quod *lascivierint contra Christum*, & quod *abierint retro post satanam*, qua phrasi apostasiam a fide christiana significari iam ante fuit ostensum. 5.) *Apostolus dicit, viduas illas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt nubere volentes; nulla autem mulier in baptismo promittit, se non esse nupturam, ergo non potest intelligi fides in baptismo data.* Resp. non absolute & simpliciter per nubendi voluntatem fidem in baptismo datam fecerunt irritam; sed per voluntatem nubendi *hoc modo*, petulanter & insolenter lasciviendo contra Christum, curam officii sibi demandati abiiciendo, post satanam retro abeundo. Fidem ecclesiæ datam irritam faciebant nubendo, fidem Christo datam irritam faciebant peccata atrocia contra conscientiam perpetrando, & a religione Christiana penitus deficiendo. Per τὸ καταστρηνιάζειν τῆς χριστῆ Bellarminus intelligendum esse dicit, vel quod *deliciis spiritualibus in domo Dei prius abundarint, & postea ingratæ sponso cœlesti terrenas adpetant nuptias*, vel quod *in domo Dei ecclesiæ sumtibus ad satietatem pastæ fuerint*, sed emphasis huius verbi longe atrocius aliquod peccatum ostendit, ut monuimus superius. At, inquit Bellarminus, *si de scortatione illud καταστρηνιάζειν usurpatur, non solum non reprehendi, sed etiam laudari deberent, si a scortatione ad honestum coniugium transire vellent. Iam vero apostolus eas damnabiles propterea pronunciat, quod nubere velint.* Resp. imo vero absurdissimum est, talem interpetationem textui inferre, cum diserte addat apostolus, *volo iuniores habere*, cum *doctrinam dæmoniorum* pronunciet matrimonii prohibitionem, cum *laqueum per cœlibatum alteri inici nolit*, cum perpetuæ veritatis sit apostoli pronunciatum, *melius est nubere quam uri.* Ergo non simpliciter in illis damnat velle nubere, sed *ita* nubere velle, ut ibidem describit. 6.) *Etiamsi de fide in baptismo data apostolus loqueretur, adhuc nihil concluderetur, nam baptismo promisimus legem Dei nos servaturos, lex autem passim inculcat, vota esse reddenda. Ergo illæ viduæ votum violando fidem in baptismo datam fecerunt irritam.* Resp. apostolus diserte exponit, quo modo & quibus peccatis fidem irritam fecerint, non voti alicuius solennis violatione, (illud enim in apostolica ecclesia non fuisse usitatum demonstravimus superius,) sed a religione christiana defectione & gravissimorum peccatorum commissione. 7.) *Etsi apostolus iubeat viduam eligi annorum sexaginta,*

ginta, tamen non vetulas, sed adolescentulas adcusat, quod primam fidem irritam fecerint volendo nubere. Si ergo iuniores non possunt continentiam vovere, cur eas reprehendit? Resp. concedimus viduas illas, quas reprehendit apostolus, fuisse iuniores, quæ ob recentem ex maritorum obitu luctum & ob mœstitiam, imo propter inopiam, cum omni subsidio destitutæ essent, constituerant, se in cœlibatu velle manere, ac ideo in collegium illud se recipi petierant, data fide ecclesiæ de curandis ægrotis, exsulibus, pauperibus &c. servitio; postmodum vero, cum intelligerent se dono continentiæ non esse instructas, cœperant contra Christum lascivire, & cum infamia christianæ religionis peccatis in textu apostolico descriptis se contaminare. Paulus igitur huic malo obviam iturus utrumque in hac ad Timotheum epistola præscripsit, tum ut viduæ iuniores, si quæ adhuc in collegio essent, ac continere non possent, nuberent, ne ullam occasionem diabolo præberent, tum ut in posterum iuniores viduæ ab illa professione reiicerentur, & nulla inferior sexaginta annis in illud collegium adsumeretur. *Viduæ illæ* (inquit Chrysostomus in com.) *ex simplicitate non recte, nec ex vero iudicio elegerant viduitatem;* & addit: *Lapsus, qui inde acciderunt, præbuerunt occasionem ταύτης νομοθεσίας.* Si temerariam iuniorum viduarum professionem adprobasset, nunquam eiusmodi legem præscripsisset. 8.) *Quando apostolus iuniores viduas eligi prohibet, non loquitur de admissione ad votum continentiæ, sed vel de electione ad quamdam præfecturam & ordinem diaconissæ, vel, quod probabilius, de admissione ad numerum viduarum, quæ ab ecclesia alebantur.* Resp. petitur principium, dum aliud quoddam solenne continentiæ votum in apostolica ecclesia usitatum fuisse statuitur, præter illam viduitatis professionem quam vel verbis vel ipso facto præstabant viduæ in collegium illud ecclesiasticum receptæ, quæ ecclesiæ sumtibus alebantur, ut constat ex v. 16. Contextus apostolicus sole clarius ostendit, apostolum exponere causam huius sui διατάγματος quod vidua 60. annis minor non debeat καταλέγεσθαι, adscribi & numerari in illo viduarum catalogo, quia scilicet experientia docuerit, viduas iuniores propositum illud facile mutare, ac magna ex eo pericula & scandala ecclesiæ oriri, si continere non possint. Finge de alio voto viduarum in collegio sermonem esse apostolo v. 9. quam v. 11. peribit penitus συνάφεια καὶ συνέτεια textus. 9.) Contra Martyrem probat, *non posse discrimen statui inter κρίμα & κατάκριμα, sed κρίμα, ut alibi* Ioh. III. 17. Rom. III. 8. XIII. 2. *ita quoque hoc loco significare damnationem æternam coram Deo.* Resp. auctor huius distinctionis non est Martyr, nec Bucerus, sed Epiphanius hæres. LXI. ut vidimus superius. Ac sane, si de temeraria susceptione & inconstanti mutatione propositi per se & absolute loquamur, locum habere potest illa distinctio Epiphanii, quod illa adferat non κατάκριμα, condemnationem in *iudicio divino*, sed κρίμα, sive adcusationem levitatis in *iudicio ecclesiæ*, sicut Paulus 1 Tim. V. 14. κρίμα per λοιδορίαν explicat, ex 1 Tim. III. 6. neophytum εἰς κρίμα facile incidere adserit; sed quia apostolus hisce viduis non tantum levitatem in abiiciendo viduitatis proposito, sed etiam multa gravissima peccata contra primam & secundam decalogi tabulam commissa tribuit, ideo facile concedimus, τὸ κρίμα in hoc textu apostolico æternæ damnationis reatum significare, ac viduas illas non tantum in ecclesiæ, sed etiam in ipsius Dei iudicio iustam damnationem peccatis suis promeruisse.

§. DXVI. Ostendimus hactenus *votum solenne continentiæ*, quale in papatu viget,

get, esse ἄγραφον, nec ullum vel mandatum, vel promissum vel probatum exemplum in sacris literis habere. Quæ ex conciliis, pontificum & imperatorum decretis, ac patrum scriptis pro eo adstruendo Bellarminus libr. II. de monach. c. XXV. XXVI. & XXVII. adfert, ea 1.) non probant, ab institutione divina, sed tantum a constitutione ac consuetudine ecclesiastica solennia illa vota cum abiuratione coniugii coniuncta descendere. 2.) Distinguenda sunt vetustiorum conciliorum ac patrum dicta a recentioribus, cum ab apostolicæ ecclesiæ simplicitate & εὐταξίᾳ magis magisque discessum fuerit. 3.) Testimonia pleraque de voto continentiæ *simplice*, id est, de proposito & professione cœlibatus loquuntur; non autem de voto *solenni*, quo sub conditione æternæ damnationis, quocunque etiam casu emergente, coniugium penitus abiuratur. 4.) Dicta illa sunt dissimilia, nec vel cum scripturis, vel secum ipsis, vel cum pontificiorum sententia per omnia consentiunt, unde ipsi pontificii a patribus ad pontificis sui decisionem sæpius recurrunt. 5.) Quædam scripta sunt dubiæ fidei, ut constitutiones Clementis, epistolæ decretales antiquissimorum pontificium, Dionysii Areopagitæ libri, Abdiæ Babylonii liber &c. Historiam de virgin. Teclæ Johannes evangelista reiecit, ac presbyterum quemdam in Asia σπουδαστὴν Pauli publice convicit, quod supposititium librum sub nomine & titulo Pauli ediderit, referente Tertulliano in lib. de bapt. c. XVII. p. 225. & Hieronymo in catal. illustr. in Luc. tom. I. p. 102. ac Gelasius in c. Sancta Romana. dist. 15. Legendam de Tecla reiecit inter apocrypha. 6.) Constitutiones de cœlibatu & personis cœlibatum professis pertinent ad ecclesiasticam disciplinam, quæ pro ratione temporum plurimum solet variare. Tertullianus lib. de vel virgin. c. I. non longe a principio: *Regula fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis credendi scilicet in unum Deum omnipotentem & Filium eius Iesum Christum, &c. hac lege fidei manente cætera iam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usque in finem gratia Dei.* Qui speciale singulorum dictorum examen desiderat, adeat Chemnitium in exam. conc. Trid. p. III. c. de cœlib. & virgin. ac Sutlivium de monach. cap. XXIV. Quæ de dignitate continentiæ c. XXVIII. Bellarminus adfert, quod *coniugio longe excellat, atque angelis homines comparet*, de illis iudicium fieri potest ex illis, quæ in præcedenti quæstione adlata. Sed demus, continentiam coniugio longe excellere, num propterea eo modo ac fine debet voveri, quo in papatu illud fieri videmus? Urget Bellarminus *vovendi utilitatem*. Sed ex ea non potest inferri, quodlibet votum de re quacunque a quibuscunque personis præstitum Deo esse gratum & acceptum, ut suo loco plenius demonstratur.

§. DXVII. Transitum ergo facimus ad alterum membrum, in quo confirmandum fuerit, votum cœlibatus in papali regno usitatum esse II.) ἀντίγραφον, & quidem multis modis. Utpote 1.) ratione *causæ efficientis*, 2.) ratione *materiæ*, 3.) ratione *formæ*, 4.) ratione *finis*, 5.) ratione *effectus*. *A.*) Ad *causæ efficientis vitium* referimus sequentia capita: I.) Quod *vota cœlibatus suscipiunt, vel etiam exigunt a personis in ætate adhuc immatura constitutis, ac proinde iudicii maturitate destitutis.* Leo I. consecrationi monialium constituerat annum 40. quod facit etiam concilium Cæsaraugustanum cap. ult. & Agathense can. XIII. Pius I. annum 25. quod facit etiam concilium Carthaginen-

II.) *Est ἀντίγραφον.*
A.) *Ratione causæ efficientis.*
I.) *Suscipiunt vota iuniorum.*

nense III. can. IV. Gregorius lib. I. epist. 48. ante annum. 18. vetat fieri votum. Sed pontificii etiam a constitutis in ætate adhuc minore votum perpetui cœlibatus & coniugii abiurationem suscipiunt. In masculis annum 14. in fœmellis annum 12. ad præstandum illud votum sufficere censent. cap. ad nostram x. de regularib. c. Significatum. c. cum virum. tit. eod. c. puella 20. q. 2. Concilium Trullanum can. XL. & concilium Triburiense can. XXIV. permittunt professionem etiam ante annum 12. Concilium Trid. sess. XXV. can. XV. statuit, *professionem non debere fieri ante annum* 16. Bellarminus de monach. c. XXXV. duas propositiones de ætate voventium format. Prior hæc est, quod *ad vota suscipienda continentiæ, obedientiæ & paupertatis requiratur quidem ea ætas, in qua sit usus liberi arbitrii, sed ubi is adfuerit, in quacunque ætate licere talia vota nuncupare.* Posterior sic habet, quod *ad professionem publicam expetenda sit ea ætas, quam leges ecclesiæ præscribunt, quæ pro temporum & locorum diversitate exstiterint variæ.* Praxin ipsam si respicere velimus, adparebit, verissimum esse, quod in Aug. confess. cap. de votis monach. dicitur: *quotusquisque consulto vovit? Puellæ & adolescentes, priusquam iudicare possunt, persuadentur ad vovendum, interdum etiam coguntur.* Nos huic adsertioni & praxi pontificiæ opponimus 1.) *dictum apostolicum*, 1 Tim. V. 9. *Vidua eligatur non minor sexaginta annis.* v. 11. *Adolescentiores autem viduas παραιτοῦ reiicere.* v. 14. *Volo iuniores viduas nubere, ne occasionem calumniandi dent adversario.* Cum Paulus suam de cœlibatu sententiam ecclesiis exposuisset, quod sit utilis propter præsentem necessitatem, & expeditior ad curanda ea, quæ sunt Domini, iuniores viduæ illud consilium prætextu maioris sanctitatis arripiebant, cum nondum de continentiæ dono sese explorassent, ac petebant se recipi in collegium illud viduarum ecclesiasticum, in quo a curis œconomicis & coniugio liberæ servitia sua ecclesiæ præstabant. Sed quia postmodum ustiones sentiebant, ac sine nota levitatis & inconstantiæ apud christianos se non posse nubere intelligebant, tandem penitus ab ecclesia deficiebant, ut absque exprobratione Judæis vel gentilibus maritis nubere possent; hoc tristi viduarum illarum exemplo apostolus permotus ætatem 60. annorum definivit, quam adtingere vidua debuerit, antequam in illud collegium viduarum reciperetur, propter periculum scilicet lapsus, cui iuniores sunt subiectæ, quas proinde ad coniugium ablegandas esse censet. Et quia eadem hac in parte virginum iuniorum est ratio, quæ viduarum, ideo idem de illis debet esse iudicium, ac statuenda hæc generalis regula, quod propter pericula, quæ ex eo oriri experientia testatur, in iuvenili ac lubrica ætate ad cœlibatus professionem ac votum nemo sit adstringendus. Quamvis lex mosaica Num. XXX. 10. in genere pronunciet? *Vidua & repudiata quidquid voverint, reddent;* tamen Paulus viduitatis professionem in iunioribus viduis reiiciendam statuit, ac Timotheum episcopum instituit, ut viduas iuniores, hoc est, 60. annis minores ab hac professione repudiet, & ad coniugia mittat. Annus ergo decimus quartus vel eo adhuc minor nondum est legitimum ætatis tempus, quo votum solenne cœlibatus exigi vel suscipi possit; tunc enim nondum constare potest, an adsit continentiæ donum, sed exspectari debet annus professionis, quem ipsa scriptura determinat: ac proinde si propter decreta pontificis liberi sunt a nexu voti, qui infra probationis annum, quem ipsi constituerunt, cœlibatum voverunt, cur non multo magis propter decretum apostoli liberi erunt a nexu voti, quod infra probationis annum,

Contra urgebur 1.) *Dictum apostolicum.* 1 *Tim. V.* 9.

quem apostolus constituit, emiserunt? *Quam horribiliter*, inquit Chemnitius, *regnum pontificium contra canonem per electum Christi organum promulgatum peccat, & communicat nefandis aliorum peccatis, quod votum cælibatus non exspectato anno 60. in iuvenili lubrica ætate conscientiis vel imponit, vel voluntarie oblatum non tantum recipit, sed fieri consulit, suadet, hortatur, & hoc laqueo innumera animarum millia in barathrum æternæ damnationis præcipitat!*

§. DXVIII. Excipit Bellarminus cap. XXV. *viduas illas tantum a numero earum viduarum, quas ecclesia alebat, non autem a voto continentiæ excludi*, id quod cap. XXIV. latius declarat hoc modo: *Nolebat apostolus viduas minores annis 60. ab ecclesia ali, quia iuniores possunt labore victum sibi comparare, & præterea, quia iuniores difficilius conservantur in pudicitia, & turpius erat, aliquam earum viduarum, quæ ab episcopo alebantur & regebantur, labi quam aliam, ideo eas valde probatas esse volebat, & quibus nullum periculum incontinentiæ timeretur.* Resp. demus, turpius fuisse, labi aliquam earum viduarum, quæ ab ecclesia alebantur; interim relinquitur, turpe etiam illud esse, labi aliquam, quæ viduitatem est professa. Quod si ergo iuniores arcentur a collegio illo viduarum propter periculum lapsus, utique propter eamdem causam a voto erunt arcendæ, periculum enim lapsus utrobique idem. Præterea si ex constitutione apostoli iuniores vel virgines vel viduæ arcendæ a collegio earum fœminarum, quæ ecclesiæ sumtibus aluntur, & ab episcopo reguntur, nullæ 60. annis inferiores in monasteriis recipiendæ, nec continentiæ votum solenne ab illis suscipiendum, quia omnes ab ecclesia aluntur, & ab episcopo reguntur. Adde, quod Bellarminus magnis viribus ex hoc loco apostolico pro adstruendo continentiæ voto disputaverit, ac ad omnes continentiæ voto obstrictas hoc referendum esse docuerit, quod Paulus dicit, *habent damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt volentes nubere.* Atqui si est dispar ratio inter illas viduas ecclesiæ sumtibus sustentatas & inter moniales votivas, subruitur penitus argumenti fundamentum. Denique quorsum diceret apostolus: *Volo iuniores nubere*; nisi propter illud periculum lapsus non solum a collegio viduarum ecclesiastico, sed etiam a continentiæ voto eas reiciendas esse vellet? Non solum *negative* suam exponit sententiam, quod nolit eas recipi in numerum earum, quæ ecclesiæ sumtibus aluntur, sed etiam *adfirmative*, quod velit eas in matrimonium collocari; frustra ergo de continentiæ voto illis proposito cogitatur. Regerit Bellarminus, *illis verbis:* volo iuniores viduas nubere; *opponendum esse illud* 1 Cor. VII. volo omnes esse sicut me ipsum, *id est, continentes. Cum enim istæ voluntates contrariæ sint, oportet dicere, neutrum adferre præceptum, & absolute quidem apostolum cupivisse, ut omnes continerent, tamen, quia nonnullæ bonum propositum deseruerant, cœpisse optare, ut iuniores, quæ non viderentur perseveraturæ, potius nuberent, quam voverent.* Resp. hic constrictus fuit Bellarminus. Apostolus nequaquam sibi contradicit, sed pro diversitate personarum, donorum, temporum, &c. consciențiis pie & prudenter consulit. De personis dono continentiæ instructis dicit: *volo omnes esse sicut ego sum*; ac: *bonum est, si sic permanserint*; sed de personis hoc continentiæ dono destitutis ait, *melius est nubere, quam uri; volo iuniores viduas nubere.* Ac prioribus quidem non proponit præceptum aliquod virginitatis vovendæ, sed dicit, γνώμην δίδωμι, *consilium do*, & per antitheſin addit, *præceptum Domini non habeo;* 1 Cor. VII. 25. proinde etiam eos peccare negat,

si matrimonium contrahant, v. 36. sed de iunioribus viduis ustionum flammas sentientibus dicit, *βέλομαι, censeo* illis *nubendum* esse, 1 Tim. V. 14. ac propter *fornicationem quælibet* ἐχέτω, *habeat virum suum*, 1 Cor. VII. 2. si *non continent se*, γαμησάτωσαν, *nubant*. v. 9.

2.) *Gravissimum periculum.*

§. DXIX. 2.) *Gravissimum periculum, cui iuniores cœlibatum cum abiuratione coniugii voventes se exponunt.* Cum enim non tantum exemplum istarum viduarum, de quibus 1 Tim. V. 11. agitur, sed etiam quotidiana experientia clamet, quosdam in primo quidem iuvenilis ætatis flore ac vigore cœlibatus amore & admiratione ita duci, ut deliberato etiam proposito eum susciperе non reformident, qui postea incontinentia ita tentantur, ac ustionum flammis ita æstuant, ut nullo conatu, nulla lucta nec remediis aliis eas reprimere & exstinguere possint; ideo gravissimo salutis periculo se exponunt, qui in iuvenili & immatura ætate adhuc constituti, ita se cœlibatui devovent, ut æternæ damnationis reos se constituant, si, quocunque etiam casu incidente, coniugium postea contrahant. Certæ viduæ illæ 1 Tim. V. 11. sibi persuadebant, se continentiæ dono satis instructas, unde propositum habebant, in hoc vitæ statu permanendi; sed quia erant iuvenculæ, tentationes diaboli non effugiebant, post quem quasdam earum retro abiisse, & a fide christiana penitus defecisse apostolus testatur.

3.) *Consequens absurdum.*

3.) *Consequens absurdum.* Si licet votum continentiæ nuncupare in quacunque ætate, modo adsit usus liberi arbitrii; consequens fuerit, etiam impuberes posse continentiam perpetuam vovere. Sed consequens est absurdum, *quia impuberes ordinarie in iudicio iurare non possunt*, iuxta communem sententiam; ergo multo minus Deo in re tam gravi solenniter & cum abiuratione coniugii perpetuam continentiam vovere possunt. Impuberes non possunt se ipsos ex contractu obligare, ergo etiam non poterunt se ipsos monasteriis devovere. Idem congruit iuri canonico c. ad nostram. &c. significatum. x. de regularibus ubi statuitur, quod *ante annum* 14. *hoc est, annum pubertatis non sit efficax huius obligatio.*

4.) *Primitivæ ecclesiæ judicium.*

4.) *Primitivæ ecclesiæ judicium.* Concilium Romanum sub Sylvestro virginem sacratam benedici vetuit, *ante annum ætatis suæ* 72. & addit rationem, quia *post eam ætatem nullum est periculum, ne earum pudicitia violetur.* Excipit Bellarminus, *locum esse corruptum, & fortasse multo minorem annorum numerum debere poni.* At si conciliorum acta sunt corrupta, cur ad illa pontificii in controversiis toties provocant? Ex circumstantiis adparet, voluisse illius concilii patres ponere numerum annorum, qui ad eum, quem apostolus præscripsit, accederet, iuniores itaque non minus quam apostolus reiecerunt. Addit deinde, *concilium loqui de virginibus, quæ antequam velarentur, viros petierunt, & propterea diuturniore probatione opus habuerunt.* Sed concilium non loquitur de illis, quæ viros petierunt, *sed quæ ad Christi nuptias per votum virginitatis adspirant;* ac si diuturniore illa probatione indigent, quæ viros petierunt, utique pleræque omnes eadem indigent, quia inclinatio sexus ad sexum omnibus naturaliter insita, nisi peculiari Dei dono refrenetur. Concilium Cæsaraugustanum & Agathense *ante* 40. *annum* virgines velari prohibuisse diximus superius. Ambrosius in comm. 1 Tim. V. *Paulus prohibet iuniores in hac suscipi professione, lubricæ [illegible]m ætati fides facile adhiberi non debet.* Item: *Ostendit, damnationem tales manere, ne facile audeant, quod implere difficile est, aut si animus est huic devotioni deditus, apud se interim teneat, quia*

quia temerarium dicit esse profiteri, quod adhuc iuvenili ætati credi non debet. Cumque ipse Ambrosius huius salutaris admonitionis oblitus virgines admodum iuvenes velaret ab auditoribus, propterea reprehensus fuit, sicut ipse conqueritur libr. III. de virginibus, ex quo constat, eo tempore illud novum adhuc ac insolitum fuisse. Gregorius libr. III. epist. XI. *Nullum episcoporum fraternitas tua, nisi sexaginta annorum virginem, cuius ætas hoc atque mores exegerint, velare permittat.* Excipit Bellarminus, *Gregorium loqui de sola abbatissa.* Atqui abbatissa non dicitur velari, sed eligi, ac titulus capitis generalis est, nullam virginem, nisi sexagenariam velandam esse. 5.) *Saniorum pontificiorum suffragium.* Præpositus in c. cum haberet de eo, qui duxit in matrimon. quam per adult. scribit, *non esse de facili inducendam pœnitentiam perpetuæ continentiæ, nisi ei, qui iam transierit dies suos, in quem non facile cadat præsumtio fornicationis.* Cassander in consult. art. XXIII. de cœlib. sacerd. *Fatendum est, graviter a posteris esse peccatum, qui hanc utilem pro tempore constitutionem cœlibatus multis in laqueum verterunt, dum iuvenes nondum sibi cognitos & exploratos temere ad ecclesiasticum ministerium admiserunt, & cum illi castitatis onus sibi impar esse sentirent, impuros potius concubitus dissimularunt, &c.*

Pro votis iuniorum.

§ DXX. Unde vero probat Bellarminus, etiam *iuniori-bus* licere perpetuam continentiam vovere? Profert I.) dictum Jeremiæ Thren. III. 27. *Bonum est homini, si portaverit iugum ab adolescentia sua.* Resp. 1.) Quomodo pro voto iuniorum ex vet. test. argumentum adferre potest, cum pro ipso cœlibatus voto nullum adduxerit ex vet. test. fundamentum? 2.) Loquitur propheta non de votis monasticis *obedientiæ & continentiæ, sed de patientia* in cruce, ut ostendit integer contextus. *Bonum*, inquit, est, *præstolari cum silentio salutare Dei*, id est, in patientia & spe exspectare a Deo auxilium in adversis. *Bonum est viro, cum portaverit iugum*, crucis scilicet a Deo sibi impositæ, *ab adolescentia sua*; qui enim a prima statim ætate sub cruce exercentur, levius eam ferunt, & alios efficacius consolari possunt. Talis homo *sedebit solitarius, & tacebit*, hoc est, humano auxilio destitutus, in spe & silentio causam suam Deo commendabit, & eventum felicem exspectabit, *quia portavit super se*, scilicet iugum, ut Pagninus ex Theodoreto & Olympiodoro in versione addit. Eodem modo hunc locum accipit Christophorus a Castro lib. V. comment. p. 458. *Ad consolationem*, inquit, *eorum, qui in tribulationibus despondent animum, hæc dicit, oportet enim subiici sub potenti manu Dei, ut eripiat nos in tempore tribulationis, non illi resistere.* Et postea: *Chaldæus paraphrastes, Hugo, Dionysius & Isidorus intelligunt iugum legis ac mandatorum. Ruperto & Lyræ videtur congruentius significari tolerantiam rerum adversarum Dei decreto & voluntate venientium.* 3.) Duplex iugum in scripturis nobis proponitur, *divinum & humanum.* Illud continet tum præcepta divina, tum crucem divinitus impositam; Matth. XI. 29. hoc vero continet tum ἐντάλματα humana, tum crucem sponte accersitam; Act. XV. 10. Gal. V. 1. illud patienter ferendum, hoc vero cavendum, cum Christus caro pretio nos ab eo liberaverit, iam vero iugum monasticum pertinet ad ἐντάλματα humana. II.) *Dictum Christi* Matth. XIX. 14. *Sinite parvulos ad me venire.* Resp. Bellarminus lib. I. de bapt. c. VIII. ex hoc dicto probat, infantes per baptismum Christo offerendos esse, ac refellit exceptionem Anabaptistarum, *quod evangelia loquantur non de infantibus, sed de pueris, qui iam usum rationis*

tionis habent. Lucas, inquit, *utitur nomine βρέφη, quod significat infantes, & ibidem addit, eos portatos fuisse, non suis pedibus venisse.* Si hæc Bellarmini argumentatio ac responsio est solida, non potest hunc locum adplicare ad eos, qui rationis ac liberi arbitrii usum habentes vovent continentiam. Christi exhortatio generalis est, & omnes omnino Christianorum liberos complectitur, quod adferri & offerri ipsi debeant per preces, per baptismum, per informationem & disciplinam; sed ne ipsi quidem pontificii volunt de voto continentiæ generale aliquod præceptum exstare, nec dum probatum est, parvulos per votum continentiæ venire ad Christum, cum scriptura nuspiam tanquam medium perveniendi ad Christum proponat votum continentiæ. III.) *Exempla b. Mariæ, Iohannis baptistæ, Antonii, Pauli eremitæ, Hilarionis, Benedicti, Bernhardi &c. qui in adolescentia monachi facti, & sanctarum virginum Theclæ, Agnetis, Ceciliæ, Agathæ, Luciæ, Claræ, Catharinæ, &c. quæ adolescentulæ adhuc voverunt continentiam.* Resp. exempla hæc non sunt eiusdem generis. Nec Johannes baptista, nec b. virgo monasticæ vitæ per votum sese obligarunt. Antonius & Hilarion viri erant ætatis maturæ cum vitam solitariam sequi cœpissent. Paulus ætate iam grandior ob metum persecutionum elegit. Quidquid sit, non exemplis sed legibus iudicandum, nec ex particularibus & specialibus exemplis generalis regula colligi potest. Dona sanctorum sunt varia ac diversa, eorum igitur exemplum citra vocationem imitari præposterum est. IV.) *Dicta patrum.* Resp. illa vero sunt dissimilia, nec cum scripturis nec secum invicem consentientia. Ambrosius libr. III. de virg. iuniores ad professionem admittit, sed in comm. 1 Tim. V. *periculosum illud esse* agnoscit. Nec de voto solenni, sed tantum de proposito servandæ virginitatis loquuntur, quando iuniores admittunt. Adde, quod veterum monasteria fuerint libera collegia & scholæ pietatis, disciplinæ ac virtutis, non autem claustra homines votorum laqueis constrictos & coniugium penitus abiurantes concludentia, ut constat ex Athanasio epist. ad Diacon. Chrysostomo libr. III. adv. vituperat. vit. monast. Augustino de moribus eccles. c. XXXIII. Sozomeno lib. III. c. XVI. Nicephoro libr. IX. c. XIV. &c.

§. DXXI. II.) Quod *vota cœlibatus suscipiunt a liberis sub potestate parentum adhuc constitutis*; unde illud Hieronymi in epist. ad Heliodorum perpetuo in ore habent: *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat, percalcato perge patre, siccisque oculis ad vexillum crucis evola, solum pietatis genus est hac in re esse crudelem.* Exempla vide in hist. iesuit. Hasenmülleri cap. VII. Nos hoc pugnare dicimus: 1.) *cum præcepto divino* de honorandis parentibus, Exod. XX. 12. ex quo petita est gravis exhortatio apostolica Eph. VI. 1. *Filii, vestris obedite parentibus in Domino, hoc enim iustum est.* At qui contra voluntatem parentum cœlibatui ac vitæ monasticæ sese devovent, non honorant parentes, nec debitam obedientiam illis præstant. Excipit Bellarminus de monach. c. XXXVI. *Iuxta Chrysostomi, Theophylacti, Hieronymi & aliorum expositionem ideo apostolum addidisse in Domino, ut intelligamus, non esse eis obediendum, nisi in iis, quæ non impediunt pietatem.* Resp. concedimus limitationem, sed negamus limitationis adplicationem. Nam si vel maxime non voveatur cœlibatus, nec vita monastica eligatur, nullum tamen ex eo pietati obiici-

II.) *Suscipiunt vota liberorum sub potestate parentum adhuc constitutorum.*

tur impedimentum, ut ostendimus superius. Primis illis ac melioribus ecclesiæ temporibus nec cœlibatus vota, nec monasticæ regulæ in usu erant, ecquis vero adfirmare ausit primos illos Christianos pietatis studio monachis fuisse inferiores? *In adfectibus*, inquit Erasmus in præf. enchir. mil. christ. p. 22. *est christianismi perfectio, non in vitæ genere, in animis est, non palliis, non cibis.* p. 31. *Non admodum desiderabimus in illis tria vota ab hominibus reperta, qui primum illud & unicum votum, quod in baptismo, non homini, sed Christo nuncupavimus, sincere pariterque servaverint.* Quod ergo Christus Pharisæis, ob traditiones suas præceptum de honorandis parentibus irritum facientibus, dicit Matth. XV. 3. Marc. VII. 9. idem & nos pontificiis ob vitæ monasticæ regulas & cœlibatus votum præceptum de parentibus honorandis posthabendum esse docentibus iure ac merito opponimus. 2.) Cum *expressa lege de votis filiæ tradita* Num. XXX. 4. *Mulier si quidpiam voverit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari;* v. 6. *Si statim eodem die, ut pater audierit, contradixerit, & vota & iuramenta eius erunt irrita*; ex quo sic colligimus: Cui competit votum filiæ infringere, absque eius consensu & contra eius voluntatem filia non potest cœlibatum vovere. Sed patri competit votum filiæ infringere. Ergo. Nec potest excipi, quod *hæc constitutio pertineat ad leges forenses sive iudiciales*, quia nititur iure patriæ potestatis, quod ex lege naturæ originem trahit. 3.) Cum *regula apostolica* 1 Tim. V. 4. τὰς ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις, ἐστὶ καλὸν καὶ ἀποδεκτὸν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Atqui illam ἀντιπελάργησιν & ἀπόδοσιν τῶν θρεπτηρίων plane susque deque habent, qui monasticam continentiam & obedientiam voverunt; neque enim vel consilio vel re ipsos adiuvant, in morbis eorum curam non gerunt, mœrentes non consolantur, adeoque pro educationis beneficio nullum grati animi signum ipsis exhibent. In vitis patrum commemoratur, quod *mater duos filios eremitas visitarit, videre cupiens materno adfectu fructus uteri sui, at illi clausa ianua negaverunt matri faciem suam, promittentes, in futura gloria sese eam visuros, si ferret in hac vita negatum conspectum.* Jacobo Schenckio, nobili Bavaro, Romæ per iesuitas seducto, & in patria iesuitarum societatem ingresso scribit pia & senio confecta mater, rogans, *ut societatem istam deserat, ad familiam suam antiqua nobilitate insignem redeat &c.* at filius matri piæ & grandævæ ex instinctu iesuitico rescribit: *Ego redire nec volo, nec possum, nec debeo, neque enim Christus propter lacrimas matris a cruce descendit.* Hasenmüllerus in histor. iesuit. cap. VII. p. 264. ubi plura eiusmodi ἀτοργίας exempla commemorat. Confer etiam legendam Francisci cap. II. Lessium in tractat. de stat. vitæ eligendo quæst. 2. pag. 48. Excipit Bellarminus, *præceptum de subsidiis temporalibus parentibus reddendis, ut alia omnia adfirmativa, non obligare nisi in casu necessitatis, cum videlicet pater sine filii opera vivere non potest.* Resp. imo vero vi præcepti divini filius parentibus subsidia temporalia debet non tantum in casu extremæ *necessitatis*, quando sine filii opera plane non possunt vivere, sed etiam in casu *honestatis*, quando sine talibus subsidiis non possunt satis commode vivere. Ut Deo, ita quoque parentibus nunquam potest reddi æquivalens præmium, quod vel ex naturæ luce saniores ethnici cognoverunt. Demus vero, præceptum illud non obligare, nisi in casu necessitatis, at ne sic quidem rationem eius habent votivi monachi ac moniales; quamvis enim in præsenti illo statu, quo vovent, parentes non indigeant eorum opera, tamen sæpius postmodum incidit tempus eius-

eiusmodi, ut indigeant, ac nihilo tamen minus a cura & subsidiis parentum filii arcentur. 4.) Cum *præscripto apostoli* 1 Cor. VII. 37. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicavit in corde suo filiam servare virginem, benefacit.* Hic patri tribuitur deliberatio & consilium de servanda filiæ virginitate. At si liberi invitis parentibus cœlibatum vovere possent, nulla amplius relicta foret parentibus hac de re deliberatio. 5.) Cum *paritatis ratione.* Liberi in potestate patria constituti non possunt invitis parentibus matrimonium contrahere, ut ostendimus superius. Ergo nec possunt perpetuo cœlibatui iisdem invitis se adstringere. Connexio probatur, quia apostolus potestatem elocandi filiam parentibus tribuit 1 Cor. VII. 38. *Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit, melius facit.* Uxor non potest vovere perpetuam continentiam sine consensu viri, nec servus potest religionem ingredi sine consensu domini. Ergo nec filii sine consensu parentum. Excipit Bellarminus, *esse disparem rationem, cum uxor non habeat potestatem sui corporis, sed vir, ac servus non habeat personæ suæ potestatem, filii autem quod personam suam sint liberi post annos pubertatis.* Sed contrarium ostendimus superius in quæstione de consensu parentum in nuptiis filiorum. 6.) Cum *canonibus veterum conciliorum.* Concilium Gangrense can. XVI. *Quicunque filii a parentibus prætextu divini cultus abscedunt, nec debitam reverentiam illis dependunt, anathema sint.* Excipit Bellarminus, *hoc statui contra eos, qui deserunt parentes, nec eorum curam gerunt, etiamsi maxime indigent.* At quotusquisque indigentiæ paternæ rationem in vovendo respicit? opposita est synodus Gangrensis Eustathio, qui monasticæ professionis prætextu liberos a parentum complexu & cura illis impendenda abstrahebat. Idem adhuc hodie faciunt monasticæ vitæ patroni ac defensores. At, inquit Bellarminus, *religiosi iuvant parentes, prout statui ipsorum convenit, videlicet precibus apud Deum;* quasi vero etiam extra vitæ monasticæ professionem non potuissent eos precibus iuvare, quasi non sint subordinata, precibus parentes iuvare, & curam eorum in egestate, in morbis, in periculis & adversis gerere? 7.) Cum *dictis patrum.* Basilius in regulis fere explicatis quæst. 15. eos, qui sub parentibus sunt, non aliter recipiendos esse censet, *quam si a parentibus adducantur.* Excipit Bellarminus, *loqui Basilium de filiis, qui ob minorem ætatem adhuc subsunt in omnibus patriæ potestati.* Atqui pontificii hodie votum recipiunt anno ætatis decimo sexto, in quo filii adhuc patriæ potestati subsunt. Principium in eo petitur, quod *filii puberes facti personæ suæ libertatem sortiantur, nec amplius sub potestate patria constitui sint.* Hieronymus epist. I. ad Demetriadem dicit, *Demetriadem non potuisse sua monasterio dare absque parentum consensu. Avia*, inquit, *vivente vel matre ipsarum arbitrio dispensanda sunt.* 8.) Cum *iure civili.* Illud enim negat filiumfamilias ex contractu absque autoritate & consensu patris inito obligari. l. Si quis ff. de pollic. l. filiusfamilias. C. de fideiussoribus.

Pro votis liberorum sub patria potestate constitutorum.

§. DXXII. Contra vero Bellarminus demonstrare conatur, *licere filiis invitis parentibus religionem ingredi, ac proinde etiam votum cœlibatus præstare, servatis tamen duabus conditionibus, una, ut ad annos pubertatis pervenerint, altera, ut parentes non sint in tali necessitate, ut sine filiorum auxilio vivere non possint.* Provocat 1.) ad *scripturas.* Sed rem perquam

quam difficilem se adgredi videns, præmunitionem ac præmollitionem quamdam præmittit. *Etsi* [inquit] *scripturæ hoc diserte non docent, tamen eis valde conforme est.* Nos vero dicimus, nec diserte hoc in scriptura doceri, nec eis conforme esse. Unde ergo probat? adducit ex veteri testamento Genes. XII. 1. *Egredere de domo tua & de cognatione tua & de domo patris tui.* Deut. XXXIII. 9. *Qui dixit patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, hi custodierunt eloquium tuum.* Psal. XLV. 11. 12. *Obliviscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscit rex decorem tuum.* Ex novo testam. Matth. X. 37. *Qui amat patrem vel matrem plus quam me, non est me dignus.* Luc. IX. 60. *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* At quo tandem artificio ex his dictis propositum suum demonstrare poterit Bellarminus? Quando parentum præcepta divinis præceptis sunt contraria, *magis Deo quam parentibus obediendum* esse, ex illis dictis efficaciter probatur; Act. V. 29. sed de voto cœlibatus ac vita monastica nullum exstat præceptum divinum, imo utrumque scripturæ penitus est ignotum. Utinam vero hodierna monasteria sub papatu essent officinæ pietatis, castitatis, honestatis, temperantiæ &c. ut vere dici posset, parentes a pietate & perfectione revocare filios, quando ab ingressu monasterii eos arcent! Abrahamus divinam secutus est vocationem, monachi absque vocatione suos deserunt. Abrahamus patre iam mortuo e domo patris sui est egressus; sed hic quæritur de egressu e domo parentis in monasterium vivo adhuc patre. Abraham ab idololatris discessit, monachi parentes pios & christianos deserunt. Abrahamus nec paupertatis nec obedientiæ monachalis nec continentiæ votum præstitit; sed monachi in illis votis summam perfectionis collocant. Idem iudicium de reliquis dictis & exemplis, quæ nihil probant, nisi præsupponatur istud, quod cœlibatum vovere, & monasterium ingredi sit Christum sequi, & mandato divino obsequi. II.) Ad *canones conciliorum*, ubi producit concilium Toletanum X. c. ult. concilium Triburiense can. XXIV. constitutionem Clementis III. c. cum virum de regularibus. *Resp.* Ius propriæ potestatis, quod parentibus competit iure divino, non potest illis adimi iure humano. Triburiense concilium loquitur de potestate *patroni in libertum*, non parentum in liberos, nec vult virginem velari ante annum ætatis 25. Clemens loquitur de tali puella, quæ a parentibus in monasterium tradita, quod illa, si ex post facto parentes dissentiant, non cogatur eorum sequi voluntatem. III.) Ad *testimonia patrum*, ubi adfert Chrysostomum libr. III. contra vitup. vit. monast. hom. LXXXIV. in Ioh. in com. Ephes. VI. Theophylactum in cap. XIX. Ioh. Ambrosium libr. I. de virg. Hieronymum in epist. de susp. contubern. & ad Heliodor. Augustinum epist. 38. ad Lesum. Gregorium Turonensem in vit. Leobardi. Gregorium magnum hom. 37. in evang. & Bernhardum epist. III. Resp. in plerisque dictis nihil aliud habetur, quam quod parentibus ad pietatem obsistentibus & in via Dei adversariis non sit obediendum. Id an ad parentes a voto cœlibatus & vita monastica, qualis hodie in papatu viget, filios sub potestate sua constitutos revocantes adcommodari possit, adhuc in quæstione est, ac quantum discrimen sit inter monasteria veterum & hodierna papatui addicta, alibi plenius ostenditur. IV.) Ad *rationes*. 1.) *Licet filiis parentibus invitis matrimonium contrahere, ergo etiam iisdem invitis profiteri continentiam.* Resp. invertimus argumentum, ut constat ex illis, quæ dicta sunt superius cap. IV. sect. II. 2.) *Licet viro uxore invita ad religionem transire, quando matrimonium de præsenti quidem contractum, sed non consummatum,*

c. Ve-

e. Verum. &c. Ex publico de conversi. coniug. *ergo multo magis licebit invito patre.* Resp. incertum per æque incertum probatur, antecedens enim illud penitus a nobis negatur. 3.) *Quilibet ingenuus post annos pubertatis est sui iuris, quantum ad ea, quæ ad personam & statum suum pertinent.* Resp. ex iure patriæ potestatis contrarium ostendimus suo loco. 4.) *Deo magis obediendum quam hominibus.* Act. V. 29. *ac Deus consulit perfectam vitam in genere omnibus* Matth. XIX. 21. *& in particulari quosdam ad eam vocat interna inspiratione.* Resp. Christus non tantum consulit, sed etiam præcipit omnes debere esse *perfectos* Matth. V. 48. Apostoli hoc egerunt, ut *omnem hominem perfectum redderent*; Col. I. 28. ergo perfectio non est propria cœlibibus aut votivis monachis, sed omnibus vere piis ac Christianis, consistit enim non in ἐθελοθρησκείᾳ aut in certo quodam vitæ genere, sed in vera fide, dilectione, sincero pietatis studio & imperfectionis agnitione. Videatur b. Lutherus in libro de votis monasticis, ubi inter cætera scribit: *Perfectio christiana est esse animosa fide contemtorem mortis, vitæ, gloriæ & totius mundi ac fervente caritate esse omnium servum.* De dicto Christi Matth. XIX. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia;* egimus in tract. de evangelio in cap. de consiliis evangel. §. 97.

§. DXXIII. III.) Quod *vota solennia perpetuæ continentiæ suscipiant a desponsatis personis, ac matrimonium etiam ratum, non tamen consummatum, propter ingressum in religionem dissolvant,* qua de re inferius in quæstione de causis divortii plura dicemus.

III.) *Suscipiunt vota a desponsatis.*

IV.) *a coniugatis.*

IV.) Quod *votum solenne perpetuæ continentiæ suscipiant a coniugatis, ac matrimonialis congressus abiurationem ab illis exigant.*

V.) *ab ineptis & seductis.*

V.) Quod *verborum lenociniis ac blanditiis incautos ac rerum imperitos ineptos,* ut iudicio nondum maturo ac viribus nondum exploratis cœlibatum voveant, atque hac ratione tædio vitæ & querelis perpetuis semet ipsos exponant. Nevizanus in sylv. nupt. libr. I. n. 112. *Isti magistri novitiorum, qui sunt tam seduli ad instigandum adolescentes, imo pueros, ut frater Thomas Illyricus de potest. pap. chart. 162. intrare religionem, prævideant, quale scandalum eveniat religioni & reipublicæ ob tales apostatas. Non enim adferunt honorem Spiritui sancto, qui, ubi voluerit, spirat, & non egebit horum instigatorum auxilio nec tot suasionibus.*

VI.) *a coactis ad coelibatum.*

VI.) Quod votum continentiæ recipiant ab iis, qui *parentum auctoritate & imperio in monasteria traduntur,* etiamsi ipsi ab hoc vitæ genere abhorreant. De illis Leo, episcopus Romanus, epist. XCV. recte statuit, quod, si postea nubant, non prævaricentur. *Puellæ* [inquit] *quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nubunt, prævaricantur.* Ergo a contrario sensu, si parentum imperio coactæ professæ sunt, nubendo non prævaricantur.

VII.) *a sacerdotibus.*

VII.) Quod votum perpetuæ continentiæ exigunt indistincte *ab illis, qui in maioribus,* ut loquuntur, *ordinibus constituti*; de quibus tamen nondum constat, an dono continentiæ instructi sint, imo experientia clamat, plerosque eorum dono illo destitutos esse.

VIII.) *a viventibus in otio.*

VIII.) Quod *votum continentiæ suscipiant atque exigant ab illis, qui in otio omnium rerum abundantia ac saturitate panis vivunt,* qua de re paulo post plenius dicetur.

B.) Ratione materiae.

§. DXXIV. B.) Ratione *materiæ* papale cœlibatus votum a tramite verbi divini discedere dicimus, quia in personis continentiæ dono non instructis est impossibile. In votis, ratione materiæ consideratis, tria ex præscripto verbi damnantur; 1.) si voveantur *ἀδύνατα*, ut si quis Iro pauperior regias voveret divitias. Eccles. V. 3. *Non est voluntas sive beneplacitum Dei* בְּכסילים, *in stultis votis.* At stolida sunt vota, in quibus Deo aliquid promittitur, quod non est in hominis potestate positum. 2.) Si voveantur alioquin *necessario eventura*, ut si quis voveat se certo moriturum, vel si voveantur, quæ iam ante sunt debita. Levit. XXVII. 26. *Primogenita, quæ ad Deum pertinent, in iumentis nemo sanctificare & vovere poterit, sive bos sive ovis fuerit, Domini sunt.* v. 30. *Decimæ terræ sive de pomis arborum, sive de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur.* Ergo non possunt secundario per votum Domino consecrari. 3.) Si voveantur *illicita & verbo Dei prohibita*, ut si quis Deo obtulisset *mercedem prostibuli ac pretium canis*, Deut. XXIII. 18. si quis res *furtivas* ac iniuste partas obtulisset. Prov. XXVIII. 25. *Ruina vel laqueus est homini devorare sanctos, & post vota tractare.* Scholastici dicunt, quinque esse, quæ voveri non possunt: 1.) *Mala seu peccata*; 2.) *necessaria*; 3.) *casualia*, quorum eventus ambiguus; 4.) *stulta*, ut si quis voveat se velle levare festucam; 5.) *indiscreta*, ut nimia maceratio corporis. In illis locum habet regula Isidori in synon. libr. II. capit. de mendacio, ac citatur in iure canonico c. In malis XXII. q. 4. *In male promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute vovisti, ne facias, impia est promissio, quæ scelere adimpletur.* cap. Diffinitio. caus. & quæst. iisdem ex concil. Elibert. *Diffinitio incauta laudabiliter solvenda est, nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio.* Quod si iam cœlibatus votum, quale in papatu viget, iuxta hanc normam æstimetur, adparebit illud ad primum genus, videlicet ad impossibilia pertinere. Nam illis etiam, qui non habent donum continentiæ, imponunt, vel ab ipsis suscipiunt votum perpetui cœlibatus facta illis promissione, sed sine verbo Dei gratia & auxilio divino, de facilitate continentiæ, si modo velint & adnitantur. *Continentia*, scribit Bellarminus de monach. cap. XXXI. §. ultim. *absolute peti potest, & infallibiliter conceditur, si aliunde non sit defectus in oratione.* Costerus in enchirid. cap. XIX. prop. 7. *Nemini prorsus homini, qui castitatem suam Deo offerre deliberat, impossibile est, castam vitam servare, nedum sacerdotibus & clericis, qui per sacros ordines ad continentiam obligantur.* At talis persuasio pugnat cum natura huius doni, quippe quod non est *commune* omnibus piis, ac de quo non exstant generales promissiones, quod Deus omnibus petentibus ac desiderantibus illud dare velit, sed est donum *speciale*, quod distribuit Deus, quibus vult, quando & quomodo vult. Idem ergo est, si quis perpetuum cœlibatum voveat continentiæ dono interim destitutus, ac si quis, qui donum non habet, voveat, se linguis locuturum, vaticinaturum, miracula editurum, vel qui vocationem & vires non habeat, voveat se hostes profligaturum.

Donum continentiae esse speciale. I.) Ex dicto Matth. XIX. 11. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.

§. DXXV. Cæterum donum continentiæ extra coniugium caste vivendi non esse ita commune, ut quicunque cœlibatum elegerit, modo velit ac petat, possit illud habere; sed esse donum speciale, probamus sequentibus fundamentis I.) Ex *dicto Christi* Matth. XIX. 11. *Non omnes*

omnes capiunt verbum illud, sed quibus datum est. Ubi observa 1.) Christum non loqui de infidelibus vel de Christianis in pietatis studio remissioribus, sed *ad ipsos apostolos*, qui in Iudæa evangelium prædicaverunt, & in totum terrarum orbem cum evangelii præconio ablegandi erant, quibus licet maxime conveniens videretur cœlibatus, tamen noluit Christus præcepto quodam ipsis eum imponere, cum non omnes doni illius sint capaces. 2.) Christum *eo tempore* hoc protulisse, quo apostoli significabant, sibi magis placere cœlibatum. Dixerant enim v. 10. *Si tale est negotium hominis cum uxore, non expedit nubere.* Sed Christus illis ita respondet, ut neget verbi illius omnes esse capaces. 3.) Christum & *adfirmative* & *negative* suam de dono continentiæ exposuisse sententiam. Negative dicit, *non omnes capiunt verbum hoc.* Adfirmative postea subiicit, quinam eius sint capaces, illi scilicet, *quibus datum*, utique a Deo omnis boni datore. 4.) Per τὸν λόγον phrasi hebraica intelligi *rem ipsam*, videlicet donum extra coniugium caste vivendi, ut adparet ex parte illius versiculi posteriore, *quibus datum est*, illi hoc verbum capere possunt, ut caste extra coniugium vivant. 5.) Τὸ χωρεῖν non accipi eo sensu, quo Ioh. VIII. 37. usurpatur: *Sermo meus οὐ χωρεῖ, non habet locum in vobis;* sed potius eo, quo Marc. II. 2. Ioh. II. 6. XXI. 25. usurpatur pro *capere.* Neque enim sensus est, quod inde atque ideo non omnes capiant hoc verbum, quia donum illud quærere & petere nolint, alias in versu sequenti Christus dixisset: *Qui vult, capiat*, cum contra pronunciet, *Qui potest capere, capiat.* Sed quod inde atque ideo non omnes hoc verbum capiant, quia non est datum omnibus, & quia Deus non vult indifferenter omnibus ac singulis peculiare & privatum illud donum conferre. 6.) Denique Christum tria eunuchorum genera versu sequenti enumerare, ac postea subiungere: *Qui potest capere, capiat*; quo ipso diserte docet, donum continentiæ nequaquam pendere a cuiuslibet quærentis, petentis atque adnitentis voluntate, sed ex Dei dono. Sensus enim est, ut adparet ex verborum connexione: *Qui potest capere*, id est, cui desuper datum est, ut capere possit, *ille capiat*, id est, utatur eo dono ad propagationem regni cœlestis, ad Dei gloriam & ecclesiæ salutem. Ex quibus omnibus sic concludimus: Quodcunque donum est peculiare ac proprium, de quo non exstat promissio, quod Deus omnibus ac singulis petentibus ac quærentibus illud dare velit, ad id voto se obstringere temeraria est præsumtio. Sed donum continentiæ, teste Christo, ita comparatum est, ut non sit commune ac generale omnibus piis ac petentibus promissum, sed peculiare atque proprium. Ergo ad illud voto se obstringere temeraria est præsumtio.

§. DXXVI. Excipit Bellarminus de monach. cap. XXXI. *continentiam esse ex numero illorum donorum, quæ verissime quidem sunt Dei dona; interim tamen in arbitrio ac potestate nostra posita, sicut credere, sperare, diligere, perseverare, patientem esse, dicuntur & sunt verissima Dei dona, & tamen pendent ab electione humana, & sunt in nostra potestate, quia Deus licet iuvet, non tamen cogit neque necessitat;* unde distinguit inter auxilium *sufficiens & efficax.* Ad continentiam non minus quam ad fidem, spem, dilectionem &c. dari omnibus adserit auxilium *sufficiens*, licet non *efficax.* Resp. distinguendum est inter dona Dei *communia* seu generalia, quæ omnibus piis sunt necessaria ac divinitus promissa, Luc. XI. 13. *Dabit Deus Spiritum sanctum petentibus;* Phil. I. 29. *Vobis datum est, ut in eum credatis;* & inter dona *peculiaria* seu propria, de quibus non exstat promissio,

quod Deus velit omnibus ac singulis credentibus ea dare: Rom. XII. 6. *Habentes dona iuxta gratiam, quæ data est nobis.* 1 Cor. XII. 4. *Divisiones sunt gratiarum sive donorum.* v. 8. *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ &c.* Donum fidei, spei, caritatis pertinet ad prius, continentia autem virginalis ad posterius genus donorum, ut constat ex manifesto Christi dicto. Idem ostendit res ipsa; non enim ab omnibus salvandis requirirur, ut extra coniugium in perpetua continentia vivant, sicut ab omnibus requiritur, ut credant, sperent, diligant, perseverent ac patientes sint, nec exstat generalis quædam promissio, quod Deus velit continentiam virginalem dare omnibus petentibus, sicut generales promissiones exstant de dono fidei, patientiæ, caritatis &c. Continentia virginalis vocatur χάρισμα, 1 Cor. VII. 7. tale scilicet quod *Spiritus sanctus distribuit, prout vult.* 1 Cor. XII. 11. Quod si ergo illa charismata, de quibus apostolus ibidem loquitur, ut prophetia, sapientia, scientia linguarum &c. quæ fuerunt ecclesiæ magis utilia, & magis ad ædificationem conducebant quam continentia, non tamen data fuerunt omnibus; quomodo donum continentiæ omnibus in universum, qui illud expetunt, concessum esse, adfirmari poterit? Pessime igitur hæc duo distincta donorum genera confundit Bellarminus, non enim omnes eodem gratiæ auxilio possunt continere & credere. Credere possunt per Dei gratiam, qui utuntur medio divinitus instituto, qui verbum audiunt ac meditantur; sed continere non possunt, nisi quibus peculiariter hoc datum est, ut Christus testatur. Continentia quidem sive castitas in *genere* omnibus piis est necessaria, ac proinde etiam omnes hoc sensu continere possunt, qui petunt, conantur & concupiscentiis per Spiritum repugnant; sed virginalis continentia in *specie* non est omnibus necessaria, ac proinde etiam eo sensu non omnes continere possunt, sed qui uruntur, utantur remedio coniugii divinitus præscripto, 1 Cor. VII. 9. quotquot illud temere repudiant, atque interim donum continentiæ præter & extra verbum sibi pollicentur, Deum tentant. In donis Dei communibus ac generalibus ita licet inferre: qui volunt ac desiderant, a Deo petant & confidant sese accepturos, quia sufficiens auxilium nemini denegatur; sed in donis Dei peculiaribus non ita licet concludere: qui volunt ac desiderant, a Deo petant & confidant sese accepturos, sed de illis locum habet pronunciatum apostolicum 1 Cor. XII. 11. *distribuit singulis, prout ipse vult*, non prout nos volumus. In illis voluntas hominis a voluntate Dei sæpe discrepat, ac proinde nec ex se nec ex Dei dono illud potest, de quo promissionem non habet.

§. DXXVII. Quomodo vero probat Bellarminus, *donum continentiæ esse in arbitrio ac potestate nostra?* 1.) Urget verba Christi: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum. Si continentia ita esset donum Dei, ut ab hominis electione non penderet, dicendum fuisset, sunt eunuchi, qui sunt facti a Deo, non autem qui se castraverunt.* Resp. nemo nostrum negat, in illis, qui dono continentiæ instructi sunt, ab electione & voluntate ipsorum dependere abstinentiam a matrimonio, quæ per *castrationem* hoc loco intelligitur; sed quæstio est, an indifferenter & indistincte a cuiusvis libera voluntate & electione pendeat, donum illud habere vel obtinere? Ibi vero Christus diserte respondet: *Sunt qui se castrant propter regnum cœlorum, illi* scilicet, *quibus datum est*, nec dicit, qui ergo vult capere, capiat, sed *qui potest capere, capiat.* Ac Paulus verbis solis radiis scriptis pronunciat: 1 Cor. VII. 7. *Unusquisque proprium donum habet ex Deo,*

Deo, alius sic, alius vero sic; manifeste dicens, continentiæ donum non ita esse commune, ut a cuiusvis hominis electione pendeat, sed esse certorum hominum proprium, reliquis vero dictum esse: *Qui non continent, nubant, melius enim est nubere quam uri.* 2.) *Verba Christi:* Qui potest capere, capiat, *cohortationem ad continentiam habent. At quis sapiens hortaretur unquam ad id, quod non est in potestate? num quis unquam hortatus est homines, ut fiant prophetæ?* Resp. hæc cohortatio vel concessio Christi non pertinet indistincte ad omnes, sed ad illos tantum, quibus datum est continentiæ donum, ut ex versu proximo manifestum, reliquis enim, qui dono hoc destituti sunt, & uruntur, aliam regulam præscribit apostolus: *Qui se non continent, nubant* Nec in genere pronunciat Christus: *Qui vult capere, capiat,* sed *qui potest capere, capiat;* non ergo cuiusvis arbitrio illud relinquit, ut se castrent propter regnum cœlorum, sed illos, quibus datum est, monet ut hoc dono ad Dei gloriam & ecclesiæ ministerium utantur. Quod Bellarminus addit: *quis unquam hortatus est homines, ut fiant prophetæ?* illi opponimus dictum apostolicum 1 Cor. XII. 21. *Æmulemini charismata meliora* XIV. 1. *Æmulemini spiritualia, magis autem ut prophetetis.* Quemadmodum igitur illa cohortatio apostolica non nisi de illis accipienda, qui dono prophetandi instructi; ita quoque cohortatio Christi ad eos duntaxat pertinet, qui donum continentiæ divinitus acceperunt. 3.) *Illa verba* 1 Cor. VII. 36. quod vult faciat, non peccat, si nubat, *liberam homini optionem dant eligendi coniugium aut cœlibatum, quomodo ergo non est in arbitrio hominis positum, ut contineat, si velit?* Resp. apostolus versu sequenti distinguit inter τὸ ἐξουσίαν ἔχειν περὶ τῆς ἰδίας θελήματος & inter τὸ ὀφείλει ἅπαξ γίνεσθαι. Quando quis continentiæ dono se instructum sentit, is habet potestatem suæ voluntatis, potest ergo eligere coniugium vel cœlibatum; sed qui dono illo destitutus est, qui uritur, is sciat se vocari ad coniugium, v. 9. *Qui se non continent, nubant.* v. 2. *Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam.* Potest quidem etiam is, qui dono continentiæ instructus non est, cœlibatum eligere, sed illius cœlibatus non erit Deo gratus, cum non habeat coniunctam corporis & animi castitatem, sed interiores ustiones ac flammas libidinis, quibus remedii loco Deus ipse per apostolum præscribit coniugium, quod qui aspernantur, Deum tentant, ac satanæ tentationibus propter incontinentiam se exponunt v. 5. 4.) *Continentes ac cœlibes in scriptura laudantur, & præmiis adficiuntur* Esai. LVI. Apoc. XIV. Sap. III. *At nullum præmium, nullam laudem merentur opera, quæ non sunt in nostra potestate, nec enim præmio adficiuntur, qui prophetant, qui linguis loquuntur, qui morbos curant, qui dæmones eiiciunt, ergo continentia non est solum donum Dei, sed libera hominis actio.* Resp. distinguendum est donum ipsum a legitimo & salutari eiusdem usu. Dona propria & peculiaria non habent præmium, nisi accedat salutaris ac legitimus eorundem usus. Sic qui prophetiæ, linguarum & sanationum dono instructi sunt, præmia accipient, si iuxta Dei voluntatem iisdem utantur ad ecclesiæ commodum & aliorum hominum salutem promovendam. Idem iudicium esto de continentiæ dono, qui eo recte utitur, ut ad pietatis exercitia & ecclesiæ ministeria sit expeditior, non temporalia solum sed etiam æterna percipiet præmia. Adde quod donum illud debeat pio studio, piis precibus, ac lucta adversus carnis concupiscentias foveri & conservari, qua de re ita disserit Chemnitius part. III. exam. de cœlib. & virginit. cap. IV. p. 37. *Sicut in reliquis donis divinis, quia caro concupiscit*

adversus Spiritum, studio, conatu, luctа adversus carnem & oratione dona sunt exsuscitanda, excolenda & conservanda, qui enim negligentia ita torpet, ut nulla diligentia conetur & studeat continentiam colere, nulla lucta concupiscentiæ resistat, ut eam reprimat, corpus temperantiæ & honestarum occupationum exercitiis non subigat, nec caveat & vitet occasiones provocantes libidinem, adeo ut ne quidem petat gratiam & auxilium Dei ad continentiam, sed delitiis se dedat, crapula seu saturitate ventrem distendat, otium sectetur & incentiva libidinis aucupetur, is donum continentiæ non accipiet & etiamsi ipsi datum sit, non exsuscitabit & excolet, sed potius suffocabit & extinguet. 5.) *Non minus est donum Dei credere quam continere, at nihilominus credere possunt omnes qui volunt, & recte hortamur omnes ad fidem. Ergo etiam ad continentiam.* Responsio peti potest ex distinctione superius tradita inter dona communia & propria. Non credere est peccatum damnabile, sed non continere a coniugio non est peccatum damnans. Credere ab omnibus salvandis requiritur, sed a coniugio continere non requiritur ab omnibus. 6.) *Si continere non possint omnes qui volunt, multis hominibus nullum erit peccatum fornicari vel mœchari, ut si quis, antequam uxorem ducat, gravissime urgeatur stimulis carnis & non statim inveniat uxorem, vel si postquam uxorem duxit, procul ab ea absit, aut illa morbo gravi ac diuturno laboret, ut non liceat petere debitum coniugale.* Resp. Est dispar ratio inter eos, qui se ad continentiam divinitus vocari intelligunt, & qui temere absque vocatione continentiam eligunt. Qui carnis stimulis urgentur, nec dum vel ætatis vel aliarum circumstantiarum ratione coniugium inire possunt, vel qui vivunt cum coniuge ægrota, in carcerem detrusa &c. illi intelligunt se vocari ad continentiam, possunt igitur in precibus suis niti speciali illa ad cœlibatum ac continentiam vocatione ac certo sperare exauditionem, sed quibus præsto est facultas ineundi matrimonii, ac nihilominus remedium illud repudiant, imo abiurant, etiamsi ustiones sentiant, illi Deum tentant & non possunt ex fide orare. Nihil potuisset Bellarminus adferre quod ad fallaciam diaboli Matth. IV. 6. propius accederet, quam hoc ipsius argumentum. Cupiebat diabolus Christo persuadere, ut e turri in præceps se demitteret, quia *angelis mandatum sit, ut ipsum custodiant.* Sed quia omiserat, *in viis tuis*, ideo Christus ipsi respondet, *dominum Deum tuum non tentabis.* Idem nos Bellarmini argumento respondemus. Promisit Deus gratiam suam ambulantibus in vocatione sua, sed qui absque vocatione temerario & arroganti voto Deum tentant, ac satanæ insidiis sese exponunt, illis nullam gratiam aut auxilium promisit, ut nihil dicamus de eo, quod magnum discrimen sit inter *continentiam ad tempus* & *votum perpetuæ continentiæ*, cum illo spes matrimonii ac usus coniugalis coniuncta, hoc vero cum abiuratione coniugii coniunctum esse constat. *) Vide tract. de minist. §. 337. membr. 4. Excipit Bellarminus *etsi promissio particularis deest, sufficere tamen generalem.* Luc. XI. *Petite & accipietis.* Ioh. XVI. *Si quid petieritis patrem, dabo vobis.* Iac. I. *Qui indiget, postulet a Deo, alioqui si requireretur peculiaris promissio, nec fides, nec spes, nec dilectio, nec continentia coniugalis nec virtus alia peti posset.* Resp. *Si secundum voluntatem Dei petamus*, tunc exaudit nos 1 Ioh. V. 14. voluntas illa Dei est in verbo Dei revelata, iam vero

*) Lactantius lib. VI. instit. c. XXXII. Quod si aliqua necessitas prohibebit, tum vero maxima adhibenda virtus erit, ut cupiditati concupiscentia reluctetur.

vero in tota scriptura nusquam exstat talis promissio, quod ut fidem, spem, dilectionem, castitatem &c. Deus dare vult petentibus, ita quoque virginalem continentiam omnibus promiserit, quin potius clare pronunciat apostolus, quosdam non continere & quidem propterea non continere, quod destituantur illo dono quibusdam duntaxat proprio, ac illis non præscribit, ut petant donum illud sibi dari, sed *ut nubant* 1 Cor. VII. 9. ac iunioribus viduis non præscribit, ut a Deo petant continentiam, sed *ut nubant* 1 Tim. V. 14. Regerit Bellarminus *non id solum est secundum Dei voluntatem, quod est necessarium ad salutem, sed etiam id, quod est utile & utilius quam eius oppositum, neque id solum quod ipse imperavit, sed etiam quod consulit & laudavit & cui præmium maximum promisit, in quorum numero est cœlibatus.* Resp. Nihil potuisset absurdius a Bellarmino dici. Donum prophetiæ, linguarum, sanationum est utile ac longe utilius est, hoc dono instructum esse quam eo destitui, ecquis tamen dicere velit, omnes posse hoc donum a Deo petere & per preces impetrare? Fungi ecclesiastico ministerio & populum instruere est utile ac longe utilius, quam in vita privata degere, at num propterea omnes privati per preces a Deo impetrare possunt, ut ecclesiæ doctores evadant? Nimirum vocationem suam quilibet hic respicere debet, atque ea a Deo petere, quæ suæ vocationi necessaria videt, tum demum certam exauditionis spem concipere poterit. Sed qui continentiæ dono sese destitutos animadvertunt, illi non vocantur ad cœlibatum, nec Deus illis consuluit cœlibatum, sed per electum suum organum Paulus voluntatem suam sic exponit. *Qui non continent, nubant. Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam.* Frustra igitur hic de aliis remediis cogitatio suscipitur, qualia sunt, oratio contra suggestiones diaboli, ieiunium contra luxuriam carnis, solitudo ad vitandum illecebrarum adspectum, castigationes corporis &c. apostolus enim unicum illud remedium illis qui uruntur, præscribit, ut nubant, ac diserte docet, *quemlibet habere proprium suum a Deo donum*, proinde tentatio est remedium ordinarium divinitus præscriptum negligere & extraordinarium donum sine promissione, sine vocatione, sine mandato petere, ac testatur experientia quid remediis illis proficiant, qui dono continentiæ destituti sunt. Hieronymus in eremo se macerabat, ut vix ossibus hæreret, intus tamen libidinum incendia bulliebant, ut ipse in epistola ad Eustoch. conqueritur; [vide similia exempla in tr. de minist. eccles. §. 337.] unde etiam non contenti remediis illis spiritualibus ad corporalia confugiebant. Origenes sibiipsi *virilia amputabat*, teste Suida in verb. orig. Iesuitæ *ad herbas & medicamenta* descendunt, teste Hasenmüll. in hist. ord. iesuit. c. VI. 6.) Provocat ad *patrum dicta*. Resp. 1.) illa sunt ad scripturæ normam exigenda. 2.) sunt dissimilia. Possunt ex ipsis patribus proferri talia dicta, in quibus cum Christo & Paulo sentiunt ac loquuntur, quod virginalis continentiæ donum sit peculiare ac proprium paucorum, quibus illud datum. 3.) Tertullianus in lib. de monog. primum protulit hanc explicationem. *Elige, quod bonum est, si non potes, est quia non vis. Posse enim si velis, ostendit, quia tuo arbitrio utrumque reliquit.* Sed didicit eam a Spiritu Montanistico, ab illo sc. Paracleto, qui secundas etiam nuptias damnandas esse docuit. 4.) Origenes existimavit *donum hoc omnibus petentibus dari*, sed reipsa intelligens esse peculiare ac particulare, ad violentam corporis læsionem descendit. 5.) Reliqui hoc dicunt, quod *donum continentiæ detur non invitis & otiosis, sed quærentibus, petentibus, contendentibus &c.* atqui ex eo inferri nequit, quod omnibus peten-

petentibus ac annitentibus detur, cum immotæ veritatis sit illud Christi: *non omnes capiunt verbum hoc.*

§. DXXVIII. Hisce pro sententiæ suæ confirmatione interpositis redit Bellarminus ad examen argumenti nostri ex Matth. XIX. 11. deducti, ac 1.) *verba Christi, non omnes capiunt verbum hoc, sic intelligenda esse* docet, *non omnes intelligunt practice, id est, non admittunt, non persuadentur, non adprobant quod dictum est, non expedit nubere, si enim capere hoc loco significaret esse capacem, inepte Christus addidisset, qui potest capere, capiat: ac si de capacitate hic ageretur & vellet dominus ostendere, non omnes esse capaces continentiæ, ac proinde illis necessarium esse nubere, ratio illa, sunt enim eunuchi, qui de utero matris sic nati sunt, nihil plane ad rem faceret, imo contrarium potius probaret, quæ enim hæc συνάρεια, quidam continent vitio naturæ ut frigidi, quidam aliena crudelitate ut ab hominibus castrati, quidam propria voluntate, ut qui propter Deum cœlibes vivunt, non ergo omnes possunt continere.* Resp. 1.) nequaquam hoc volunt Christi verba, quod non omnes intelligant, quantis molestiis liberi sint, qui extra coniugium vivunt, cum omnes gentilium libri pleni sint querelis de uxorum vitiis & coniugum molestiis. 2.) Ipsi apostoli ex doctrina de indissolubili matrimonii vinculo colligebant, *non expedire homini nuptias*, ergo non opus erat, ut docerentur, extra coniugium esse vitam longe tranquilliorem & a molestiis liberiorem. 3.) Quo sensu Christus dicat, *non omnes capiunt verbum hoc*, clarissime exponit, quando addit, *sed quibus datum est.* Requiritur igitur peculiare Dei donum, ut quidam illud capere possint. 4.) Neve ulla restet amplius dubitatio, coniungimus expositionem apostolicam 1 Cor. VII. 7. inde atque ideo non omnes capiunt verbum hoc, quia *unusquisque habet proprium suum donum ex Deo, alius sic, alius vero sic*, unde etiam apostolus ibidem illos, qui uruntur, non hortatur, ut per preces a Deo continentiæ donum petant, sed ut remedio divinitus instituto utantur. 5.) Nec inepte a Christo additum esse, *qui potest capere, capiat*, ex hac nostra interpretatione consequitur. Christus enim non in genere quosvis, sed eos duntaxat, qui hoc donum a Deo acceperunt, sive ut ipse loquitur, *quibus datum est*, ad eligendum cœlibatum hortatur, ut hoc suo dono utantur ad propagationem regni cœlorum, h. e. ad ecclesiæ ministeria expeditius obeunda, quæ ipsa tamen exhortatio cœlibatum non imponit tanquam necessarium aliquod iugum, ne illis quidem, qui continentiæ donum acceperunt, sed relinquit eum liberum iuxta infallibilem interpretationem apostoli 1 Cor. VII. 25. *De virginibus præceptum domini non habeo v. 36. Quod vult faciat, non peccat, nubat.* 6.) Neque Christus hoc modo colligit, *Quidam continent vitio naturæ, quidam aliena crudelitate, quidam voluntate propria, ergo non omnes continere possunt*, [qua ratione Christi collectionem nos interpretari falso adserit] neque hoc modo: *Multi necessitate continent, multi voluntate, ergo credibile est omnes continere posse, si velint* [qua ratione Bellarminus Christi collectionem accipit] sed hoc modo: *Quidam vitio naturæ, quidam aliorum maleficio castrati a nuptiis abstinent, quidam, quibus scilicet id datum est, sponte ac libere a coniugio abstinent propter regnum cœlorum, qui ergo potest capere, capiat*, id est, cui hoc donum divinitus contigit, utatur eo ad Dei honorem & ecclesiæ salutem. Bellarminus verba Christi penitus invertit ac pro *posse* substituit *velle*, quæ duo in propriis ac privatis Dei donis plurimum differepare & scriptura & experientia testatur.

§. DXXIX.

§. DXXIX. 2.) *Verba illa, qui potest capere capiat, duobus modis exponi posse dicit.* Primo, *ut loquatur dominus de potentia proxima, quam non habent nisi illi, quibus iam inspiravit dominus efficax desiderium continendi, ut sit sensus, qui potest capere, capiat, id est, qui Dei dono sentiunt sibi intus persuaderi, ut contineant, adprobent verbum hoc, ex quo tamen inferri nequit, ergo non omnes possunt continere. Nam etiamsi non homines habeant potentiam proximam, tamen habent remotam, & possunt, si velint, precibus impetrare potentiam proximam, id est, vires ad continendum, sicut de fide dicitur Ioh. VI. Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Addi enim potest, qui potest venire veniat, id est qui trahitur veniat, qui autem non trahitur, oret, ut trahatur. Secundo dici potest, hunc locum habere eundem sensum cum illo Matth. XIII. Qui habet aures audiendi, audiat, ut sit sensus: Qui habet mentem & iudicium sanum, intelligat, iudicet, adprobet verbum hoc, quod dictum est, non expedit nubere.* Resp. Quid de hac verborum Christi detorsione statuendum sit, ex præcedentibus constare potest. 1.) Non de *adprobatione* Christus loquitur, sed de *capacitate*, proinde ad continentiam non sufficit desiderium, sed requiritur peculiare Dei donum. Viduæ illæ iuniores, de quibus 1 Tim. V. 11. agitur, sentiebant sibi intus persuaderi ut continerent, ideoque adprobarunt hoc verbum, quod *non expediat nubere* & cœlibatum elegerunt, sed postea ipso facto demonstrarunt, donum illud ipsis non fuisse datum, unde apostolus non dicit, *volo iuniores viduas* precari, adniti, conari, sed volo eas *nubere, ne occasio detur adversario.* 2.) Nec potest totum hoc argumentum rectius intelligi, quam ex ipsa praxi, ea enim manifeste ostendit, multis intus persuaderi vel potius eos sibiipsis persuadere, quod continere velint, sed postea non solum interius gravissimas ustiones sentiunt, sed etiam exterius corpus contaminant ac polluunt. 3.) Non loquitur Christus de potentia remota, sed de potentia proxima, quia non indistincte omnes, sed eos tantum, quibus datum est, ad vitam cœlibem hortatur. Iam vero potentia remota omnibus communis est iuxta Bellarmini hypothesin. 4.) Magnum discrimen est inter τὸ continere & τὸ venire ad Christum per fidem, illud consilii est ipsomet Bellarmino teste, hoc præcepti; ad fidem dantur omnibus media necessaria ac sufficientia, sed de virginali continentia omnibus danda nulla erat promissio. 5.) Multo minus verba Christi, *qui potest capere, capiat*; conferri possunt cum illis: *Qui habet aures audiendi, audiat*, quia posteriora continent præceptum generale de Christo audiendo omnibus hominibus datum, priora vero iuxta ipsius Bellarmini hypothesin proponunt consilium aliquod speciale. 6.) Si Bellarmini interpretationem acceptare velimus, consequens fuerit, illos omnes, qui non eligunt cœlibatum, mente & iudicio sano destitui, quo quid potest esse absurdius?

§. DXXX. II.) *Ex propria sede huius doctrinæ* ex 1 Cor. VII. multa afferri possunt, quæ evidenter probant continentiæ donum non esse ita commune, ut quicunque velint, petant ac nitantur, extra coniugium caste vivere possint, sed quibusdam propter ustiones & periculum fornicationis coniugium esse necessarium. Cap. I. 1. apostolus dicit: *Bonum quidem esse homini, mulierem non tangere*, sed mox subiicit v. 2. *Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam & unaquæque virum suum.* Ostendit igitur non omnibus esse bonum mulierem non tangere, hoc est, a coniugio abstinere, sed quibusdam necessarium esse coniu-

II.) *Ex loco apostolico 1 Cor. VII.*

coniugii remedium ob vitandam fornicationem, de illis enim apostolum loqui, qui continentiæ dono destituti, fornicationis periculo expositi sunt, si extra coniugium vivunt, manifestum est ex seqq. & ex addita pericopa: διὰ τῆς πορνείας. Cap. II. 2. de coniugibus dicit: *Nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi & ieiunio & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Propter quam causam coniugibus consulit, ut in idipsum revertantur, id est, ut coniugali consuetudine utantur, propter eamdem causam illis, qui in cœlibatu vivunt, consulendum, ut coniugium ineant: atqui apostolus coniugibus propter hanc causam consulit, ut in idipsum revertantur, ne tentet eos satanas διὰ τὴν ἀκρασίαν: ergo propter eamdem causam illis, qui in cœlibatu vivunt, consulendum, ut coniugium ineant, videlicet ne eos satanas propter incontinentiam tentet. At si donum continentiæ ita commune esset, ut omnibus, qui illud petunt atque expetunt, daretur, non opus fuisset hoc consilio apostolico. Cap. III. 7. inquit, *Volo omnes esse sicut ego sum*, sed immediate subiicit: *verumtamen unusquisque ἴδιον χάρισμα, proprium donum, habet ex Deo, alius sic, alius vero sic.* Quid quæso clarius dici potuisset? Optare quidem sese ostendit, ut omnes in cœlibatu curent, quæ sunt domini & individisse domino adhæreant, sed quo minus indistincte quibusvis hoc consilium præscribat, ex eo prohiberi, quod donum hoc caste in cœlibatu vivendi non sit commune, sed ἴδιον; ac diligenter observa, non de infidelibus ac ethnicis, sed de christianis & fidelibus ipsum loqui, quod nec illi omnes hoc donum ex Deo habeant, sed alius hoc, alius vero aliud donum. Cap. IV. 8. *non nuptis ac viduis bonum esse* dicit, *si sic permaneant*, sed statim addit v. 9. *quod si non continent se, nubant, melius enim est nubere quam uri.* Ergo inter virgines & viduas sunt, quæ si vel maxime velint & nitantur, tamen non continent, hoc est, non sunt instructæ dono continentiæ, ac illis non præscribit apostolus ut petant sibi donum illud dari atque interim ustiones illas & flammas interiores tolerent, sed ut nubant. Cap. V. 17. generalem addit regulam: *Unicuique sicut divisit Deus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet.* Ergo quidam vocantur ad cœlibatum, quibus scilicet donum continentiæ Deus dedit, quidam ad coniugium, scilicet qui uruntur & fornicationis periculum sibi imminere sentiunt. Quilibet ergo suum donum ac suam vocationem exploret. Cap. VI. 25. *de virginibus præceptum non habeo, consilium autem do.* v. 35. *hoc dico ad utilitatem vestram, non ut laqueum vobis iniiciam.* v. 36. *quod vult faciat, non peccat, nubat.* At quomodo convenit huic apostolicæ moderationi laqueis votorum ad cœlibatum illos constringere, de quibus certum non est, an dono illo peculiari continentiæ sint instructi? Cap. VII. denique v. 36. addit: *Si quis videtur se ἀσχημονεῖν super virgine ὑπέρακμος καὶ οὕτως ὀφείλει γίνεσθαι & ita fieri oportet, quod vult faciat, non peccat, elocet eam.* v. 37. *qui enim statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem voluntatis suæ.* Ergo potest incidere tempus & casus eiusmodi, ut parens non amplius habeat liberam voluntatis potestatem de filia elocanda vel non elocanda, sed quandoque oportet sic fieri, ut scilicet matrimonio iungatur διὰ τὸ ἀσχημονεῖν.

§. DXXXI. Bellarminus de monach. cap. XXX. regerit 1.) *nequaquam ab apostolo vocari ad nuptias eos, qui tentantur stimulis carnis, sed qui incontinenter vivunt, ut flagitiis sese polluant.* Id quod postea sic explicat, *vocari ab apostolo homines ad matrimonium, non ob tentationes sive sensum, sed ob consensum libi-*

libidinis, & per uſtionem non tentationes, ſed incontinentiam & flagitia intelligi, ut ſit ſenſus, qui omnino decrevit aut fornicari aut nubere, is bene facit, ſi nubat, quia melius eſt nubere quam uri, id eſt, fornicari. Reſp. per πύρωσιν non quidem intelligit apoſtolus primos tentationis ac ſolicitationis ad libidinem motus, qui precibus ac lucta adverſus carnem facili negotio ſuperari ac reprimi poſſunt, neque tamen intelligit illas tentationes, quæ hominum vincunt, & in externos lapſus præcipitant, ſed medium aliquod tentationis genus, videlicet impetum ac vehementiam adfectuum, qui non in ſuperficie tantum pungunt, ac leviter excuti poſſunt, ſed qui incendio quodam cor penetrant, adurunt ac depopulantur, id eſt, interiores flammas & incendia libidinis, quando ut poëta loquitur:

- - - - *eſt mollis flamma medullas.*

Item: *Vulnus alit venis & cæco carpitur igni,*

Quoque magis premitur, tanto magis æſtuat ignis.

Adnotabo hac de re locum egregium ex Chemnitio part. III. exam. de coniug. & cœlib. cap. IV. p. 37. *Non ſtatim uritur, qui calorem ſentit, ſed quando in vita cœlibe titillationis concupiſcentiæ aculeis ſuis te pungunt & æſtum aliquem ſentis, non ſtatim exclames te uri, ſed diligentia, conatu, lucta, temperantia & oratione fortiter repugnes, timorem Dei & amorem veræ pudicitiæ opponas, impuras cogitationes præcidas, turpes motus reprimas, occaſiones vites & robur reſiſtendi a domino tibi dari petas. Quod ſi hac diligentia flammæ libidinis poſſunt reprimi, repelli vel reſtingui, nondum laboras uſtione, ſed hoc ipſum eſt donum continentiæ, quod ea diligentia in lucta a petentibus accipitur, exſuſcitatur, excolitur & conſervatur. Si vero flammæ libidinis tam ſunt ardentes, ut hac diligentia vel reprimi vel reſtingui vel repelli non poſſint, ſed initio penetrent, voluntatem occupent, cor inflamment, cogitationes abripiant, & totum corpus incendant, ut cor vel pleno aſſenſu vel cæco & inquieto impetu libidini æſtuet & ardeat, tum certum eſt, te non habere donum continentiæ. Et hoc eſt uſtio ſeu tentatio illa ſatanæ per incontinentiam, quam Paulus remedio coniugii reſtinguendam eſſe docet, ne vel corpus fornicatione vel ſpiritus uſtione inquinetur.* Et poſtea: *Uſtiones illæ, quando adeo impotentes ſunt, ipſam conſcientiam ſauciant, invocationem turbant, exercitia pietatis interrumpunt, impediunt & maculant, ut homo non poſſit abſque diſtractione domino adhærere.* Probatur autem hæc explicatio noſtra, 1.) *ex ipſa vocabuli ſignificatione.* πυρέσθαι non ſignificat fornicari, ſed *uri, ardere, flagrare*, metaphora ab igne corporali inflammante ac ſuccendente ducta 2 Petri III, 12. Apoc. I. 15. cap. III. 18. In ſignificatione metaphorica uſurpatur 2 Cor. XI. 29. *Quis ſcandalizatur & ego non uror*, ob ardentem ſcilicet zelum gloriæ divinæ, quo accommodat Gregorius homil. XII. in Ezechielem factum propheticum, quod Ezechiel cap. IV. iubetur *ſumere ſartaginem ferream & ponere illam inſtar muri ferrei inter ſe & civitatem depictam in latere & obfirmare faciem ſuam adverſus civitatem. Ipſe*, inquit, *apoſtolus ſuum cor, quod animarum zelo ſuccenderat, ſartaginem fecerat, in quo amore virtutis contra vitia ardebat.* Epheſ. VI. 16. ſatanæ tentationes vocantur τὰ βέλη πεπυρωμένα, quia ſcilicet animam vulnerant, ignem interiorem in ea excitant & ad malum inflammant. Petrus 1. Epiſt. IV. 12. tribulationes ac perſecutiones vocat πύρωσιν. Ut enim æſtus corpori, ita tribulationes ac perſecutiones carni ſunt moleſtæ: ut aurum exploratur per ignem, ſic fides per crucem & tribulationem, quam

rationem ſuppeditat ipſe Petrus 1. Epiſt. I. 7. LXX. utuntur pro צרף quod eſt *metalla igni urere, excoquere, probare*, ac metaphorice ad explorationem per cruces & calamitates refertur. Pſ. XXVI. 2. Pſ. LXVI. 10. Ier. IX. 7. &c. Uſurpatur etiam πυρῶσθαι pro eo, quod eſt, *ira ſuccendi & flagrare* 2Macc. IV. 38. cap. X. 35. cap XIV. 45. ex quibus omnibus conſtat πυρῶσθαι in textu apoſtolico non eſſe fornicari ſed interioribus impetuoſioris concupiſcentiæ flammis uri, unde Syrus reddidit, מאקר ברנתא *uri concupiſcentia*. Incendi igitur & uri dicuntur, qui ardori libidinis inflammantur, licet non vincantur ab intemperantia & in delicta externa ſeſe præcipitent, ſicut ferrum dicitur πυρῶσθαι, quando igneſcit, licet igne non conſumatur. Sic multi internis flagrant incendiis, licet ab actu ſcortationis vel occaſione vel metu retrahantur. 2.) *Ex uſtionis a fornicatione diſtinctione.* Uſtio eſt interna concupiſcentiæ flamma, fornicatio eſt illius flammæ fœtor, actus ab ea emanans. Apoſtolus non tantum propter *fornicationem*, ſcilicet cavendam, vult quemvis [dono continentiæ non inſtructum] *habere uxorem ſuam;* ubi notandum, loqui apoſtolum *in plurali* διὰ τὰς πορνείας ad denotandum quodvis illicitæ commixtionis genus & quamvis libidinoſam corporis pollutionem, ſed etiam propter *uſtionem* illis qui non continent, remedium coniugii præſcribit v. 9. atqui ſi πυρῶσθαι idem quod fornicari, cur apoſtolus πύρωσιν a πορνείᾳ diſtinxiſſet? 3.) *ex caſtitatis virginalis definitione.* Virgo curat, ut ſit *ſancta corpore & ſpiritu* v. 34. ergo non ſolum corpus a fornicatione, ſed etiam ſpiritum ab uſtione immunem eſſe oportet, ſi definitio virginalis caſtitatis locum habere debeat. Si vel maxime corpus ab exteriore ſcortatione impollutum ſervetur, tamen ſi ſpiritus interiore uſtione inquinetur, non retinetur vera definitio continentiæ, quam Paulus in ſanctitate non ſolum corporis ſed & ſpiritus conſtituit. *Non ſicut homo, videt Deus, nam homo videt, quæ ſunt præ oculis, dominus videt autem quæ ſunt in corde* 1 Sam. XVI. 7. *Quid prodeſt caro integra mente corrupta?* inquit Auguſtinus in Pſ. XCIX. ac Gregorius Nazianzenus vetat *virginem caſtitati devotam* concupiſcentiæ θάνατον ἔνδον ἔχειν. Clemens Alexandrinus lib. II. ſtromat. *vel iungi matrimonio vel extra illud omnino puram mentem ſervare oportet.* Pulcre Prudentius:

Corporis intacti non mens intacta tenetur,
Nec requies datur ulla toris, quibus innuba cœcum,
Vulnus & amiſſas ſuſpirat fœmina tædas.

unde Nazianzenus in carmin. ſacris *coniugium dubiæ virginitate* præferre non fuit veritus.

ὅσσον παρθενίη προφερέστερόν ἐστι γάμοιο
τόσσον παρθενίης ἀγνὸς γαμὸς ἀμφιέσιο.

Agnoverunt hoc ipſi ethnici ex naturæ lumine. Seneca inquit; *Inceſta eſt ſine ſtupro, quæ ſtuprum quærit.* Ovid. lib. III. amor. eleg. IV.

Vt iam ſervaris bene corpus, adultera mens eſt,
Nec cuſtodiri, ni velit, ulla poteſt.
Nec mentem ſervare potes, licet omnia claudas,
Omnibus excluſis intus adulter erit.

IV.) *Ex ipſius apoſtoli explicatione.* Quid per πύρωσιν intellectum velit apoſtolus ipſemet ſatis perſpicue expoſuit, quando præmittit: *Quæ non continent, nubant.* Atqui non ſolum hæc eſt ἀκρασία, quando quis libidinibus indulget exterius ac per illegitimas commixtiones ac pollutiones corpus ſuum contaminat, ſed etiam quando animus libidinis ardore flagrat interius, adeoque ut Chriſtus loquitur, quando

do quis fornicationem vel adulterium committit *in corde suo* Matth. V. 28. quando enim in v. 5. præcedente coniuges invicem convenire vult, ne satanas propter ἀκρασίαν eos tentet, nequaquam tamdiu eos a coniugali commercio abstinere præcipit, donec adulterium committant, sed si propter ustiones ac gravitatem tentationum periculum adulterii sibi imminere intelligunt, tunc eos vult in thorum coniugalem reverti. 5.) *Ex absurdi consecutione.* Si per ustionem flagitia & scortationes externas duntaxat intelligeret apostolus, tum externis duntaxat flagitiis remedium aliquod proposuisset, sed de sanandis hominum incontinentium adfectibus internis parum fuisset solicitus, quod absurdum. *Ut vultu sæpe læditur pietas*, sic adfectu sæpe læditur castitas, absit igitur ut cogitemus apostolum in definitione virginalis continentiæ tantum de actibus externis & non simul de adfectibus internis eidem repugnantibus mentionem fecisse. 6.) *Ex veterum explicatione.* vid. Epiphanius hæres. LXI. Ambrosius in comm. 1 Cor. VII. Hieronymus in Ep. ad Eustoch. Aug. de Virgin. c. LXXIV. Theodoretus Gloss. ordin. & interl. d. l.

§. DXXXII. Unde vero probat Bellarminus per *uri* intelligi *scortari* ac sensum verborum apostolicorum esse eum, *qui decrevit aut nubere aut fornicari, is bene facit si nubat.* Affert 1. *verba antecedentia eiusdem versiculi: Si non se continent, nubant*, ubi ustionem ipse apostolus exponit per *incontinentiam, sed incontinentia non significat tentationem sed flagitium.* Resp. ἀκρασία non solum illis competit, qui flagitium fornicationis committunt, sed etiam qui interiorum adfectuum impetu ad fornicationem solicitantur, licet in actum non consentiant, qui flammis & ardore libidinis torquentur interius, licet in externum fornicationis delictum non ruant præcipites. Sicut ἐγκρατὴς est, qui non solum corpore & membris externis, sed etiam animo talis. [Vid. tr. de minist. eccles. §. 281. Aristoteles lib. I. Rhet. dicit, ἔξι ἀκρασία περὶ πάντα ὧν ὀρέγονται. Apud Suidam hæc ponitur ἀκολάσιας καὶ ἀκρασίας differentia, quod illa κατὰ προαίρεσιν, hæc παρὰ προαίρεσιν fœda sectetur, id quod male convenit cum explicatione Bellarmini, qui illis demum ἀκρασίαν tribuit, *qui deliberato animi consensu decreverunt scortari.* Matth. XXIII. 25. ἀκρασίαν coniungit Christus cum avaritia, quæ est adfectus animi internus. Nequaquam igitur hoc tantum dicit apostolus, quod *melius sit nubere, quam scortari*; sed quod melius sit nubere, quam libidine æstuare, & concupiscentiæ incendiis intus torqueri, cum coram Dei oculis continentes non sint, qui mentem incontinentem habent, si vel maxime ab actu fornicationis externo contineant. 2.) *Verba eiusdem cap. VII.* 2. Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam: *ubi non dicit apostolus, propter tentationem fugiendam, sed propter fornicationem fugiendam quisque habeat uxorem suam, id est, si fornicaturus es, uxorem potius habeas.* Resp. utrumque dicit apostolus, videlicet tum propter *fornicationem fugiendam*, tum propter *ustionem exstinguendam* coniugium quibusdam esse necessarium, neque enim hæc est virginalis continentia coram Deo, si quis ab externa scortatione & voluntariis corporis pollutionibus abstinet, atque interim mentem sordibus libidinum inquinatam gerit, ac incendiis & flammis incontinentiæ gravissime intus uritur, sed continentia illa sanctitatem corporis ac spiritus complectitur. *Ubi quis uritur*, [scribit Franciscus Lambertus in præf. libri de coning.] *pro luxuria coram Deo computatur, quandoquidem de internis maxime iudicat Deus, & ab animo universa metitur. Mulierem tum non tangebam, sed ad quid hæc, dum in concupiscentia mulierum vixi? Scio ego certissime, quod*

uri sit detestabilius ac turpius quam omnia, quæ in coniugio accidere possunt. Lutherus in epith. 1 Cor. VII. f. 355. *S. Pauli Wort muß geistlich und aufs Herz verstanden werden, dermassen daß kein Weib berühren heisse, der von Herzen, Lust und Lieb, seinen Leib von Weibern æusserlich enthælt, und nicht der so von Weibern sich æusserlich enthalten muß, und doch inwendig im Herzen voller Lust und Liebe zu Weibern stecket, denn das ist ein Heuchler, dessen Keuschheit vor der Welt scheinet, und vor Gott verlohren, ja eine zweyfaltige Unkeuschheit ist &c.* Præterea qui ustionem sentit, ei præsentissimum imminet periculum, ne per incontinentiam corpus suum contaminet, quia satanas, ob ἀκρασίαν etiam coniuges tentans, non parcit cœlibibus, sed infirmam naturam ex ustione spiritus in fornicationem corporis, per quam non solum illegitimæ commixtiones, sed etiam corporis pollutiones intelliguntur, præcipitare conatur. Proinde ut coniugibus apostolus hoc præscribit, *ne fraudent se invicem nisi ad tempus, sed in id ipsum revertantur, ne tentet eos satanas propter incontinentiam ipsorum*; ita quoque ἀγάμοις illis, qui uruntur, coniugii remedium proponit, ne satanas eos propter internas illas ustiones & incontinentiam tentet. 3.) *Verba præcedentia: v. 5.* Iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram; *ubi non propter simplicem tentationem, sed propter incontinentiam coniuges invicem debitum reddere iubet. Idem ergo significat apud apostolum ustio, quod incontinentia.* Resp. inter simplicem tentationem ac fornicationem externam est medium tentationis genus, quod apostolus vocat *ustionem*, ut declaravimus superius. Incontinentiæ adpellatio generalis est, nec tantum illis competit, qui deliberata voluntate in lapsus externos præcipites ruunt, sed etiam qui ardore concupiscentiæ ita torquentur, ut conscientia saucietur, invocatio turbetur & exercitia pietatis impediantur, ut ex antea dictis colligi potest. Quemadmodum præcepta decalogi non solum vitia, sed etiam occasiones & causas vitiorum prohibent; sic, quando ob incontinentiam coniugium apostolus præscribit, non tantum ob lapsus externos, sed etiam ob efficacem eorum causam, ustiones scilicet & flammas internas coniugii remedium præscribere intelligendus est. 4.) *Locum 1 Tim. V.* Volo iuniores viduas nubere, ne dent occasionem maledicendi adversario. *At non possunt maledicere adversarii christianis ob occultas tentationes, sed ob manifesta flagitia.* Resp. exemplo earum viduarum, quæ cum donum continentiæ non haberent, ac nihilominus cœlibatum amplexæ fuerant, sed propter incontinentiam a satana tentatæ in laqueum ac tristem ruinam inciderant, adeoque retro post satanam conversæ fuerant, earum inquam exemplo admonitus & edoctus apostolus iunioribus viduis continentiæ dono destitutis non præscribit, ut conentur, luctentur, adnitantur, orent, carnem castigent, sed ut coniugii remedio utantur, ne in eosdem laqueos propter incontinentiam a satana tentatæ etiam ipsæ incidant. Ergo non tantum ob manifesta flagitia vitanda, sed ob occultas etiam tentationes, graviores scilicet & durabiliores, quæ manifestis flagitiis efficacem causam & occasionem præbere solent, coniugium illis præscribit. Si Bellarmini argumento inesset aliquod robur, non foret nubendum propter vitandam fornicationem occultam, quidpe per quam itidem non datur occasio maledicendi adversario, sed tantum propter flagitium scortationis manifestum, nimirum iuxta ipsorum proverbium: *Si non caste, tamen caute.* 5.) *Locum 2 Cor. XII.* Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ &c. ex quo colligit, *apostolum magnis & diuturnis stimulis carnis fuisse tentatum, nec tamen uxorem duxis-*

duxisse. Resp. Erasmus in adnot. huius loci non iniuria miratur, hanc ineptam expositionem, qua per σκόλοπα intelliguntur *motus libidinis*. ulli docto theologo placere. Si enim tales ustiones apostolus sensisset, secutus consilium, quod aliis præscripsit, uxorem duxisset. Quidam igitur generaliter exponunt de *adversis*, quæ tam corpore quam animo perpessus est apostolus. Ambrosius in comm. accipit de *infectatione malorum hominum*, qui illi negotium quotidie facessebant. Hieronymus de *adversa corporis valetudine* explicat. Alii de *persecutionibus* accipiunt. Procul dubio σκόλοψ ille Paulinus fuit peculiaris quæd m tentatio satanica, qua ex permissione divina apostolus fuit divexatus, ne ὑπερβολὴ ἀποκαλύψεων eum extolleret. Lutherus in colloq. mensal. pag. 224. *Tentatio fidei est omnium maxima ac gravissima, quia fides debet reliquas tentationes vincere &c. hæc fuit diaboli σκόλοψ, præacutus palus, spiritum, carnem, corpus & animam eius transadigens.* Sed enim ipse Bellarminus non multum tribuit huic loco, *quia*, inquit, *hic locus non omnino convincit, cum variis modis a patribus exponatur, sunt alia duo magis perspicua: 1 Cor. IX.* In servitutem redigo corpus meum. *Rom. VII.* Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, ex quo infert, *vel apud Paulum 1 Cor. VII. uri non esse tentari, sed in scelera labi, vel Paulum esse ustionem passum, ac proinde contra Deum peccasse, quod matrimonium non inierit.* Resp. distinguendi sunt motus concupiscentiæ pravæ in carne adhuc hærentes, quibus per spiritum resistitur, a continua & durante ustione, quæ adeo impotens est, ut conscientiam fauciet & invocationem turbet. Priores apostolum sensisse concedimus, a posteriore autem liberum fuisse adserimus. Priores nondum adferunt necessitatem matrimonii ineundi, sed duntaxat posterior. 6.) *Testimonia patrum.* Resp. pro nostra explicatione adduximus superius non solum argumenta ex visceribus textus petita, sed etiam patrum suffragia. Quæ Bellarminus hoc loco ex patribus adducit, eorum pleraque ita comparata sunt, ut nostram potius confirment sententiam, tantum abest, ut nobis adversentur. Clemens Alexandrinus lib. IV. strom. Basilidianos adcusat, quod *fornicatione libidinis incendia restinguenda esse* docuerint. Sed quid hoc ad nos, qui cum apostolo coniugii remedium illis, qui uruntur, proponimus? Videant vero adversarii, ne ipsi Basilidis hæresi sint adfines, dum scribunt, *sacerdotem gravius peccare, si uxorem ducat, quam si scortetur.* Ambrosius in comm. dicit, *cum voluntas calori carnis consentit, uritur.* At non tum solum voluntas calori consentit, quando fornicationem adprobat, sed etiam quando nuptias desiderat, quod desiderium in votivis monialibus ardentissimum esse quis dubitat? plurimæ cum illa vestali dicunt vel cogitant:

Felices nuptæ, moriar, nisi nubere dulce est.

Hieronymus in apol. pro libr. contra Iovin. non ideo exponit τὸ uri per *fornicari*, quasi omnino idem sit, ipse enim ibidem ardorem libidinis, in quo consistit ustio, a fornicatione distinguit; sed quia proclivis in fornicationem ab ustione lapsus est, nisi coniugii remedio occurratur. Augustinus lib. de bon. coniug. cap. X. nihil habet, quod nobis adversetur. *Mihi*, inquit, *videtur hoc tempore, solos eos, qui se non continent, coniungi oportere, secundum illam apostoli sententiam: Quod si se non continent, nubant, melius est enim nubere quam uri.* Chrysostomus tantum abest, ut nobis hic adversetur, ut idem potius nobiscum statuat. *Significat* [inquit] *apostolus, quanta sit concupiscentiæ tyrannis. Hoc autem est,*

quod

quod dicit, si magnam violentiam pateris & libidine incenderis, laboribus te & sudoribus libera, ne quando decidas. In Græco est: *si sustineas βίαν καὶ πύρωσιν, ἀπαλλάνηϑι πόνων καὶ ἱδρώτων, μή ποτε καὶ περιτρέπῃς.* Theodoretus in comm. dicit, *eos non continere, qui non habent alacre & ardens animi propositum, quibus matrimonii remedium proponit;* idem & nos dicimus.

§. DXXXIII. Sed enim videt Bellarminus, primam istam solutionem non esse sufficientem. Si enim ad nuptias ab apostolo vocantur omnes, qui consentiunt in libidinem, quique calore ita labefactantur, ut flagitia committant, certe multi ex sacrificulis, monachis & monialibus ad coniugium erunt admittendi, quotus enim quisque monachorum ac sacrificulorum est ac quotaquæque monialium votivarum, quibus ardor libidinis non ita dominatur, ut quandoque in actum externum consentiant, ac corpus suum polluant? Adnotabo hac de re locum ex auctore quodam fide digno utpote aurito teste, qui in præfat. lib. de cœlib. ac monach. anno 1521. edito sic scribit: *Utinam demissa vox in aurem tibi quædam loqui posset, horreres certe illa, quæ auditores & iudices peccatorum, quos confessores vocant, a confitentibus didicerunt, & me docuerunt dedocenda magis quam docenda. Opinantur se non delinquere, cum in cuniculis & cellis & solitudine, haud scio quid, efficiant confricatione. Decipitis quidem nos, Deum autem nequaquam, non estis sic virgines, non continentes neque casti, cum urimini, & ex incendio semen iacitis vel in terram vel vestimentum. Perpetratis hoc seminis iactu crimen & fornicatione & adulterio incomparabiliter peius,* [quod ipsum etiam Thomas de Aquino recte adserit] *non tamen sponte vestra devii, sed perversa Romanorum pontificum doctrina seducti. De illo crimine sic detonat scriptura* Levit. c. XVIII. *Si quis dederit de semine suo Moloch, moriatur, populus terræ lapidabit eum. At ibunt inficias, qui hymenæum manu canunt, se Moloch dare. Ergo quis est Moloch? Moloch deus aliquis fictitius est, sive sit creatura in cœlo sive in terra, sive sanctus, sive profanus, modo sit fictus, non verus Deus, cui semen fundatur. Nunc elabantur, si possunt, qui se divis illis Francisco, Dominico aut illorum similibus dediderunt, & illis interim semina sua, licet repugnantes, tribuerunt, profecto Moloch deo fictitio semen dederunt, quod datum fuit deo fictitio. Tum largiamur, ipsos neque spontaneo adtritu, neque invitos semen effusum Moloch dedisse, illud saltem non quibunt negare, crimen esse grandius, si quis semen in terram vel vestem, sit honor auribus, spargat, quam si cum muliere congrediatur. Abominandum est scelus apud Deum iactatio seminis in terram, cuius hæc sunt verba Gen. XXXVIII.* Ille ad uxoris fratris introiens semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur, & idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret. *Ecce scriptura rem detestabilem vocat seminis effusionem in terram &c. iis certe semen das, quorum amore cœlebs es, etiam si uraris, & semen fundis. Alius raptus incendio concupiscentiæ pecus subigit, tu similibus flammis ustus vestem semine conspurcas. Adhuc virginitatem & castimoniam defendis? Ex vestris fratribus didici, innumera mala a monialibus excogitari, quibus semen emungunt, ut cœlibatum custodiant, meretrices sunt apud Deum &c.* Hæc ille. Similem querelam de pollutionibus monasticarum personarum vide apud Lutherum in postill. eccles. in fest. Epiphan. in vetustioribus editionibus. Neque est, quod illas se detestari ac prohibere regerant coacti cœlibatus defensores. Et longe ante Lutherum

rum Bernhardus in serm. de convers. ad cleric. cap. XXIX. monasteriorum impuritates taxavit. *Si iuxta Ezechielis prophetiam* [inquit] *parietem fodiamus, ut in domo Dei videamus horrendum, pessima forte adparebit inter parietes abominatio, siquidem post fornicationes, adulteria, post incestus, ne ipsæ quidem apud aliquos ignominiæ passiones & turpitudines operæ desunt &c.* ut enim prætermittam id quod Toletus lib. V. instruct. cap. XIII. satis impudenter scribit: *Si quis desideret habere pollutionem ad levandas tentationes carnis, quibus adfligitur, non est peccatum*, nobis hic sufficit, quod in prima solutione Bellarminus concedat, *illis, qui ob incontinentiam flagitia committunt, coniugium esse permittendum.* Iam vero interrogent confessionarios, sacrificulos, abbates &c. quos ἐξουσιαστὰς καὶ ἐκκρίσεις τῆς σπέρματος, quæve flagitia occasione coacti cœlibatus commissa a monachis & monialibus in eorum aures demittantur, & res erit in propatulo.

§. DXXXIV. *Alteram* igitur solutionem Bellarminus addit, quæ sic habet: *Tametsi per ustionem apostolus tentationem significaret, nihil tamen adversarii obtinerent, nam in nullo eorum locorum invenitur verum præceptum nubendi, sed saltim permissio.* Resp. imo vero verba apostoli sunt manifesta: διὰ τὰς πορνείας ἐχέτω ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα. v. 2. εἰ δὲκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν. v. 9. εἴ τις ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτοῦ νομίζει &c. γαμείτωσαν. v. 36. quibus coniungi potest illud 1 Tim. V. 14. θέλω νεωτέρας γαμεῖν. Ac perquam absurdum est statuere, quod apostolus liberum permittat illis, qui se non posse continere sentiunt, sed uruntur, an velint sub iugo ac tyrannide illa concupiscentiæ manere, & ob spiritum ustione inquinatum in conscientiæ perturbatione perpetuo vivere, an vero uti remedio coniugii divinitus ipsis præscripto ac concesso? Denique demus, apostolum duntaxat consilium, non præceptum aliquod nubendi talibus personis, quæ uruntur, proponere; cur igitur pontificii contrarium illis consulunt, videlicet ut a matrimonio abstineant, & alia potius ustionis remedia quærant? Sed regerit Bellarminus: 1.) *Forma loquendi non est imperativa, non enim ait apostolus, qui non continetis, nubite, sed qui non se continent, nubant, nec ait propter fornicationem ducite uxorem, sed uxorem habeat.* Resp. puerilis est hæc exceptio, tum quia Græca ἐχέτω, γαμησάτωσαν, γαμείτωσαν sunt *modi imperativi*, tum quia in latina versione, modus potentialis perinde, ut apud Hebræos *futurum tempus*, quod modo potentiali respondet, pro *imperativo* ponitur, cuius significationis exempla plurima adferri possent. Sufficiant ea, quæ in hoc ipso capite occurrunt v. 2. *Uxori vir debitum reddat.* v. 11. *Vir uxorem non dimittat.* v. 18. *Non circumcidatur.* v. 20. *In vocatione maneat* v. 29. *Qui habent uxores, sint tanquam non habentes.* v. 31. *Qui utuntur mundo, tanquam non utantur &c.* quæ omnia mandatum includere nemo inficias ire poterit. 2.) *Ratio, quam apostolus reddit, nimirum* melius est nubere quam uri, *satis indicat, verba apostoli non præceptum, sed permissionem continere. Etsi enim melius est nubere quam uri, tamen est quoddam tertium melius utroque, id est, continere, & ustionem inedia & lacrimis exstinguere, sicut melius est pugnare & vincere quam fugere & occidi.* Resp. diximus superius, studio, conatu, lucta, abstinentia & precibus opus esse, ut exploretur an donum continentiæ sit datum, ac ut donum illud excitetur, excolatur & conservetur; sed quando illa diligentia interiores flammæ exstingui nequeunt, atque ustio nihilominus durans cor inflammet, cogitationes abripiat, & totum corpus incendat, tunc cer-

te manifestum est, coniugii necessitatem iniici, praesto enim est periculum ruinae, ac turbatur tranquillitas conscientiae & invocatio. Quod inedia & lacrimis ustiones illae non exstinguantur, docent exempla ab illis ipsis, qui ustiones senserunt, adnotata. Hieronymus cum in eremo solis ardoribus inter feras & scorpiones repletus amaritudine sederet, saepe tamen Romanis deliciis se interesse putabat: cum se ita maceraret, ut membra squalido caeno horrerent, ora ieiuniis pallerent, & ipse vix ossibus haereret, sola tamen libidinum incendia bulliebant. Verba eius in epist. ad Eustochium sic habent: *Ille ego, qui ob gehennae metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius & ferarum, saepe choris interesse puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis aestuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne praemortua sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad Iesu pedes iacebam, pedes rigabam lacrimis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam.* Lutherus in epithal. f. 342. *S. Hieronymus, der die Keuschheit hoch und aufs allerherrlichste preiset, bekennet, wie er sein Fleisch mit keinem Fasten noch Wachen habe können zwingen, daß ihm seine Keuschheit über die Maß ist sauer worden. Er war in der Zahl, die in die Ehe gehören, denn er hat in der Brunst gelegen, &c.* In praefat. libri qui inscribitur: *Barfüsser Eulenspiegel §. 2. S. Franciscus als er von Weibesbildern angefochten ward, trat in den Schnee, und machet Schneeballen, die hieß er sein Weib und Kinder, und sprach: O Francisce, siehe da hast du Weib und Kind, die must du ernehren mit Arbeit und Sorgen, so wird dir der Küzel vergehen. S. Benedict vertriebe seine Gedancken damit, daß er sich nacket in Dornbusch und Nesseln leget, und zerrieß sein Fleisch biß aufs Blutrinnen &c.*

Quod Bellarminus addit, *ex eo, quod rationem apostolus adiungit, colligi posse, quod non proponat legislationem, sed tantum permissionem*, admodum infirmum est, cum Deus ipse in decalogi promulgatione rationes addat. 3.) *Sicut apostolus ait*, qui se non continent, nubant, *sic de coniugibus dicit*, iterum revertimini in id ipsum. *At haec verba non continent praeceptum sed permissionem, quia sequitur*, hoc non dico secundum imperium, sed secundum intelligentiam. *Ergo idem de prioribus statuendum.* Resp. diximus hac de re superius in quaestione: *An coniuges vovere possint continentiam?* Quod Bellarminus addit, *apostolum in verbis illis*, propter fornicationem unusquisque habeat uxorem, *loqui de illis, qui iam uxores duxerant*, de eo egimus in tract. de minist. §. 336. 4.) *Si ullum esset praeceptum matrimonii in verbis Pauli, maxime esset in illis* 1 Tim. V. *Volo iuniores viduas* nubere. *At nullum ibi est praeceptum, nam in primis pugnaret cum illis verbis.* 1 *Cor. VII.* Volo omnes esse sicut meipsum: *nec aliter vult eas nubere, quam filios procreare, quod per modum praecepti accipi nequit, alias steriles in illud peccarent.* Resp. prius facile solvitur distinctione inter eos, qui habent donum continentiae, & inter eos, qui hoc dono destituuntur. Prioribus caelibatum apostolus proponit, posterioribus vero coniugium. Posterius confundit antecedens & consequens, τεκνογονία est nuptiarum consequens, quod si vel maxime ex accidenti in sterilibus non sequatur, tamen sufficit illis, quod ex desiderio prolis suscipiendae tales viduae nuptias contrahant, & hac ratione incontinentiae suae remedium in coniugio quaerant, quo pertinet illud, quod suo loco diximus, *matrimonium a matris nomine dictum esse, non iam adepto sed cum spe & omine adipiscendi.* 5.) *Subiungit patrum dicta.* Resp. illi nihil aliud dicunt, quam quod apostolus virginibus & vi-

viduis, quæ continere possunt, non præcipiat coniugium, quod ipsum etiam nos dicimus; sed quæstio remanet de illis, quæ continere non possunt, sed uruntur, illis ab apostolo coniugium remedii loco proponi manifestum est. Ambrosius in lib. de vid. *Pro remedio nuptias suasit, ut peritura sanetur, non pro electione præscripsit; casta & continens quid sequatur.* Augustinus de bono vid. c. VIII. *Quod dicit*, volo iuniores viduas nubere; *nuptiarum bonum apostolica sobrietate & autoritate commendat, non procreandi officium etiam eis, qui continentiæ bonum capiunt, tanquam ad obsequelam legis imponit.*

§. DXXXV. Sed nec huic solutioni inhæret Bellarminus, verum adjungit etiam *tertiam* ut ad triarios res ipsi rediisse videatur. *Dico*, inquit, *ista omnia, quæ ex apostolo adversarii obiiciunt, sive permissionem sonent sive præceptum, pertinere solum ad homines liberos, non autem ad eos, qui votis jam obligati sunt. Nam de ea, quæ habet votum continentiæ, non potest recte dici: Quæ non se continet, nubat, melius enim est nubere quam uri. Nam utrumque est malum & nubere & uri, imo pejus est nubere, quidquid reclament adversarii, præsertim quæ habet votum solenne.* Resp. ea vero est inversa ac perversa de cœlibatu differendi methodus. Nos ex textu apostolico firmissime demonstramus, non esse probandum cœlibatus votum, quia donum continentiæ non sit ita commune, ut, quicunque volunt, petunt, conantur, illud obtinere possint, sed quibusdam duntaxat proprium, quibus peculiariter illud datum; ac si vel maxime in præsenti aliquis contineat, ipsum tamen non posse nec debere solenni voto ad perpetuam continentiam cum abiuratione coniugii & obligatione ad æternam damnationem sese obstringere, quia certus esse nequit, quod perpetuo ac per omnem vitam donum illud sit habiturus, ut propterea libertatem divinitus concessam debeat vel possit abiurare. De donis, quæ sunt omnibus piis communia ac necessaria, exstant eiusmodi promissiones, quod sint ἀμεταμέλητα, Rom. XI. 29. quod *qui incepit opus bonum, idem sit illud perfecturus* Phil. I. 6. sed de extraordinariis & peculiaribus donis non exstant tales promissiones, nec talis certitudo ac fiducia de illis esse potest; sic nec semper futura vel absentia videre, nec quandocunque volebant, miracula edere prophetæ poterant, 2 Reg. IV. 27. ac Paulus exemplo iuniorum viduarum 1 Tim. V. 12. ostendit, multis esse occasionem ruinæ, quod sine diligentiore examine, cum donum continentiæ non haberent, viduitatem elegerint; unde in illud collegium viduarum, quibus ita manendum, non vult adlegari nisi sexagenarias, in qua profectiore ætate tentationes facile vincuntur, ne in ustiones degenerent. Hæc quando ex apostolo firmissime demonstramus, pontificii regerunt, *hæc omnia de personis a voto cœlibatus adhuc liberis, non autem de votivis monachis ac monialibus intelligenda esse.* Atqui hac ratione petunt principium; idipsum enim in quæstione est, an scilicet votum cœlibatus sit adprobandum, cum doctrinam de cœlibatu apostolus ita tradat, ut nemini per eam laqueum iniectum velit, cumque libertatem illam ex præscripto apostoli cœlibes sibi servare debeant integram, quod si continere nequeant, matrimonium contrahere possint. Conferatur autem hæc tertia Bellarmini responsio cum prima, in qua τὸ *uri* accipiendum esse docuit pro *fornicari*, ex quo consequens fuerit, illos, qui votum continentiæ præstiterunt, gravius peccare, si matrimonium contrahant, quam si fornicentur, hoc est si constitutiones humanas de votis cœlibatus latas transgrediantur, quam si contra legem divinam fornicatione peccent. Quomodo quæso hoc antichristianum paradoxum Bellarminus probat? 1) *Quæ uritur*, inquit, *aut non peccat, si ustio solum tentationem significat, aut peccat solum contra temperantiam & contra votum,*

tum, si fornicationem significat: quæ vero nubit post solenne votum, peccat contra temperantiam, contra votum & contra ipsum coniugium, cum sub nomine coniugii tegat perpetuum sacrilegium. Quæ autem nubit post votum simplex, illa verum matrimonium contrahit, tamen aliquo modo magis peccat, quam quæ fornicatur, quia reddit se impotentem ad servandum votum, quod non facit, quæ fornicatur. Resp. adparet ex his turpitudo Babylonicæ meretricis. Quomodo enim peccat contra temperantiam, quæ post solenne votum nubit, cum remedium incontinentiæ & intemperantiæ divinitus concessum eligat, ac, ut loquitur Augustinus lib. I. de nupt. & concup. ad Valer. c. XVI. *cum infirmitas incontinentiæ, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honestate nuptiarum?* Quomodo contra *votum* peccat, cum in voto semper subintelligatur hæc conditio sive tacita, sive expressa: Si Deus vires concesserit, si potero, & quantum humana fragilitas permittit? Quomodo contra *coniugium* peccat, cum divinis coniugii legibus reverenter se submittat? Quod de *sacrilegio* additur, ex falsa hypothesi descendit, quasi scilicet per votum continentiæ spiritualis quædam desponsatio inter Christum sponsum & monialem sponsam instituatur, cum tota scriptura clamet, desponsationem illam fieri fide, quæ & virginibus & viduis & coniugatis piis est communis. Quid vero illud sibi vult, quod Bellarminus dicit, *eam, quæ post votum simplex nubit, propterea gravius peccare, quam quæ fornicatur, quod illa sese ad votum servandum impotentem reddat, hæc vero minime?* Ergone etiam meretriculæ virginitatem vovere possunt? Ergone monialis, si fornicetur, tamen adhuc potest servare votum suum, modo non nubat? Hac ratione intelligimus, quale votum præstent monachi ac moniales papales, videlicet quod a coniugio quidem abstinere velint, non autem a fornicatione. Si enim coniugium obstat, quo minus servari possit votum, fornicatio autem nequaquam obstat, quo minus illud servetur, quod utrumque disertis verbis Bellarminus adserit, consequens fuerit, matrimonium quidem, non tamen fornicationem cum illo voto pugnare. 2.) *Ei, quæ virum habet, & sive quod ille perpetuo ægrotet, sive perpetuo absit, non potest ab eo debitum coniugale petere, etiam si gravissime uratur, non potest dici, si non se continet, nubat, melius est enim nubere, quam uri; sed dicendum est illi, ut fidem servet coniugi & orationibus ac ieiuniis pugnet contra ustionem. Ergo & illis, qui fidem Deo dederunt, hoc dici nequit.* Resp. disparitatem rationis ostendimus superius. Coniuges vivunt in statu a Deo ordinato, ideoque ex fide petere possunt continentiam, ostendant idem votivi monachi ac moniales de suo statu. 3.) *Patres idem docent.* Resp. papale illud cœlibatus votum ratione omnium *causarum ac circumstantiarum* consideratum ipsis fuit ignotum, propositum ac professionem continentiæ temere mutari noluerunt, nec tamen nuptias post eam contractas rescinderunt. Apostolus generaliter pronunciat: *melius est nubere quam uri;* ac quod probe notandum etiam eos, qui continentiam servare statuerant, non peccare adserit, si coniugium ineant.

S. DXXXVI. Cap. XXXI. seq. Bellarminus addit duas alias exceptiones. 4.) *Apostolus* 1 *Cor. VII. vocat donum Dei non solum continentiam virginalem, sed etiam coniugalem, & tamen in potestate nostra est continere & caste vivere.* Resp. magnum discrimen est inter continentiam *virginalem* ac *coniugalem;* de illa enim non exstat generalis quædam promissio, quod Deus omnibus eam petentibus, & desiderantibus dare velit, sed de hac coniuges possunt esse ex fide certi. Cum enim peculiari & quidem gravissimo mandato prohibuerit Deus adulteria, & vero coniuge

iuge alterutro vel ægrotante vel diutius abſente nullum aliud ſuperſit medium ac remedium contra uſtienes, quam oratio, ieiunium, corporis caſtigatio &c. ideo coniuges ex fide petere poſſunt continentiæ coniugalis donum. Sed quæ ex voto cœlibatum colunt, ac dono continentiæ deſtituuntur, non poſſunt ex fide petere, cum negligant remedium a Deo ipſo monſtratum, videlicet coniugium, ac quamvis re ipſa deprehendant, ſe vocari ad coniugium, tamen temeraria præſumtione potius ſectantur cœlibatum. Præterea ſi textum apoſtolicum adcurate expendere velimus, adparebit ipſum non conferre donum virginalis continentiæ cum dono coniugali, ſed potius cum aliis eiusmodi propriis ac peculiaribus donis, perinde ut Rom. XII. 6. 1 Cor. XII. 11. eadem enumerat ac diſtinguit. §.) *Per neceſſitatem* 1 Cor. *VII.* 36. *non intelligitur neceſſitas coniugii ob cantentiam doni continentiæ, ſed neceſſitas extrinſeca. Dicitur enim pater habere neceſſitatem iungendi filiam matrimonio, ſi ipſa nolit vivere in cœlibatu, vel ſi ipſe ſervus ſit, & cogatur a domino filiam elocare, & contra dicitur habere neceſſitatem filiam ſervandi virginem, ſi vel ipſa nolit nubere, vel ſi non inveniatur, qui eam velit.* Reſp. Quam neceſſitatem intelligat apoſtolus, non opus eſt dubiis coniecturis divinare, cum diſerte id ipſum ibidem expoſitum exſtet. Ἐι δὲ τὶς ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτῦ νομίζει, ἐὰν ἦ ὑπέρακμος, καὶ ὄτως ὀφείλει γίνεσθαι. Per illam ἀσχημοσύνην vel intelligendum eſt aliorum iudicium de filiæ virginitate, quod indecens atque indecorum videatur virginem ὑπέρακμον domi alere, eamque non elocare, ut ἀσχημονεῖν oppoſitum intelligatur ei, quod v. 35. dixerat εὐσχήμων. Ita reddidit Syrus: *Si quis putat, quod deſpectus ſit propter virginem ſuam*; ac Lutherus in epithal. hunc ſenſum ſequitur. Sicut Deut. XXV. 3. dicitur ἀσχημονεῖν, qui plagis pluribus quam quadraginta percuſſus. Vel potius quando ex verbis & actionibus adparet, filiam non eſſe continentiæ dono inſtructam; uſurpatur enim ἀσχημοσύνη pro fœdis actionibus & pollutionibus contra naturam Rom. I. 16. pro nuditate partium, quas natura voluit tectas, Exod. XXVIII. 42. Levit. XVIII. 6. Ezech. XVI. 7. quod imitatur apoſtolus 1 Cor. XII. 23. pro conſtupratione, Gen. XXXIV. 7. ac quid per filiæ ἀσχημοσύνην intelligatur, omnium optime ex antitheſi colligitur. Eccleſ. XXVI. 30. γυνὴ ἀσχήμων ἀτιμίαν κατατρίψει, θυγάτηρ δὲ εὐσχήμων καὶ τὸν ἄνδρα ἐντραπήσεται. Quando igitur Bellarminus neceſſitatem illam tantum exponit de filiæ repugnantia, vel patris erga alium ſubiectione ac ſervitute, inſufficienter illius neceſſitatis caſus ac ſpecies enumerat; ad neceſſitatem enim illam etiam hoc ſpectat, quando animadvertitur, filiam ad cœlibatum non eſſe idoneam, ſed ruinæ periculum illi imminere, ſi a coniugio prohibeatur. Tunc enim locum habet illud Siracidis præceptum VII. 26. *Si filiæ tibi ſunt, adtende corpori earum.* v. 27. *Eloca filiam, & perfeceris opus magnum.* XXVI. 13. *Super filiam invertibilem firma cuſtodiam, ne inveniens ſolutionem, ſe ipſa utatur.* Hieronymus lib. I. contr. Iov. per virginem intelligit *virginitatem*, quod textui minus congruum, ſed verbum ἀσχημονεῖν recte explicat: *Si quis ſentit, carnem laſcivire & ebullire in libidinem, nec reſrenare ſe poteſt, ut vel ſit nubendum, vel ruendum.*

§. DXXXVII. Demonſtravimus hactenus ex propria huius doctrinæ ſede, videlicet ex Matth. XIX. & 1 Cor. VII. donum continentiæ virginalis non eſſe ita commune, ut omnibus, qui illud petunt & deſiderant, detur, ſed eſſe quibuſdam duntaxat peculiare ac proprium. Id ipſum III. colligi poteſt ex 1 Tim. V. 9. & ſeqq. ibi enim diſerte adnotat apoſtolus, experientiam ſui temporis refutaſſe perſuaſionem

III.) 1 *Tim.* V. *volo iuniores viduas nubere.*

sionem illam, quod donum continentiæ extra coniugium ab omnibus peti & impetrari possit. Cum enim ecclesiis suum de virginitate ac viduitate consilium proposuisset, viduæ quædam iuniores ecclesiæ ministeriis operam suam addicebant, & in collegium illud viduarum ecclesiasticum, cui professio cœlibatus vel expressa vel tacita adnexa erat, sese recipi petebant, cum nondum de dono continentiæ sese satis exploraſſent. Sed postmodum a satana propter incontinentiam tentatæ ac metuentes, ne levitatis & inconstantiæ notam apud Christianos incurrerent, tandem penitus a religione Christiana deficiebant, ac retro post satanam convertebantur. Proinde apostolus iunioribus illis viduis non præscribit ieiunia, preces, castigationem corporis, ut donum continentiæ impetrare vel conservare possint, sed *volo* [inquit] *iuniores viduas nubere.* Sic ergo concludimus: Si continentiæ donum esset ita commune, ut a quibuſvis illud petentibus ac desiderantibus obtineri posset, apostolus iunioribus viduis a satana propter incontinentiam tentatis non coniugium, sed preces, ieiunia & alia pietatis ac disciplinæ exercitia præscripsisset. Sed posterius refellit textus apostolicus: *Volo iuniores viduas nubere*, qui conferendus est cum loco 1 Cor. VII. §. 9. *Dico ἀγάμοις ac viduis, bonum est, si sic permanserint. Quod si vero non continent, nubant, melius enim est nubere, quam uri.* Ergo etiam prius adseri nequit. Quæ contra hunc locum apostolicum Bellarminus profert, in præcedentibus iam ante sunt exposita.

§. DXXXVIII. Subiungemus IV.) coronidis loco dicta patrum. Ignatius in ep. 8. ad Smyrnen. εἴ τις δύναται ἐν ἁγνείᾳ μένειν, ἐν ἀκαυχησίᾳ μενέτω. Idem citante Maxim. τῆς παρθενίας ζυγὸν μηδενὶ ἐπιτίθει, ἐπισφαλὲς γὰρ τὸ κτῆμα καὶ δυσφύλακτον, ὅταν κατ' ἀνάγκην γίνεται. Cyprianus lib. I epist. XI. *Deo dicatæ virgines si perseverare nolunt aut non possunt, nubant.* Eusebius lib. IV. hist. eccl. c. XXII. meminit Pinyti, Gnosiorum episcopi, ad quem Dionysius, Corinthiacus episcopus scripsit: παραχαλῶν μὴ βαρὺ φορτίον ἐπάναγκες τὸ περὶ ἁγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιτιθέναι, τῆς δὲ τῶν πολλῶν καταφρονεῖσθαι ἀσθενείας, *ne cœlibatus onus fratribus tanquam necessarium imponat, sed infirmitatis multorum rationem habeat.* Hilarius canon. XIX. in Matth. p. 302. *In uno posuit* [Christus Matth. XIX.] *naturam, in altero necessitatem, in tertio voluntatem. Naturam in eo, qui ita nascitur; necessitatem in eo, qui ita factus est, voluntatem in illo, qui spe regni cœlestis talis esse decreverit, cui nos similes effici, si tamen possimus, admonuit.* Epiphanius contra Montanistas hæres. XLVIII. *Exhortamur eum, qui potest, non autem necessitatem ei imponimus, qui non potest, neque reiicimus illum a vita.* Lactantius lib. VI. instit. c. XXIII. p. 376. *Hoc Deus non ita fieri præcepit, tanquam adstringat, quia generari homines oportet, sed tanquam sinat, scit enim quantam his adfectibus posuerit necessitatem. Si quis,* inquit, *hoc facere potuerit, habebit eximiam incomparabilemque mercedem.* Chrysostomus hom. XIX. in 1 Cor. VII. *Magna est tyrannis concupiscentiæ, si igitur sustineas βίαν καὶ πυρώσιν, ἀπαλλαγῆθι πόνων καὶ ἱδρώτων μή ποτε καὶ περιτραπῇς.* Et paulo ante: εἶδες τὴν σύνεσιν τὴν Παύλου, πῶς καὶ βελτίονα δείκνυσι τὴν ἐγκράτειαν, καὶ ἐκ ἀναγκάζει τὸν μὴ φθανόντα, δεδοικὼς μή τι παράπτωμα γένηται. Idem lib. de virg. Φοβῆμαί σε εἰς τὸ παρθενίας ὕψος ἀναγαγεῖν, μὴ καταπέσῃς εἰς τὸ τῆς πορνείας βάραθρον, ἐπὶ ἀνθράκων γὰρ δεῖ περιπατεῖν καὶ μὴ κατακαίεσθαι &c. Hieronymus lib. I. cont. Iov. *Si omnes virgines esse possent, nunquam & Dominus diceret*: Qui potest capere, capiat; *& apostolus in suadendo non*

IV.) Dicta patrum.

non trepidaret. In Matth. XIX. *Vnde infert Dominus*, qui potest capere capiat, *ut unus quisque consideret vires suas, utrum possit virginalia & pudicitiæ implere præcepta. Per se enim castitas blanda est, quemlibet ad se adliciens, sed considerandæ sunt vires, ut, qui potest capere, capiat.* Augustinus de virgin. cap. XL. *Vnusquisque habet proprium donum. Quis ergo donat ista? quis distribuit propria unicuique sicut vult? nempe Deus, apud quem non est iniquitas, ac per hoc qua æquitate ille faciat alios sic, alios vero sic, homini nosse aut impossibile aut difficile est, quin tamen æquitate faciat dubitare fas non est.* [Bellarminus de Monach. c. XXXIV. excipit, *Augustinum loqui de dono continentiæ, non quo fit, ut aliquis continere possit, quod nemini negatur, sed quo fit, ut re ipsa aliquis contineat, quod non datur nisi iis, quibus Deus dandum esse iudicaverit.* Atqui apostolus, cuius verba adducit Augustinus, diserte agit de dono, quo fit, ut aliquis continere possit, ac illud ipsum docet non esse omnium, sed quorumdam tantum proprium. Adde quod adversarii statuant, τὸ posse continere ex viribus liberi arbitrii descendere, quomodo igitur proprie loquendo erit donum gratiæ divinæ!] Lib. I. de nupt. & concup. ad Valer. c. XVI. *Quia hoc tempus continendi ab amplexibus non habet huius officii necessitatem, adiacente undique in omnibus gentibus tanta fertilitate gignendorum spiritualiter filiorum, illud potius excellentis continentiæ bonum, qui potest capere, capiat, qui vero id capere non potest, etsi acceperit uxorem, non peccat, & fœmina, si se non continet, nubat. Bonum est homini mulierem non tangere, verum quia non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, restat, ut propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque virum suum, & sic infirmitas incontinentiæ, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honestate nuptiarum. Quod enim ait apostolus de fœminis:* volo iuniores viduas nubere: *hoc & de maribus dici potest, volo iuniores uxores ducere &c.* Ad Pollentium c. XIX. *Ad cælibatum consilio Apostoli, quicunque potest capere, provocatur.* Hesychius in Levit. XX. *Non super virtutem discipulis ingeramus, sed quæ eis sunt possibilia, id est, virginitatem, cui possibilis est.* In Levit. XXV. *Virtutes Deus secundum possibilitatem exigit, propter quod de virginitate sanciens, non omnes, inquit, capiunt.* Gregorius part. III. cur. pastoral. cap. XXX. *Veritas de hac integritate dicit:* Non omnes capiunt verbum hoc; *quod eo innotuit summum esse, quo denegavit omnium.* Et cap. præced. *Cœlibes esse a pastoribus admonendos, ut, si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, coniugii portum petant.* Bernhardus in serm. de conversi. ad cleric. cap. XXIX. *Vtinam, qui continere non valent, cælibatui dare nomina vereantur, sumtuosa enim turris est & verbum grande, quod non omnes capere possunt.* In iure canonico c. Integritas XXXII. q. 2. citatur dictum Ambrosii: *integritas corporis expetenda a vobis est, quam ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. Sola est enim virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest, res magis voti quam præcepti.* Bellarminus ipse dicto cap. XXXIV. resp. ad 19. *Donum continentiæ, quo fit, ut reipsa aliquis contineat, non datur, nisi iis, quibus Deus dandum esse iudicaverit.*

§. DXXXIX. V.) Neque re- V.) *Praxis.*
ctius iudicium fieri potest hac de re, an scilicet donum continentiæ singulis sit ita comparatum, ut precibus, studio, diligentia a quibusvis obtineri possit, ac proinde ad omnibus, qui illud expetunt, solenniter voveri debeat, quam ex ipsa *experientia*, quæ stultorum etiam potest esse magistra. Quibus enim malis ac flagitiis vincula votorum, quibus sacri-

sacrificuli, monachi ac moniales in papatu constricti tenentur, occasionem efficacem dederint, ex ipsis adversariorum querelis colligi potest, ac dies Domini illud aliquando plenius manifestabit. *De clericorum* castitate diximus in loc. de eccl. §. 265. & in loc. de ministerio eccl. §. 338. & seqq. cum quibus coniunge ea, quæ de fructibus cœlibatus, ad quem sacerdotes in regno pontificio coguntur, tradit Hoë lib. IV. in Apocal. cap. XIV. p. 440. *de monachorum* ac *monialium* claustralium castitate in loc. de eccl. §. 266. de qua etiam quædam paulo superius sunt adlata, quibus & hæc possunt addi: Honorius Augustodunensis in dial. de prædest. & lib. arb. *Adspice habitacula monialium, & in illis cernes bestiæ præparatum thalamum, hæ a tenera ætate impudicitiam discunt, omnibus fornicariis peius prosternuntur.* Nicolaus de Clemang. in lib. de corrupto ecclesiæ statu: *Monachorum monasteria nihil aliud sunt quam Veneris exsecranda prostibula.* Gersonius in lib. de ecclesiæ defectibus: *Claustra monialium sunt prostibula meretricum.* Petrus de Aliaco Cameracensis lib. de ecclesiæ reformatione: *claustra monialium, ultra quam dicere ausus esset, dehonestata* adserit. Iodocus Clichtoveus Carnotensis, canonicus Neoportuensis, in sermone habito in capitulo generali ordinis Cluniacensis recensente Wolffio cent. XVI. p. 313. sic exclamavit: *Vbi quæso nunc stupra, adulteria & fornicationes vehementius grassantur, quam inter deformatos monachos, qui patrimonium pauperum sanguine Iesu Christi comparatum in crapulam, ludos inconcessos, otium & nefandam libidinem gula & otio enutritam profundunt, dissipant, distrahunt.* Ecbertus Benedictinus S. Florini diœcesis Trevirensis abbas in epistola ad Colonienſem episcopum sic scribit: *Vidi claustra virginum, quorum alia rectius viscarium, id est, aucupium satanæ adpellaverim, & ecce ignis alienus* [venereus] *cuncta vastaverat, lilia castitatis aruerant, & deploratus universo orbi animarum interitus ubique adparuit.* Ubertinus Chemensis in libr. cui titulus: Onus ecclesiæ: *Sunt nonnulla monialium monasteria adeo propatula, ut ipsa loca Veneris prostibulo sint similiora, quam Dei sacrario, hinc procacitas, stuprum, incestus mulierum sacrarum.* Iohannes Picus in orat. ad Leonem X. *Virginibus dicata septa in plerisque urbibus in meretricios fornices & obscœna latibula fuisse conversa* adserit. Palingenius in Leone lib. X. de monachis sic canit:

Raptores, mœchi ac puerorum corruptores,
Luxuriæ atque gulæ famuli. - - -
Duntaxat veneri, ventri somnoque vacantes.

Vide plura huiusmodi ex variis scriptoribus collecta apud Sutlivium de monach. instit. ac morib. cap. VIII. Facta inquisitione temporibus *Henrici VIII. regis Angliæ* anno 1538. nullum fere per totam Angliam repertum est monasterium, in quo non adulteriorum, stuprorum, incestarum libidinum, sceleris sodomitici, nefandorumque flagitiorum plurima reperirentur vestigia, eaque & testibus & confessionibus plurimorum comprobata. Balæus in præf. lib. I. de actis Rom. pontif. Lutherus in comm. Gen. IV. p. 54. refert, quod cum moniales *in Austriæ vico Closter Neumburg* propter turpem vitam cogerentur mutare locum, & monasterium Franciscanis habitandum concessum esset, atque illi pro sua commoditate quædam ædificia mutarent, inventæ fuerint in fundamentis novis duodecim ollæ, quarum singulæ infantis cadaver habebant. Ibidem mentionem facit epistolæ Udalrici, episcopi Augustani, in qua aliquot millia craniorum infantilium ex piscina extracta, & ad Gregorium adlata referuntur, de qua vid. loc. de minist. §. 339. Ioh. Menardus in lib. de regula Francisci refert, quod

non

nonnullæ fœminæ in habitu monachali cum monachis pila ludentes præmium hoc sibi proposuerint, ut utra pars vicerit, ei optio data esset concubitus. Wolfius cent. XVI. p. 236. ex centuriis epist. Ioh. Schuebelii refert, *duo amplissima monasteria in ducatu Saxoniæ ducis Georgii reperta esse, alterum monachorum, alterum monialium, ubi longo tempore semper dimidia pars monachorum cucullis monialium sese induit, dimidia pars monialium cucullis monachorum atque ita dimidia monasteria invicem in libidine & luxu multos infantes pepererunt, qui tandem occisi in secretis monasteriorum fuere reperti.* Petrus Beregasius, Varadinensis ecclesiæ minister, refert, *vix ulla fuisse cœnobia ex iis monasteriis, quorum a fundamentis eversorum infausta cadavera licuit, quin habuerint quædam aut subterranea aut alioquin secreta & tenebricosa inter ipsos parietes loca, ubi ossa mortuorum & interfectorum a monialibus infantum reconderentur.* Quedelburgi adhuc hodie videre licet specum subterraneam, per quam monachi Wipertini ad moniales monasterii in monte Sionis adscendere potuerunt.

C.) *Ratione formae.*

§. DXL. C.) Ratione *formæ* papale cœlibatus votum verbo Dei adversari, propterea dicimus, quia pugnat *cum libertate christiana.* Apostolus negat se *præceptum Domini de virginibus* continentiæ dono instructis habere, 1 Cor. VII. 25. neque cuiquam vult *laqueum iniicere*; v. 35. sed papalia illa vota vere sunt laquei conscientiarum, quia penitus auferunt potestatem ineundi matrimonii, cum tamen Deus ipse per electum suum organum noluerit cuiquam hic iniicere aliquam necessitatem, sed ad remedium illud incontinentiæ omnibus aditum patere voluerit. Apostolus generaliter pronunciat, *si se non continent, nubant*; 1 Cor. VII. 9. sed in papatu hac intentione & hoc sensu cœlibatum vovent, quod in perpetuum a matrimonio abstinere velint, quicunque etiam casus inciderit, sive continere possint, sive minus, sive postmodum ustiones sentiant, sive ab illis liberi sint, se ipsos igitur libertate divinitus concessa temere privant, ac Christi apostolo diserte contradicunt. Paulus enim hanc præscribit regulam: *Si se non continent, nubant*; sed votarii illi iurant, etiamsi sentiant, se non posse continere, tamen in perpetuum nolle matrimonium contrahere. Paulus dicit: *melius est nubere, quam uri;* sed votarii illi contra adserunt, etiamsi postea ustiones sentiam, tamen melius mihi erit propter votum a nuptiis abstinere. Paulus dicit, *si virgo nupserit, non peccat;* sed votarii illi dicunt, imo gravissimi peccati loco inposterum mihi reputabitur, si nuptias contraham, quia solenniter & cum obligatione ad æternam damnationem coniugium abiuro. Paulus inquit: *non ut laqueum vobis iniiciam.* Ut autem alteri noluit iniectum cœlibatum velut laqueum, ita nec sibi ipsi, alias non potuisset dicere 1 Cor. IX. 5. *Num quid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* At votarii dicunt, imo imponam mihi ipsi hanc necessitatem a matrimonio abstinendi, quicunque etiam casus inciderit. Sed hac ratione cœlibatus vere ipsis fit βρόχος, laqueus in exitium ipsos trahens. Qui enim ustiones sentiunt, & propter incontinentiam a satana tentantur, si propter temerarium illud cœlibatus perpetui votum a coniugio abstineant, corpus suum polluunt, vel certe spiritus ipsorum ustione contaminatur, conscientia turbatur, pietatis exercitia in illis impediuntur, & hac ratione in periculum pollutionis, scortationis & perditionis temerario suo voto præcipitantur. Ipsimet pontificii dicunt, *cœlibatum esse consilium evangelicum*, qui ergo per solenne votum cœlibatui se adstringunt, non amplius vivunt secundum evangelium, quippe quod vult cœlibatum de-

debere esse liberum. Si dicant, *ante votum quidem liberum esse cœlibatum, non autem post votum, τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνεσι*, de eo enim quæritur, an probandum sit illud cœlibatus votum, quod naturam & qualitatem huius doni, libertatem scilicet, mutat in necessitatem. Lutherus in libr. de votis monast. gravissime scribit: *Libertas christiana seu evangelica est divini iuris, quam Deus non revocabit, neque adversus eam quidquam acceptare potest, neque homini eam violare licet. Est autem illa libertas non solum illa in spiritu & conscientia regnans, qua nullis operibus aut adcusamur aut defendimur, sed etiam ea, qua sublata sunt universa hominum mandata, [respectu scilicet cultus ac necessitatis, non autem externæ disciplinæ ac pædagogiæ] & quidquid in externis ceremoniis servari potest, ut sunt omnes cibi, omnes vestes, omnes personæ, omnes gestus, omnia loca, omnia vasa, omnes dies &c. ut ea liceat observare, vel non observare, quamdiu, ubi, quomodo, quando, quoties placuerit, aut res obtulerit. At vovendi institutum in novo testamento mere humanum est. Libera sunt divinitus, quæ tu necessaria facis humanitus, & putas Deum plus acceptare, quod tu erras, quam quod ipse ordinavit? Ipse non potest sustinere, ut fiat peccatum in usu cibi, potus, dierum, quia noluit ibi peccari posse, & tamen tu ibi peccatum adseris fieri? Ita noluit cœlibatum necessarium fieri, sed sanxit liberum esse, & noluit peccatum fieri, si quis nupserit, quando voluerit, & tu perpetuum facis voto tuo ac necessarium sub lege. Non minus certe peccatum est violare libertatem divinitus statutam, quam in quodvis aliud Dei præceptum peccare, nec tibi licet eam libertatem auferre, nec licet peccatum statuere, ubi Deus peccatum esse noluit.*

§. DXLI. Excipit Bellarminus cap. XXIX. §. 10. *laqueum adpellari necessitatem, quæ detinet invitum, non autem quamlibet necessitatem. Proinde vota esse laqueos illis, qui temere voverunt, vel qui coacti sunt ab aliis vovere, cum ipsi nihil tale cuperent, ut hic sit sensus verborum apostolicorum: Exhortor vos ad continentiam, sed ita tamen, ut non cogam invitos, nec suadeam temere eam accipere & vovere, quod esset laqueus animarum, sed ut ostendam id, quod est per se honestum & utilissimum, ut quibus Dominus huius rei desiderium inspiraverit, illi accipiant & voveant.* Probat hoc ex ipsa *laquei* metaphora; *laqueus enim non dicitur funis ligans & tenens hominem, ne forte cadat, sed funis vi detinens, & ad capiendum & perdendum expositus.* Prov. XX. *ruina est homini devorare sanctos & post vota retractare, ubi in Hebræo est* קֹדֶשׁ *quod LXX interpretes reddiderunt per παγίδα.* Resp. 1.) Si per votum cœlibatus laqueus illis iniicitur, qui temere vovent, vel qui coacti ab aliis vovent, negari non poterit, multis modis contra hanc prohibitionem apostolicam in papatu peccari, ut ex superioribus constat. 2.) Apostolus non solum neminem cogit ad cœlibatum, sed etiam nemini cupit libertatem matrimonii iure divino omnibus competentem, ac quibusdam, illis scilicet, qui uruntur, necessariam, laqueo iniecto eripere. Vera igitur est illa Bellarmini interpretatio, quam etiam quidam veterum amplectuntur, sed non plena. 3.) In textu Græco non est παγὶς, sed βρόχος. Significat autem βρόχος teste Suida τὸ τῆς ἀγχόνης χωνίον, *illam partem laquei, quæ ita parata est, ut constrictione sua strangulet.* Pollux dicit βρόχον significare in aucupum seu venatorum retibus *foramina, quæ quaternorum funiculorum nexibus efficiuntur*, per quæ animalcula si caput exserant, quasi elapsura, fortius constringuntur & ita capiuntur. Ergo Paulus non vult cœlibatum alicui imponendum vel iniiciendum velut laqueum, quo ita constrictus

ctus teneatur, ut si vel maxime ustiones sentiat, & coniugii necessitatem sibi iniectam videat, tamen ex cœlibatu liberari & eluctari non possit. Iam vero talem laqueum iniicit cœlibatus, quia voto illo semel emisso homo ita tenetur constrictus & illigatus, ut quicunque etiam casus acciderit, coniugium tamen contrahere non possit. 4.) Apostoli sententia rectissime intelligitur ex antithesi; v. 27. dixerat apostolus, per coniugium maritum *adligari uxori*, ac v. 39. subiungit, mulierem *adligatam esse legi, quanto tempore vivit vir eius.* Tale igitur ligamentum ac vinculum non vult apostolus cuiquam per cœlibatum iniici, sed virgo ac vidua, etiamsi eligat ac suscipiat hoc genus vitæ, tamen non debet esse *adligata*, sicut uxor viro in matrimonio, sed retineat illam libertatem, ut si ustiones sentiat, seque non continere posse experiatur, nubere possit, *bonum*, inquit, *est illis*, ἐὰν μείνωσιν, *si* in illa continentia *perseveraverint*, sed si *non continent, nubant, melius est nubere quam uri.* 5.) Distinguit apostolus inter necessitatem, quam laquei nomine intelligit, & inter firmum propositum continentiæ. v. 37. Priorem improbat, posterius probat, quia firmum propositum pro re nata propter circumstantias de novo emergentes potest mutari, sed necessitas vinculum aliquod indissolubile complectitur, & laqueum homini iniicit. Iam vero solenne votum non tantum propositum constans & firmum, sed etiam necessitatem adfert, ergo ad laqueum merito refertur. 6.) Ex eo etiam intelligitur, quid *laquei* nomine apostolus intelligat, quando subiungit v. 36. Εἰ δέ τις ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτῦ νομίζει, quæ vero sit significatio illius ἀσχημοσύνης, superius fuit expositum. Quando igitur quis cœlibatum vovit, & tamen postea intelligit, se non continere posse, sed sentit ustiones, quibus ad ἀσχημοσύνην gravissime solicitatur, atque interim obstinate cœlebs manere conatur, illi votum cœlibatus est laqueus exitium adferens, nisi homo extricetur, & laqueus abiiciatur, quia talis homo in pollutiones spiritus & corporis a satana præcipitatur, nisi coniugii remedium adhibeatur. Nec potest rectius hac de re iudicari, quam ex ipsa praxi.

§. DXLII. D.) Ratione *finis* vitiosum est papale cœlibatus votum, quia in eligendo hoc vitæ genere non respiciunt fines a Christo & Paulo adsignatos, sed ut pro suis & aliorum peccatis hac ratione satisfaciant, ac vitam æternam sibi & aliis promereantur, sicut superius ex ipsis pontificiis fuit demonstratum. Sed hoc fine & hac intentione cœlibatum vovere, est gloriam Christo & ipsius sanctissimo merito unice debitam blaspheme sibi ipsi arrogare, ut in Augustana confessione eiusque apologia late demonstratur, ac superius etiam aliquot argumentis pharisaicam illam persuasionem confutavimus. Si Deus in veteri testamento sacrificia a se ipso instituta ac mandata repudiavit, quando opinio operis operati illis accessit, & quando sine fide in Christum mediatorem, cuius typi erant, fuerunt oblata Psal. L. 9. Esa. LXVI. 3. &c. num putabimus votum cœlibatus, ex opinione singularis cultus ac meriti extra & præter verbum ipsi factum, fore ei gratum & acceptum? Disputat Bellarminus de monach. cap. XVI. *Omne, quod fit ex voto, etiamsi alioquin non sit a Deo præceptum, tamen esse vere & proprie cultum Dei.* Sed generalem illam adsertionem ipsi etiam canonistæ & scholastici improbant, qui vota *stolida* & *impossibilia* reiiciunt; ac si omne, quod fit ex voto, etiamsi non sit præceptum, est vere & proprie cultus Dei, ergo verbum Dei non amplius erit norma ac regula divini cultus, sed propria ac privata cuiusque intentio, qua de re suo loco plenius egimus.

D.) *Ratione finis.*

§. DXLIII. E.) Ratione *obiecti* in vovendo cœlibatu aberrant pontificii, dum non Deo solum, sed etiam *sanctis eum voveri posse* disputant. Bellarminus de cultu sanct. libr. III. cap. IX. §. 2. *Posse aliquo modo sanctis vota nuncupari certissimum est.* Et postea §. 7. *Cajetanus in Thomæ II. 2. q. 88. art. 5. probat ex ipsa professione prædicatorum, vota vere fieri sanctis, nam dum profitentur, dicunt: Voveo Deo & b. Mariæ & omnibus sanctis &c. ubi promissio, quæ formaliter est votum, ad Deum & sanctos simul dirigitur.* §. penult. *Votum non convenit sanctis, nisi quatenus sunt Dei per participationem.* Idem libr. de monach. cap. XIV. *Vota vere fiunt sanctis, sed ut sancti sunt, & ut excellentissimo modo participant Dei naturam & gloriam.* At votum est species invocationis & actus religionis soli Deo debitus, unde soli Deo in scripturis vota fieri dicuntur Psal. LXXV. Num. XXX. Deut. XXIII. Esai. XIX. &c. Bellarminus frigide respondet, *non eadem ratione fieri votum sanctis & Deo, sed illis ex dulia, huic ex latria*; quid vero de hac distinctione & exceptione statuendum sit, alibi late fuit expositum. Hoc loco paucula duntaxat proferemus argumenta, sed efficacia. 1.) Quod est opus primæ tabulæ, non potest hominibus, sive mortuis sive vivis, exhiberi, sed soli Deo competit. Atqui vovere & reddere est *opus primæ tabulæ*, pertinens scilicet ad secundum decalogi præceptum. Ergo. 2.) Cui votum fit, illi etiam *sacrificium* offerri solet & potest, quia utrumque est cultus primæ tabulæ, unde etiam a propheta coniunguntur Esai. XIX. 21. Atqui soli Deo, non autem sanctis, licet offerre sacrificia. Ergo etiam soli Deo, non autem sanctis, licet vovere. 3.) Illis tantum licet vovere, qui nos audire possunt & *bona nobis conferre*, contra vero a malis liberare.

E.) *Ratione obiecti.*

Atqui sancti demortui nos nec audire, nec bona nobis conferre, nec a malis nos liberare possunt, Esai. IV. 16. Ergo. 4.) Illi tantum licet vovere, in quem licet *credere* & cordis fiduciam collocare; Rom. X. 31. sed in solum Deum, non autem in sanctos, licet credere & cordis fiduciam collocare. Ergo. Ad argumentum nostrum ex dictis & exemplis scripturæ deductum, in quibus nusquam sanctis, sed soli Deo vota fecisse pii in vet. testam. dicuntur, Bellarminus non potuit aliter respondere, quam per concessionem, quod *nondum cœperit usus vovendi sanctis, cum scripturæ sacræ scriberentur.* Atqui optandum foret, nec posterioribus temporibus usum vovendi sanctis in ecclesiam fuisse introductum. Merito autem debuisset Bellarminus addere, quod non solum in scripturis sacris nulla fiat mentio voti alicuius sanctis præstiti, sed quod prioribus etiam ac melioribus ecclesiæ temporibus tale voti genus fuerit ignotum. Origenes homil. XXIV. in Num. aliquot votorum genera enumerat, sed omnia *Deo reddi* demonstrat. Ambrosius libr. I. de Cain & Abel c. VIII. *Votum est postulatio bonorum a Deo cum solvendi muneris promissione.* Chrysostomus in Psalm. CXV. *Vota mea Domino reddam. Vota hic dicit promissa & pollicitationes. In his enim ærumnis ad Deum confugiebat, & se debitorem ei constituebat, pollicens, si illa mala effugeret, se exsoluturum esse sacrificium. Quoniam ergo, inquit, cessavit calamitas, vota mea Domino reddam.* Augustinus in enarr. Psal. LXXV. *Vovete & reddite Domino Deo nostro omnes communiter.* Olympiodorus in Eccles. V. *Votum est, cum quid Deo nos pollicemur reddituros.* Lombardus libr. IV. sent. dist. 38. lit. A. votum definit, quod *sit testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo & de his, quæ Dei sunt, proprie fieri debet.* Eodem modo definit Sylvestas in summa in verb. *votum.*

Tho-

Thomas II. 2. q. 88. art 5. *Vovere proprie est actus latriæ seu religionis: at soli Deo debetur latria*; unde Thomas sic distinguit: *Vota quæ fiunt sanctis vel prælatis, includunt duas promissiones: unam, quæ fit sanctis, & illa formaliter non est votum; & alteram, quæ fit Deo, & illa est formaliter votum.* Sed nec Caietano nec Bellarmino hæc moderatio Thomæ probatur, unde contra Thomam disputant, vota, quæ fiunt sanctis, terminari etiam ad ipsos sanctos.

F.) *Ratione adiuncti.*

§. DXLIV. F.) Ratione *adiuncti* in pontificio cœlibatus voto hoc improbamus, quod votarios suos collocant in eum vitæ statum, in quo est iners *otium, abundantia, saturitas panis*, ex quibus radicibus, qui fructus oriri soleant, in propatulo est. Ezech. XVI. 49. Ieiunare se dicunt, & hac ratione pravas carnis concupiscentias restinguere, sed quæ & qualia sint illa ieiunia, ignotum illis esse nequit, quibus luxus episcoporum, abbatum & aliorum continentiæ voto adstrictorum notus est. Definiunt ieiunium per abstinentiam ab esu carnis, tumque egregie se ieiunasse putant, si & delicatis piscibus & selectis obsoniis & bellariis exquisitis & vino generoso usi fuerint, modo carnem non gustaverint, quasi vero vinum & bellaria non ipsa carne magis nutriant, & maiorem seminis copiam generent? Bernhardus in epist. ad Guilielmum, abbatem Cluniac. miratur, *unde inter monachos tanta intemperantia in commessationibus ac potationibus, in vestimentis & lectisterniis & equitaturis & construendis ædificiis inolescere potuerit, quatenus ubi hæc studiosius, voluptuosius atque effusius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio.* Ibidem: *Fercula ferculis adponuntur, & pro solis carnibus, a quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur.*

Vise monasterium, si vis cognoscere luxum; dicebat olim imperator Fridericus. Giraldus Cambrensis in speculo lib. II. cap. III. refert, *monachos Vintonienses graviter fuisse conquestos, quod ex tredecim ferculis, quæ singulis prandiis & cœnis adponebantur, tria illis demta essent.* Balæus in fin. VI. centur. testatur, *in publico quodam confessu Westmonasterii magnates Angliæ disputasse contra clericos in Sodomitico crimine deprehensos, ac dixisse: Delicata cibaria virorum ecclesiasticorum quærunt naturalem purgationem, vel peiorem.*

G.) *Ratione effecti.*

§. DXLV. G.) Denique *effecti* ratione vitiosum est pontificium cœlibatus votum, quod per illud absolutam a matrimonio abstinendi necessitatem introduci statuunt, ita ut quicunque etiam casus inciderit, sive ustionis malum sive fornicationis periculum votarios illos premat, tamen ad coniugii remedium adspirare in posterum nulla ratione possint; ex quo consequitur, quod pollutiones & scortationes in votariis illis leviora peccata esse pronunciant, quam si coniugium contrahere velint, quippe quod *incestum ac sacrilegium quovis adulterio gravius* in talibus personis esse adserunt. Concilium Trid. sess. XXIV. canon. 9. *Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos vel regulares castitatem solenniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto, & oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis [etiamsi eam vovere rint] habere donum, anathema sit, cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.* c. unicum. de vot. & voti redemt. in 6. *Illud solum votum debet dici so-*

lenne, quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolenniſatum fuerit per ſuſceptionem ſacri ordinis, aut per profeſſionem expreſſam vel tacitam factam alicui de religionibus per ſedem apoſtolicam adprobatis; reliqua vero vota, etſi quandoque matrimonium impediant contrahendum, & quanto manifeſtius ſunt emiſſa, tanto propter plurium ſcandalum & exemplum durior pœnitentia transgreſſoribus debeatur, non tamen reſcindere poſſunt matrimonia poſt contracta; ex quo colligunt Didacus Covarruvias in epit. IV. decretal. part. XI. cap. VII. §. 4. & Nicol. Everhardus conſil. CCCVI. *monialem, quæ ſemel per ſuſceptionem habitus ordinem profeſſa eſt, matrimonium ex eo tempore legitime non poſſe contrahere.* Canoniſtæ ſtatuunt, eum, qui monialem in uxorem ducit, tria graviſſima peccata committere, *inceſtum, adulterium & ſacrilegium.* Inceſtum committit, quia ducit *matrem ſuam*, videlicet *ſponſam Dei*, qui eſt pater noſter; c. Qui abſtulerit 12. q. 2. adulterium committit, *quia rem habet cum ſponſa Chriſti*; ſacrilegium committit, quia *cum perſona ſacra ſe commiſcet.* Unde c. Virgines diſt. 27. dicitur, quod *virgines, quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſint, quam inceſtæ*; ac c. decernimus. diſt. 28. de ſacerdotibus continentiam profeſſis dicitur: *Cum ipſi templum & vaſa Domini & ſacrarium Spiritus ſancti eſſe debeant, indignum eſt, eos ducendo uxores cubilibus & immunditiis deſervire.* Coſterus in enchir. cap. XV. p. 547. *Qui fidem Deo dederunt, & ſolenni voto ſeſe pudicitiæ conſecraverunt, ſine inceſtu aut adulterio vel potius ſine gravi ſacrilegio fidem frangere, templumque ſui corporis Deo ſacratum quibuscunque nuptiis violare non poſſunt.* Poſtea concludit, *ſacerdotem* [utpote voto cœlibatus obſtrictum] *gravius peccare, ſi matrimonium contrahat, quam ſi fornicetur.*

An liceat matrimonium contrahere poſt votum.

§. DXLVI. Nos 1.) libenter concedimus, a cœlibatu, quem deliberato animi propoſito tanquam Dei vocationem ſemel quis elegit atque ad eum ſeſe adſtrinxit, non eſſe temere ac leviter abſque urgente & gravi cauſa diſcedendum, ac cum publico eccleſiæ ſcandalo reſiliendum; interim tamen addimus, propoſitum ac votum cœlibatus nemini debere eſſe laqueum, quo ita conſtrictus teneatur, ut etiamſi poſtea graviſſimis ſatanæ tentationibus propter incontinentiam ſubiectus uſtionis flammis, periculo fornicationis, pollutionibus corporis, & quæ ex immunditie conſequitur, perditioni animæ ac corporis expoſitum ſeſe videat, tamen non poſſit ex eo liberari & extricari, ſed ſi perpetuum uſtionis malum ac præſens fornicationis periculum premat, qui cœlibatum incaute ac viribus ſuis nondum ſatis exploratis voverunt, ad coniugium illos admittendos eſſe ſtatuimus. 2.) Illos, qui incaute ac temere cum uſurpatione nominis divini & obligatione ad æternam damnationem coniugium in cœlibatus profeſſione eiurarunt, & poſtea ſentiunt, propter uſtiones & fornicationes vitandas coniugii remedium ſibi eſſe neceſſarium, monemus, ut agnoſcant ac deplorent ſuam temeritatem, quod viribus nondum ſatis exploratis votum cœlibatus emiſerint, ac nomen Dei in vanum adſumſerint, petant etiam ſibi propter Chriſtum illud condonari, dicentes cum apoſtolo 1 Tim. I. 15. *ignorans feci &c.* 3.) Adprobamus hoc, quod pontificii ſtatuunt, *matrimonium poſt votum continentiæ ſimplex initum eſſe ratum, nec dirimendum*; ſed contra improbamus, quod matrimonium poſt votum ſimplex continentiæ contrahere penitus illicitum eſſe ſtatuunt, quodque matrimonium poſt votum ſolenne contrahere non ſolum cenſent eſſe illicitum, ſed contractum etiam diſſolvunt, atque hac ratione pluris faciunt

ciunt constitutiones humanas quam legem divinam. Quæstio de solutione matrimonii propter votum continentiæ solenne pertinet ad sequens caput de causis divortii; hic ergo illud duntaxat demonstrandum, licere illis, qui continentiæ dono sese non instructos, sed perpetuis ustionibus & præsentissimo fornicationis periculo expositos animadvertunt, matrimonium contrahere, id quod sequentibus confirmatum damus argumentis.

Argumenta nostrae sententiae. I.) a voti huius conditione.

§. DXLVII. I.) A *voti huius conditione.* Ad [illegible], quæ non sunt in hominis potestate, nemo potest se ipsum obstringere, ac si vel maxime se obstringat, tamen est votum stolidum, Deo minime gratum, nec obligatorium. Atqui continentiæ donum non est in potestate cuiusvis hominis, sed illis tantum competit, quibus a Deo peculiariter datur. Ergo ad illud non potest se homo obstringere, ac si vel maxime obstringat, tamen est votum stolidum, Deo minime gratum, nec obligatorium. *Maioris* veritas ex ipso iure canonico probari potest. c. Si publicis 22. q. 4. ex concilio Toletano VIII. c. I. *Tolerabilius est stultæ promissionis vota reiicere, quam per inutilium promissorum custodiam exhorrendam criminum implere mensuram.* c. In malis caus. & quæst. iisdem ex Isidoro: *Quod incaute voueris, ne facias.* c. Si aliquid &c. ibidem ex Beda homil. XLIV. *Si aliquid forte nos incautius iurare contigerit, quod observatum in peiorem vergat exitum, libere illud salubri consilio mutandum noverimus, ac magis instante necessitate peierandum nobis, quam pro vitando periurio in aliud crimen gravius esse divertendum.* c. Unusquisque &c. ibid. ex Ambrosio libr. III. de offic. cap. XII. *Melius est non vovere, quam vovere id, quod sibi is, cui promittitur, nolit exsolvi. Non semper igitur promissa solvenda sunt omnia, ipse Dominus frequenter suam mutat sententiam.* c. Diffinitio &c. ibidem ex concilio Elibertino cap. I. *Diffinitio incauta laudabiliter solvenda est, nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio.* Congruunt hæc cum dicto Eccles. V. 3. *Non placet Deo stulta promissio.* Scholastici ad ea, quæ voveri non debent, referunt non solum *stulta*, sed etiam *indiscreta.* Iam vero continentiæ donum non est in potestate cuiusvis hominis, sed illis tantum competit, quibus a Deo peculiariter datur, ut superius late demonstravimus; quod si igitur continentia voveatur ab illis, qui hoc dono instructi non sunt, erit votum impossibile, stolidum & indiscretum, ac proinde minime obligatorium. Cœlibatum eligere in cuiusvis potestate positum est, sed caste in cœlibatu vivere, ita ut corporis ac spiritus sanctitas adsit, non est cuiusvis, sed illorum tantum, quibus peculiari Dei gratia hoc donum est datum; quod si ergo cœlibatum temere eligant, & cum coniugii abiuratione per votum illi se adstringant, qui hoc dono destituuntur, manifestum est, in quem exitum tale votum devergere soleat.

II.) *Ab apostolica constitutione. 1 Cor. VII. 2.*

§. DXLVIII. II.) Ab *apostolica constitutione.* 1 Cor. VII. 2. *Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam, & unaquæque virum suum.* v. 9. *Si virgines & viduæ se non continent, nubant, melius est enim nubere quam uri.* v. 35. *Non ut laqueum vobis iniiciam.* Constitutio humana non potest abolere mandatum & constitutionem divinam. Gerson in tract. de esu carn. *In votis aut legibus positivis ista semper exceptio subintelligitur, nisi ubi contra Dei præceptum, cuius finis est caritas, militarent.* Sed vota cœlibatus pertinent ad constitutionem humanam, cum ex scripturis sacris nec man-

mandatum, nec probatum *exemplum* de illis proferri possit, ut ostendimus superius. Ergo non possunt abolere mandatum & constitutionem divinam, quod illi, quibus malum ustionis ac periculum fornicationis impendet, coniugii remedio uti debeant. Quæ Bellarminus exceptionis loco adfert, quod *hæc duntaxat contineant promissionem, non mandatum, quodque ad personas voto obstrictas non pertineant*, de illis superius disputatum fuit. Refero huc locum ex ipso Bellarmino lib. de monach. cap. XXXII. §. 6. *Si quis* (inquit) *defendere velit, quod nonnulli probabiliter docent, si soli essent in mundo monachi & sancti moniales, debere eos matrimonio coniungi ad speciem conservandam, non esset, cur in extrema illa necessitate votum timeret, vota enim non possunt præscribere contra legem divinam.* Quæ posteriora verba ut sunt æternæ & immotæ veritatis, ita validissime nostram probant sententiam. Si enim lex divina per apostolum promulgata hoc requirit, ut, qui uruntur, coniugii remedio utantur, utique vota non possunt illi præscribere. Ac si ob conservationem speciei nulla voti ratione habita matrimonium concedendum, utique etiam, imo multo magis ob conservationem individui ad vitam æternam nulla voti ratione habita monachis & monialibus ustionem patientibus matrimonium erit concedendum; quia tales, qui uruntur & ex incontinentia sese polluunt, coram Deo fornicatores sunt, & in laqueos diaboli incidunt, quibus demerguntur in exitium. *Fatendum est*, inquit Cassander in consult. art. XXIII. p. 196. *graviter a posteris esse peccatum, qui hanc utilem pro tempore constitutionem multis in laqueum verterunt, dum iuvenes nondum sibi cognitos & exploratos ad ministerium ecclesiasticum admiserunt, & cum illis castitatis onus impar esse sentirent, illi potius impuros quosvis concubitus dissimularunt, & quodammodo probarunt, quam ut permittendo constitutionis illius humanæ gratiam illis facerent, qui eam sine offensione divinæ legis observare non poterant.* Idem de monachis & monialibus continentiæ dono destitutis dici potest. Breviter in omni voto dicunt canones *excipi ius superioris*, unde fœmina *sine consensu viri*; c. Manifestum est 33. q. 5. monachus *sine consensu Abbatis*, utpote superioris, vovere nequit: c. Monacho 20. q. 4. iam vero ius superioris, Dei scilicet omnipotentis, hoc requirit, ut, qui uruntur, nubant, & propter fornicationem quisque uxorem suam habeat. Ergo in omni voto hoc exceptum intelligitur.

§. DXLIX. III.) *Ab ipsa pontificis dispensatione.* Si non posset votum continentiæ ulla ratione dispensationis gratiam admittere; sed esset absolute ac stricte obligatorium, Romanus pontifex ob familiarum conservationem nequaquam dedisset, vel certe dare non debuisset potestatem matrimonii monachis ac monialibus continentiæ voto obstrictis; neque enim licet homini obligationem, quæ iure divino absolute, ac simpliciter est indissolubilis, rescindere. Sed historiæ testantur, pontificem Romanum illud sæpius fecisse. In Italia cum res Venetorum administraret Vitalis Michael II. circa annum 1060. *Nicolaus quidam monachus* ex Iustinianorum ordine monasticam vitam consensu pontificis deseruit, atque uxorem duxit Annam, ducis Venetorum filiam. Volaterranus libr. IV. geograph. pag. 81. In Gallia Belgica circa annum 1170. *Matthæus, filius comitis Flandriæ*, contraxit cum Abbatissa Rhumeliæ, filia regis Anglorum Stephani, accepitque loco dotis comitatum Bononiensem, teste Roberto abbate in auctar. chronic. Sigebert. Gemblac. In Sicilia consensu & auctoritate Cœlestini III. pontificis Romani, circa

III.) *ab ipsa pontificis dispensatione.*

circa annum 1192. *Constantia, in monasterio sanctæ Claræ professa*, Rogeri regis Siciliæ vita functi filia, Henrico VI. Friderici Barbarossæ imperatoris filio, in matrimonium data est, nuptiis Romæ magna solennitate celebratis. Platina in vit. Cœlest. Nauclerus gener. XL. Iacob de Strada in thes. antiq. & Simoneta lib. V. cap. LXXXV. In Hispania *Ramirus* II. filius Sancti IV. regis Aragoniæ, primum monachus S. Pontii in Gallia fuit, postea dispensatione pontificis fratri Petro sine prole mortuo in regnis Aragoniæ ac Navarræ successit, & unicam filiam nomine Viracam genuit &c. Volaterranus libr. II. geogr. p. 24. Robertus abbas in auct. chron. Rursus in Hispaniis *præsul Hispalensis & abbas Vallisoleti & de caveis rubeis*, frater Alphonsi X. Castellæ regis, circa annum 1260. duxit uxorem christianam, filiam regis Daniæ, Alphonso prius desponsatam, sed postea ab eo abdicatam. Volaterranus libr. II. geogr. p. 21. In Polonia *Casimirus, filius Mietzlai* regis Poloniæ, ex monasterio Cluniacensi ad regnum Poloniæ revocatus est anno Christi 1042. Chron. Polon. In Britannia *Constantinus* e sacerdote & monacho factus est maritus ac regulus. Comm. rer. Britann. In eadem provincia *abbas Rhodyngensis* cognomento *sanctus* concessione pontificis uxorem duxit. In Germania quidam *Crancicus Canutus*, postea quam septem annos in monachatu vixisset, indultu Papæ coniugio sese addixit. Bruschius adnotat, circa annum Domini 950. plures monachos cœnobii Fuldensis sub abbate Hadamario matrimonium contraxisse. Et exstant huiusmodi exempla complura etiam patrum nostrorum memoria a pontifice edita. Empsychovius cont. Braun. Golon. p. 670. Nec de facto solum pontifices Romani dispensarunt, sed etiam iure eos in voto continentiæ dispensare posse, eorum adsectæ & patroni disputant. Tiraquellus in præfat. libr. de pœnis num. 48. *Potest papa dispensare cum monacho & clerico constituto in sacris, ut matrimonium contrahat*, cuius propositionis autores plurimos ibidem adlegat. Maldonatus in summ. q. 12. art. 7. *Est regula generalis ex iure naturali & divino collecta, ut votum minoris boni relaxetur per votum maioris boni; quare cum possit occurrere huiusmodi bonum multo maius, non est dubium, quin tunc ipsa ecclesia, aut nomine totius ecclesiæ papa possit declarare, eum in hoc casu non teneri ad observationem, quod credendum est fecisse papas cum regibus Aragonum & Poloniæ.* Azorius lib. XII. instit. moral. cap. VII. §. *Postremo nihil* sc. *potest papa dispensare cum monacho & clerico, ut contrahat matrimonium.* Concludimus igitur cum Augustana confessione in art. de votis monachorum: *Si obligatio votorum nullas haberet causas, cur mutari posset, nec Romani pontifices dispensassent; neque enim licet homini obligationem, quæ simpliciter est iuris divini, rescindere. Sed prudenter iudicaverunt Romani pontifices, æquitatem in hac obligatione adhibendam esse, ideo sæpe de votis dispensasse leguntur. Nota est historia de rege Arragonum revocato ex monasterio, & exstant exempla nostri temporis.* Hæc confessio: vicissim si licet pontifici ob generis & familiæ conservationem votum cœlibatus relaxare, multo magis id licitum fuerit propter ustiones & fornicationes, quibus animæ salus in discrimen adducitur. Andradius ex Cypriano libr. I. epist. 11. disputat, *huiusmodi virginibus, quæ post votum perseverare non possunt, episcopi autoritate liberum ac integrum fieri posse, ut nubant.* Cœlius II. testatur, quod Pius II. pontifex collegia quædam Brigidanarum & Claranarum monialium dissolverit iubens eas exire, *ne amplius urerentur, neve sub religionis habitu meretricem celarent.* Undequellus, in præfat. libr. de pœnis num. de Scotus lib. IV. sent. dist. 37. & cum

eo Durandus ead. dist. q. 2. censent, *papam etiam in solenni voto dispensare posse.* Quod si ob Romani pontificis dispensationem monachis ac monialibus matrimonium contrahere fuit integrum, quanto magis ob ipsius Dei constitutionem, qui per apostolum illis, qui ustiones sentiunt & periculo fornicationis se expositos esse animadvertunt, coniugii remedium præscribit, matrimonium contrahere illis, qui continere nequeunt, licitum erit censendum? Si Romanorum pontificum concessiones factæ monachis professis, qui & poterant & volebant in castitate professa perseverare, non fecerunt incestos nuptiarum concubitus, ut agnoscit Navarrus in manual. cap. XII. n. 75. cur incestos illos putabimus, qui ex maiori & urgentiori causa, quam est familiæ alicuius conservatio, conceduntur?

IV.) *A personarum istarum constrictione.*

§. DL. IV.) A *personarum istarum constrictione.* Qui cœlibatum temere, nondum scilicet exploratis suis viribus voverunt, ac dono continentiæ destituti perpetuas ustiones sentiunt, illi in duplici necessitate sese constitutos, & quasi constrictos, deprehendunt, vel enim remedio matrimonii ipsis utendum, vel in perpetuis ustionis ac libidinis flammis ipsis est vivendum. Si prius eligunt, non peccant contra legem aliquam divinam, quia nullum exstat mandatum de voto perpetui cœlibatus, quin imo *prohibitionem matrimonii* Deus pronunciat esse *doctrinam dæmoniorum* 1 Tim. IV. 1. Sed si posterius eligunt, non solum contra legem divinam, sed etiam contra ipsum continentiæ votum peccant; illud enim requirit, ut non solum a coniugio abstineant, sed etiam castam virginitatem servent. Iam vero virginalis castitas, quam apostolus per *sanctitatem corporis & animi* definit 1 Cor. VII. 34. locum non habet, ubi ardent flammæ libidinis, quæ in corporis pollutionem & contaminationem utplurimum desinunt; in quam sententiam quædam ex patribus adduximus superius, quibus & hæc coniungi possunt: *Mulierem ignoro & virgo non sum*, dicit quidam apud Cassianum lib. VI. de spir. forn. In iure canonico c. Si Paulus 31. q. 2. adducitur dictum Hieronymi in epist. ad Eustach. *Timeamus illam prophetiam, ne in nobis etiam compleatur:* Et virgines bonæ deficient. *Observa quid dicat, & virgines bonæ, quia sunt & virgines malæ. Qui viderit,* inquit, *mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Perit ergo etiam mente virginitas. Istæ sunt virgines malæ, virgines carne, non spiritu,* ac rubricæ loco ibidem præponitur: *Virginitas carnis non servatur mente corrupta.* c. Nec solo caus. & quæst. iisdem: *Cum se sibi invicem etiam tacente lingua conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas de moribus.* Quid ergo agant votarii illi cœlibes, qui perpetuas illas ustiones sentiunt? etiamsi summo studio cohibeant externam locomotivam, ne in externam scortationem incidant, aut voluntarie sese exterius polluant, tamen ipsum cor immutare non possunt, ne flagret & ardeat internis ustionibus, atque hæ flammæ illos distrahunt, perturbant, conscientiam vastant, pietatis exercitia remorantur, hic certe nullum illis remedium supereſt aliud, si precibus, ieiuniis, abstinentia, fuga conversationis cum mulieribus, lucta &c. nihil proficiunt, quam ut suam in vovendo temeritatem agnoscant, eamque sibi condonari petant, & remedio coniugii divinitus constituto utantur. *Omnis promissio & omne iuramentum*, scribit Iason l. si servus n. 8. ff. de condit. caus. dat. ac proinde etiam omne votum, *intelligitur cum clausula rebus sic stantibus,*

bus, proinde qui cœlibatum vovent, conditionem illam vel expresse vel tacite subintelligant, si scilicet donum continentiæ inposterum etiam penes ipsos maneat; unde ex forma vovendi pristina adhuc reliqua videtur illa clausula, *quantum humana fragilitas permittit*, de cuius vero sensu dictum fuit superius. Quando igitur votarii illi cœlibes re ipsa sentiunt, se donum continentiæ non amplius habere, sed ustionibus torqueri, pollutionibus corpus contaminari, & præsens fornicationis periculum esse, coram Deo a voto sunt liberi, ut matrimonium, utpote remedium ustionum divinitus concessum, capessere possint. Vid. Lutherus in lib. de vot. monast.

V.) *Ex conciliorum definitione.*

§. DLI. V.) Ex *conciliorum definitione.* Proposuimus hactenus principalia sententiæ nostræ fundamenta, quibus iam addimus secundaria. Ex conciliis adparet, qui continentiam professi sunt, non fuisse absolute ac simpliciter, quicunque etiam casus inciderit, matrimonia contrahere prohibitum. Concilium Ancyranum can. XIX. & citatur in iure canonico c. Quotquot. 27. q. 1. *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati sunt, inter bigamos censeantur:* (Excipit Bellarminus de monach. cap. XXXIII. *concilium non docere eos, qui post votum uxores ducunt, esse digamos, sed in pœnam peccati facere eos inhabiles ad sacerdotium, ac si digami essent.* Resp. ex concilii verbis intelligitur, non solenni aliquo voto, sed nuda pollicitatione tum temporis homines fuisse ad cœlibatum obligatos, eorumque nuptias, si postmodum matrimonium inirent, fuisse ratas, quamvis ad sacerdotium inhabiles fuerint iudicati, non tam propter nuptias, quam quod fidem ecclesiæ datam violasse viderentur. *At*, inquit Bellarminus: *Concilium non dicit, eos matrimonium contraxisse, sed solum prævaricatos fuisse promissionem suam, quod tam fornicatione quam nuptiis fieri potuit.* Resp. absurdum foret, fornicationis pœnam non statuere aliam, quam quod inter digamos haberi debeant, ac inter digamos censere illos, qui ne semel quidem nuptias contraxerant. Adde, quod concilium de illis, quæ cum masculis seorsim habitabant & fornicabantur, aliam legem constituit. Addit tandem, *concilium intelligere eos, qui post votum simplex nubunt.* Resp. votum simplex a solenni non differt essentialiter, sed tantum accidentaliter ratione solennitatum, quas ecclesiastica constitutio addit, ut suo loco videbimus. Si ergo nuptiæ post votum simplex contractæ non fuerunt dissolutæ, ergo nec eæ, quæ post votum solenne contrahuntur, dissolvendæ sunt.) Concilium Chalcedonense can. XVI. qui citatur in iure canonico c. Si qua 27. q. 1. *excommunicandos censet virginem Deo dicatam & monachum, si nuptiis iungantur;* interim addit, *posse eis fieri humanitatem, si ita probaverit loci episcopus.* (Excipit Bellarminus, *humanitatem illam non esse indulgentiam nuptiarum, sed absolutionem ab excommunicatione, si scilicet a male contracto connubio tales discesserint*, ut exponit concilium Triburiense can. XXIII. Atqui limitatio illa non additur in concilii Chalcedonensis canone; ac si a se invicem discederent, etiam sine episcopi dispensatione recipi poterant, nec verisimile est, vinculum illud nuptiarum ob professionem continentiæ fuisse solutum, *cum voti solennitas ex sola constitutione ecclesiæ sit inventa, matrimonii vero vinculum ab ipso ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in paradiso & in statu innocentiæ instituente unionem & indissolubilitatem acceperit*, ut loquitur pontifex c. un. de vot. & vot. redemt. in 6.) Concilium Valentinum sub Damaso can. II. *De puellis, quæ se Deo voverunt, si ad terrenas nuptias sponte transierint, id*

custodiendum esse decrevimus, ut pœnitentia eis non statim detur, & cum data tamen fuerit, nisi plene satisfecerint Deo, in quantum ratio poposcerit, earum communio differatur. (De solutione matrimonii nullum verbum.) Cassander in consult. art. XXIII. *In concilio Neo Cæsariensi magis punitur sacerdos, qui fornicatur post votum, quam qui publice contrahit.* Marcus Antonius de Dominis lib. II. de rep. eccles. cap. XI. n. 8. *Pœnæ, quas ecclesia illis statuit, qui in clero cœlibatum non tenuerunt, sed post ordines uxores duxerunt, sunt pœnæ duntaxat aut depositionis a ministerio, aut ad summum excommunicationis, neque in tota antiquitate est reperire ullum aut conciliorum aut patrum dictum, quo matrimonia hæc irrita & nulla declarentur &c. Ancyranus canon diaconum, continentiam professum, si postea uxorem duxerit, a ministerio cessare debere statuit, ex quo infert Gratianus: Si diaconus hic a ministerio cessare voluerit, contracto matrimonio licite potest uti.* Canon Neocæsariensis c. Presbyter dist. 28. Presbyterum, *si uxorem duxerit, ab ordine suo deponi* statuit, *nihil præterea. In plurimis canonibus pœnæ in transgressores legum cœlibatus sunt vel depositio, vel etiam excommunicatio, matrimonia tamen intacta relinquuntur.* In concilio Aurelianensi II. can. IX. diacono *in captivitate uxorato post reditum sola pœna remotionis ab officio* iniungitur. *De separatione nihil ut nec in aliis aliorum conciliorum canonibus.*

VI.) *Ex patrum concessione.*

§. DLII. VI.) Ex *patrum concessione.* Tertullianus de monogam. cap. XIII. in principio: *Paulus Timotheo scribens, vult iuvenculas nubere, filios suscipere, matres familiæ agere. Ad eas dirigit, quales supra denotat, iuvenculas viduas, quæ in viduitate deprehensæ & aliquandiu adfectatæ, postquam in deliciis habuerunt Christum, nubere volunt, habentes iudicium, quod primam fidem rescinderunt, illam videlicet, a qua in viduitate inventæ, & professæ eam, non perseverant. Propter quod vult eas nubere, ne primam fidem susceptæ viduitatis postea rescindant, non ut toties nubant, quoties in viduitate tentata imo & in deliciis habita noluerint perseverare.* (Excipit Bellarminus de monach. cap. XXXIV. *Tertullianum loqui de illis viduis, quæ nondum voverunt, quæ enim semel voverunt, & fidem primam rescinderunt, quomodo possunt nubere, ne primam fidem rescindant, cum eam iam rescinderint?* Resp. imo vero illas ipsas, quæ in viduitate deprehensæ & aliquandiu adfectatæ, hoc est, ut B. Rhenanus exponit, *ad tempus pio viduitatis & continentiæ adfectu præditæ*, si continere non possint, vult nubere, ut ipse contextus docet; quid enim magis ἄσυστον, quam cogitare, Tertullianum in uno eodemque contextu de diversis viduis locutum? Ad Bellarmini argumentum dicimus, professionem viduitatis rescindi potuisse per scortationes & libidines. Quidquid sit, de Tertulliano Montanista non admodum soliciti sumus, quid in hac quæstione statuerit, cum non secundis tantum, sed & primis nuptiis fuerit iniquior, ut supra ostendimus.) Cyprianus lib. I. epist. 11. *Postulas, quid nobis videatur de virginibus, quæ, cum semel statum suum continenter & firmiter tenere decreverint, detectæ sunt postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis &c. Quod si se ex fide Christo dicaverunt, pudicæ & castæ sine ulla fabula perseverent, ita fortes & stabiles præmium virginitatis exspectent. Sin autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est ut nubant, quam ut in ignem suis deliciis cadant, certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant.* (Varias pontificiorum adversus hunc Cypriani locum exceptiones re-

recenſet ac refellit Chemnitius part. III. exam. conc. Trid. de cœlib. & virg. cap. IX. p. 66. Hoſius inquit: *Forſan Cyprianus hoc dixit illo tempore, quando nondum erant conſecratæ.* Item: *Eſt unius Cypriani privata opinio.* Piggius diſtinguit inter *votum ſimplex* ac *ſolenne*, ad quam diſtinctionem etiam confugit Baronius tom. II. ann. 253. num. 46. Colonienſes dicunt, *Cyprianum permittere illis poſt votum nuptias, ſed pronunciare coniunctiones inceſtas.* Andradius reſpondet, *Cyprianum id velle, quod per epiſcopi diſpenſationem ipſis liberum fieri poſſit nubere.* Sed prætermiſſis hiſce ſolutionibus Bellarminus audacter pronunciat, *Cyprianum non loqui de virginibus Deo dicatis, ſed tantum occaſione quarumdam virginum, quæ parum honeſte ſe gerebant poſt votum continentiæ, monere alias, ut, ſi non habeant firmum propoſitum perſeverandi, non voveant, ſed nubant.* Hoc vero eſt Cypriani verbis vim inferre, ſic enim loquitur: *Si ſe ex fide Chriſto dicaverunt, pudicæ & caſtæ perſeverent, ſin autem perſeverare nolunt, aut non poſſunt, melius eſt, ut nubant.* Ipſa oppoſitio oſtendit, de iiſdem virginibus Cyprianum loqui in utroque membro, & ipſum *perſeverandi* verbum manifeſtum facit, quod loquatur de iis, quæ iamdum ſe Chriſto conſecraverant, non autem, *quæ de ſui conſecratione adhuc deliberabant*, ut Bellarminus exponit. *Magna*, inquit Marcus Antonius de Dominis d. l. num. 13. *fit verbis Cypriani violentia, quæ manifeſte ſupponunt, virgines illas iam eſſe in actu ſuæ profeſſionis, & in ipſa actuali vita monaſtica eas vel mutare propoſitum, vel experiri impoſſibilitatem continentiæ.* Præterea ſi occaſione tantum Deo dicatarum virginum reliquas monere voluiſſet, ut ſi non habeant firmum propoſitum perſeverandi, non voveant, ſed nubant, in ſubiecta ratione dicendum ipſi fuiſſet, melius eſt, ut nubant, quam voveant, id vero non dicit, ſed *melius eſt, ut nubant, quam ut in ignem ſuis deliciis cadant.* Regerit Bellarminus: 1.) *Cyprianus virginibus illis ſub disiunctione concedit, ut nubant, ſi perſeverare nolunt, aut non poſſunt. At poſt votum licitum eſſe nubere ei, quæ perſeverare poteſt, nemo dixerit.* Reſp. tempore Cypriani virgines nondum tale *ſolenne* continentiæ votum emittebant, per quod a nuptiis abſolute & ſimpliciter excluderentur, quid ergo mirum, quod etiam nubere potuerint mutata poſtmodum voluntate? Diſpenſavit pontifex, ut propter familiæ conſervationem etiam illæ nuberent, quæ poterant continere, quamvis ſolenne votum feciſſent, quidni etiam licuiſſet illis velle nubere, quæ ſimplici ac nudo propoſito ſuam virginitatem Deo conſecraverant? *Duo* (inquit Spalatenſis epiſcopus d. l. n. 4.) *ordinaria & maxima obſtacula Cyprianus commemoravit, quæ ſolent virgines bono propoſito dimovere. Alterum libertatis propriæ amorem, alterum incentiva libidinis. Sive igitur ex utroque nutent in propoſito, ſive ex alterutro horum, nubant, inquit, potius, quam ſuis delictis inde provenientibus ſcandala faciant, & alias turbent, quæ neutrum ex his patiuntur. Poſt votum igitur etiam illæ, quæ ex parte libidinis nullas vehementer patiuntur tentationes, patiuntur tamen vehementiſſimas ex parte libertatis, ut ſint in ſeculo liberæ, domos proprias habeant, ornatæ incedant, famulis & ancillis ſtipentur, & ſimilibus perfruantur, tamen, inquit Cyprianus, adhuc & propter hæc nubant. Solent enim adhuc vehementius iſta urgere virgines ad deſerendum propoſitum, quæ in ſola voluntatis ſuæ libertate conſiſtunt, quam libidinis incentiva. Itaque licet ex parte libidinis poſſint perſeverare, quia ex ea vix ullas graves ſentiunt moleſtias, adhuc tamen nubere permittuntur ex aliis commemoratis cauſis.* 2.) *De*

sacris virginibus in eadem epistola Cyprianus dicit, eas gravissime peccare, si alicui viro misceantur, & Christi adulteras esse. Resp. non loquitur de legitimis connubiis post decretam virginitatem contractis, sed de fornicariis & illegitimis commixtionibus, cohabitabant enim ac in uno lecto cubabant cum clericis, & tamen per obstetricum inspectionem se esse virgines probare volebant, ut hanc incestam coniunctionem tollat, coniugalem & legitimam permittit. 3.) *De virginibus Deo dicatis in eadem epistola iubet, ut separentur, nec admonet, posse eas cum fluxatoribus suis aut aliis inire matrimonium.* Resp. verba clarissima ostendunt, eum loqui de virginibus, quæ profitebantur se castitatem custodire, quamvis in eodem lecto cum masculis manerent, ac nuptiis copulari noluerunt, quas illis, quæ perseverare nolunt, aut non possunt, præscribit. *Illæ impudicæ virgines professæ,* (inquit Spalatensis d. l. n. 16.) *quibus melius futurum dixerat, si nuberent, nubere tamen nolebant, sed in statu religioso volebant perseverare, excusabant enim se non esse vitiatas, & ad inspectionem se offerebant & nihilominus suis impudicitiis obscœnisque conversationibus perseverare volebant.* Athanasius in epist. ad Dracontium circa finem: *Novimus monachos qui parentes liberorum facti sunt.* Regerit Bellarminus, *Athanasium reprehendere monachos perdite viventes; quod enim ex sententia Athanasii id illicitum sit, patere ex cohortatione ad monachos, ubi inter alia impedimenta monasticæ vitæ ponitur, adligatum esse uxori aut filiis impedimentum.* Resp. Athanasius ibi non addit, quod monachi illi perdite vixerint, sed nude ac simpliciter enarrat, quid ab illis factum fuerit, imo id licitum fuisse non obscure significat, sic enim habent verba: *Licebit tibi in episcopatu esurire, sitire, sicut Paulo, licebit & vinum non bibere, sicut Timotheus fecit & ieiunare frequenter. Novimus & episcopos ieiunantes, & monachos comedentes. Novimus & episcopos non bibentes vinum, & monachos bibentes. Novimus quoque episcopos signa facientes, & monachos non facientes. Multi quoque ex episcopis matrimonia non inierunt, monachi contra parentes liberorum facti sunt, quemadmodum vicissim episcopos filiorum patres, & monachos generis potestatem non quæsiviisse animadvertas;* ἔξεστι γὰρ καὶ ὅτως, καὶ ἐκείνως ἐκ ἐκώλυται, *sic enim licet, & ad eum modum non prohibetur, sed quisque ubi volet, decertet, non enim corona pro locis sed pro factis redditur.* Exhortatio ad monachos est fidei dubiæ, ac nihil aliud dicit, quam *uxori adligatum esse, monasticæ vitæ impedimentum adferre;* ex eo vero non sequitur, quod non licuerit monachis deserto illo vitæ statu nuptias contrahere.) Epiphanius hæres. LXI. circa finem: *Habet peccatum & iudicium, qui Dei virginitatem reiecit, & certamen confudit, Sed melius est iudicium quam condemnatio,* κρῖμα ἢ κατάκριμα. *Qui enim, ut ne apud homines infamiam consent, occulte scortantes vel solitudinis vel continentiæ pactum ineunt, non hominibus, sed Deo pollicentur, qui novit occulta, & redarguit omnem carnem in suo adventu. Melius est itaque unum peccatum habere & non plura. Melius est lapsum a cursu palam sibi uxorem sumere secundum legem, & a virginitate multo tempore pœnitentiam agere, & sic rursus ad ecclesiam induci, velut qui mala operatus est, velut lapsum & fractum & obligatione opus habentem & non quotidie occultis iaculis sauciari ab improbitate, quæ ipsi a diabolo infertur. Sic novit ecclesia prædicare, hæc sunt sanationis medicamenta &c.* Durior quidem hæc est Epiphanii sententia quam Cypriani, quia *peccatum* vocat *nubere post votum*, & multi temporis pœnitentiam imponit; interim tamen non simpli-

pliciter improbat tales nuptias, sed melius esse dicit habere χρῖμα, ac lapsum a cursu palam sibi uxorem accipere iuxta legem, quam κατάχριμα, & quotidie occultis iaculis fauciari &c. Excipit Bellarminus, 1.) Epiphanium expresse adserere, quod sit malum nubere post votum. Resp. interim diserte addit, *melius esse post votum nubere, quam quotidie occultis iaculis fauciari.* Quod autem nubere vocat peccatum, id ex apostolica traditione descendere existimavit, & ad violationem voti cum scandalo ecclesiæ coniunctam respectum habuit. 2.) *Probabile esse, quod Epiphanius non voluerit dicere, minus malum esse nubere post votum, quam scortari, sed hortatum esse ad nuptias eos, qui sine voto perseverabant in cœlibatu, & tamen flagitiose vivebant.* Resp. imo vero hanc interpretationem verba Epiphanii respuunt; quorsum enim diceret, illos habere χρῖμα, qui nuptias contrahunt, nisi propositum ac professio virginitatis præcessisset, & quid est ἀθετεῖν Θεῷ παρθενίαν, καταισχύνειν τὸν ἀγῶνα, πίπτειν ἀπὸ δρόμου aliud, quam discedere a virginitatis professione? Per cursum in toto illo tractatu intelligit statum virginitatis adsumtum & professum.) Hieronymus in epist. ad Demetriad. tom. I. p. 71. *Sanctum virginum propositum & cœlestis angelorumque familiæ gloriam quarumdam non bene se agentium nomen infamat, quibus aperte dicendum est, ut aut nubant, si se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere.* (Excipit Bellarminus, *loqui Hieronymum non de illis, quæ votum habebant, sed de ancillis sacrarum virginum nobilium.* Resp. nihil quidquam obstat, quo minus de ipsis nobilibus virginibus accipiatur, quia dictum apostoli, quod Hieronymus adducit, est generale, ac illæ ipsæ ancillæ, si non publice & solenniter, tamen privatim virginitatem videntur fuisse professæ, quia addit Hieronymus: *Prodit ancilla virgo.*) Idem epist. XLVII. de vitando suspecto contubernio: *Si virgo es, quid times diligentem custodiam? si corrupta, cur non palam nubis?* (Excipit Bellarminus, *Hieronymum loqui de virgine, quæ non in monasterio publice professa erat, sed quæ privatim voverat continentiam.* Resp. votum solenne a simplici non distinguitur *essentialiter*, sed tantum *accidentaliter*; sic enim Bonifacius IIX. in c. unic. de vot. & vot. redemt. *Voti solennitas ex sola constitutione ecclesiæ est inventa.* Quod si ergo post votum simplex licitum est matrimonium inire, cur non & post votum solenne, si scilicet necessitas propter ustiones & periculum scortationis ita exigat? *Si votum perpetui cœlibatus tam stricte sine ulla dispensatione ex mandato Dei obligat*, (inquit Chemnitius loco dicto) *impium sane est, in voto simplici dispensare contra Dei mandatum, in solenni vero voto tantum propter externas quasdam solennitates ab hominibus adiectas nolle dispensare. Ita enim humanæ solennitates longe præferuntur mandato Dei.* Adde quod ex eo, quod virgo illa domi suæ privatim vixerit, non possit inferri, eam non fuisse virginitatem solenniter professam; constat enim, in veteri ecclesia virginitatem solenniter professas in domibus propriis mansisse. Cyprianus lib. I. epist. XI. c. d. viduis 27. q. 1. ex concilio Toletano. Videt Bellarminus, hanc solutionem nondum sufficere, ideo addit aliam, *Hieronymum hoc non ita monere, quasi peccatum non sit, post votum nubere, sed quia minus peccatum sit, ac prudentia doceat, ex duobus malis minus esse eligendum.* Resp. sufficit nobis, quod iuxta Hieronymum satius sit post votum nubere, quam impudice vivere. At quotaquæque ex monialibus votariis est, *quæ corporis & spiritus sanctitatem*, & puram virginitatem absque spiritus ustione & corporis pollutione tueatur? Illis ergo dicendum, ut post votum potius nubant, quam

non

non sine impudicitiæ suspicione vivant. Tandem addit Bellarminus: *Licet nuptiæ post votum simplex contractæ sint veræ nuptiæ, & aliquo modo minus malum sit nubere post eiusmodi votum, quam assidue fornicari, tum ob fidem coniugii, tum ob prolem legitimam, tum ob alia bona, tamen etiam aliquo modo esse maius malum sic nubere, quam scortari, quia qui ita nubit, reddit se inhabilem ad votum servandum, quod non facit, qui fornicatur;* de quo antichristiano pronunciato quid statuendum sit, diximus superius.) Augustinus de S. virgin. c. XXXIV. *Multas revocat a nubendo non amor præclari propositi sed aperti dedecoris timor &c. hæ igitur, quæ nubere volunt, & ideo non nubunt, quia impune non possunt, quæ melius nuberent, quam urerentur, id est, quam occulta flamma concupiscentiæ in ipsa concupiscentia vastarentur, pro mortuis deputandæ sunt.* (Excipit Bellarminus, *Augustinum hoc velle, quod minus malum sit aperte nubere ei, qui simplex votum habet, quam perpetuo occulte fornicari.* Resp. demus, Augustinum non aliud agnoscere virginitatis votum, quam liberum illud continentiam eligentium, & profitentium propositum, quod *votum simplex* pontificii vocant. Si ergo post votum simplex licet nubere, utique etiam, si necessitas ita exigat, post solenne, cum essentialiter & coram Dei iudicio non differant. Quid quod diserte addit Augustinus: *quas pœnitet professionis?* Ergo loquitur de voto, cui connuncta professio. Nec dicit Augustinus, præstare *nubere*, quam fornicari, sed quam *uri*, hoc est, occulta concupiscentiæ flamma vastari.) De bon. viduit. c. X. *Fit per inconsideratam hanc opinionem, quæ putat lapsarum a sancto proposito fœminarum, si nupserint, non esse coniugia, non parvum malum.* Epist. LXX. docet, *nuptias post votum contractas esse veras ac ratas, nec debere dissolvi*, quæ Augustini sententia citatur in iure canonico c. Quidam dist. 27. c. Nuptiarum 27. q. 1. laudatur a Polydoro Virgilio lib. VII. de rer. invent. 2. (Excipit Bellarminus, *Augustinum quidem voluisse, nuptias post votum contractas esse veras nuptias, sed simul adseruisse, gravissime peccare eas, quæ post votum nubunt.* Resp. in eo tamen ab adversariis dissentit, quod nuptias illas statuit esse ratas, quas illi nefarie dissolvunt. Quod Bellarminus hic distinguit inter *ius divinum* ac *ecclesiasticum*, & matrimonium post votum solenne contractum *iure divino* esse ratum, *iure ecclesiastico*, cuius notitia ad Augustinum non pervenerit, esse irritum, de eo inferius agemus. Neque ideo nubentes post votum peccare Augustinus existimavit, quod nuberent, alias talia matrimonia rata non esse iudicasset, sed quod a sanctiore vitæ proposito cum ecclesiæ scandalo resilirent, & fidem datam violarent.) Idem Augustinus in libr. de hæres. ad Quodvultd. hær. XL. hæreticis, *apostolicis* dictis, qui non recipiebant in suam communionem utentes coniugibus & res proprias possidentes, illud obiicit: *Quales habet ecclesia catholica & monachos & clericos plurimos*, videlicet & uxoribus utentes & propria possidentes. Ergo Augustini tempore fuerunt monachi etiam uxurati in catholica ecclesia, qui ab Augustino ad confutandam illam hæresin producuntur. Gelasius epist. I. ad episcopos Lucan. cap. XXIII. de viduis continentiam professis loquens ait: *Nos talibus nullum laqueum debemus iniicere, sed solum adhortationes præmii sempiterni pœnasque proponere divini iudicii, & ut nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio.* (Excipit Bellarminus, *laqueum illum non esse nuptiarum prohibitionem iis, quæ voverant, sed iis, quæ non voverant.* Resp. agit Gelasius de iis viduis, quæ promissam Deo pudicitiam custodire tenebantur, *talibus*, (inquit) scilicet de quibus

in

in præcedentibus egerat; at si prohibitio nuptiarum est laqueus illis, quæ non voverunt, utique etiam illis, quæ voverunt, est laqueus, si continere non possint, neque enim per votum suum impetrant continentiæ donum, nisi peculiari Dei gratia illud præstetur. Confer. Marcus Antonius de Dominis l. d.) Addimus VII.) adversariorum quorumdam confessionem. Erasmus in declamat. de laud. matrim. *Mihi sane non videtur pessime consulturus rebus & moribus hominum, qui sacerdotibus & monachis quoque, si res ita ferat, ius indulgeat coniugii.* Æneas Sylvius, postea pontifex Pius II. in epistola CCCXXI. ad Iohann. Frundt, qui post votum cœlibatus uxorem duxerat, scripta sic loquitur: *Credimus, te consilio uti non insulso, si cum nequeas continere, uxorem quæris, quamvis id prius cogitandum fuisset, antequam sacris initiareris ordinibus, sed non sumus dii, qui futura prospicere valeamus. Quando huc ventum est, ut legi carnis resistere non valeamus, melius est nubere quam uri.* Polydorus Virgilius lib. VII. de rer. invent. cap. I. *Nullum votorum vinculum* (in veterum monasteriis erat) *ita, ut integrum unicuique foret manere aut proficisci, quo terrarum vellet, vel si quem eiusmodi instituti sui pœnituisset, etiam potestas esset ad pristinam vitam redeundi, non absque tamen inconstantiæ nota.*

Argumenta pontificiorum contra nuptias votariorum.

§. DLIII. Argumenta pontificiorum, quibus eiusmodi nuptias damnabiles ac detestandas esse probare satagunt, præcipua isthæc habentur: I.) Ex *voti obligatione.* Scriptum est: *Redde altissimo vota tua* Deut. XXIII. 21. Psal. LXXVI. 12. Eccles. V. 3. Esai. XIX. 21. Bellarminus de matrim. cap. XXI. prop. 1. *Votum perpetuæ continentiæ est licitum. Ergo servandum est, cum scriptura dicat:* si quid voviſti, ne moreris reddere. *At reddi non potest votum continentiæ ab eo, qui uxorem ducit.* Resp. quid de papali cœlibatus voto statuendum sit, ex illis, quæ hactenus dicta sunt, manifestum est; quod si ergo cum additamentis istis contra verbum Dei pugnantibus votum cœlibatus præstetur & servetur, Deo probari nequit. Si opiniones & additamenta illa removeantur, tum ab eo, quod cum invocatione divini nominis in forma iuramenti solenniter promissum, temere ac leviter discedendum non est, adhibeas ergo diligentiam, luctam, abstinentiam, preces &c. Si mediis hisce Deo iuvante ustionem reprimere potes, serves cœlibatum absque opinione meriti & satisfactionis, absque arrogantia ac fastu; sed si non potes continere, si spiritus ustione, corpus pollutione contaminatur, ac in periculo fornicationis versaris, agnoscas necessitatem coniugii ineundi tibi iniici, atque ipsius Dei voce per apostolum prolata, *non ut laqueum vobis iniiciam*, a voto inconsiderate emisso absolvi, de qua tota re ex fundamentis superius adductis recte iudicari potest. II.) Ex *apostolica comminatione.* 1 Tim. V. 12. Volentes nubere habent damnationem, quia primam fidem fecerunt irritam; *ubi apostolus* (inquit Bellarminus d. l.) *non damnat viduas illas, quia postquam luxuriatæ fuerant, nubere voluerunt, id enim laudandum erat, non vituperandum, sed quia nubere volentes primam fidem de servanda continentia Deo datam irritam faciebant.* Resp. de hoc loco plene egimus in præcedentibus. III.) Ex *votariorum cum Christo desponsatione. Nulla desponsata vivente sponso potest alium sine crimine adulterii ducere, sed virgines Deo dicatæ sunt Christo desponsatæ.* Resp. scriptura de spirituali Christi sponsa ac desponsatione piorum cum Christo sæpius tractat, sed nusquam hunc honorem & hanc prærogativam peculiariter illis, qui votum cœlibatus emiserunt, sed in genere

omnibus vere piis & in Christum credentibus tribuit; nec medium desponsationis statuit uspiam cœlibatus votum, sed *fidem in Christum;* Oseæ II. 20. 1 Cor. XI. 2. &c. neque ulla inter spiritualem desponsationem cum Christo & pium coniugium est oppositio, alias nullus ex coniugibus posset Christum animæ suæ sponsum habere. Animadvertit hoc Augustinus, ideo opinionem illam perversam, *quasi spiritualis cum Christo desponsatio per votum cœlibatus fiat, & coniugium impediat;* graviter refellit libr. de bon. viduit. c. X. in principio: *Quia Christi coniugium dicuntur eligere, quæ christiana sanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes: Si viro suo vivo, quæ alteri nubit, adultera est, sicut Dominus ipse in evangelio diffinivit; vivit autem Christus, cui mors ultra non dominabitur, quæ ergo coniugium eius elegit, si homini nubat, adultera est. Qui hoc dicunt, acute moventur quidem, sed parum adtendunt hanc argumentationem, quanta rerum sequatur absurditas. Cum enim laudabiliter etiam vivente viro ex eius consensu continentiam fœmina Christo voveat; iam secundum istorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipsum Christum, quod sentire nefas est, adulterum faciat, cui vivente viro nubit. Deinde cum primæ nuptiæ melioris sint meriti quam secundæ, absit ut sanctarum viduarum iste sit sensus, ut Christus eis videatur quasi secundus maritus. Ipsum enim habebant & antea, quando viris suis fideliter serviebant subditæ non carnaliter sed spiritualiter virum, cui ecclesia ipsa, cuius membra sunt, coniux est, quæ fidei, spei, caritatis integritate non in solis virginibus sanctis, sed etiam in viduis & coniugatis fidelibus tota virgo est. Universæ quippe ecclesiæ, cuius illæ membra sunt, apostolus dicit:* aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. *Novit autem ille, coniugem virginem sine corruptione fœtare, quem in ipsa etiam carne potuit mater sine corruptione procreare.* Hæc Augustinus, quæ a Gratiano in ius canonicum sunt relata. c. Nuptiarum 27. q. 1. Cogitet vero quilibet, quam præposterum futurum sit, a spirituali illa desponsatione cum Christo pios coniuges velle excludere, cum apostolus pium & castum coniugium tanquam speculum arctissimæ coniunctionis & flagrantissimi amoris inter Christum & ecclesiam nobis proponat, Ephes. V. 32. ac proinde pii coniuges vivum illius desponsationis simulacrum in se ipsis circumferant. Breviter, spirituali illi desponsationi non opponuntur nuptiæ in Domino contractæ, sed spiritualis fornicatio, quam scriptura illis tribuit, qui relicto Dei verbo fictitios cultus instituunt, & a divinorum mandatorum obedientia sese avertunt; ex quo Chemnitius haud immerito colligit, illos, qui contra verbum Dei malunt uri, quam nubere, & cœlibatum eligunt hoc fine, ut sit *satisfactio pro peccatis & meritum vitæ æternæ sibi atque aliis impetrandæ*, spirituale adulterium in regno Christi committere, non autem virgines illas, quæ cum dono continentiæ se destitutas vident, sequuntur vocem sponsi sui per apostolum pronunciatam, *melius est nubere, quam uri.* De reliquis argumentis ex fundamentis superius adductis, cumprimis vero ex distinctione inter eos, qui dono continentiæ instructi sunt, & eos, qui hoc dono destituti, facile iudicari potest.

§. DLIV. Delecti vero ex scripturæ præsidiis confugiunt ad *patres*, ex quibus pro stabiliendo cœlibatus voto, eiusdemque indissolubili vinculo multa ac varia proferunt. Resp. 1.) patres sua scripta *non ut canonica habere voluerunt, sed ex canonicis scriptis de illis iudicari præceperunt*, ut ex clarissimis Augustini lib. II. contra Cresconium cap. XXXII. epist. *Ex patribus.*

epist. XIX. ad Hieron. in procem. lib. III. de Trin. &c. & aliorum dictis suo loco demonstratur. 2.) Ex patribus non potest aliquis fidei articulus, nec διάταγμα quoddam generale, sub conditione æternæ damnationis in tota ecclesia observandum, deduci, nisi perspicua & immota eius rei fundamenta ex scripturis proferantur. Idem ergo, quod Athanasius in libr. de sent. Dionys. Arianis ad antiquitatis consensum provocantibus opposuit, pontificiis nos obtendimus: *Videntes*, (inquit) *se nihil posse ex scriptura pro sua opinione habere, ad patres se convertunt, sicut prædones, cum de studiis suis male audiunt, fingunt sibi socios probos & modestos, & sicut Iudæi scriptura convicti ad patrem Abraham confugiunt.* 3.) Ex nullo piorum veterum scripto φορτικὰ ista ἀκούσματα, quæ hodie pontificii propugnant, proferri aut demonstrari poterunt, quod gravius peccatum sit, post votum nubere, quam fornicari, quodque præstet, ut votarius continere non valens *centum habeat concubinas*, ex ordine tamen & successive, quam si unam legitimam habeat uxorem. 4.) In ecclesia primitiva apostolicæ vicina nondum usitati erant laquei votorum, sed simplex virginitatis professio ac Deo facta consecratio in personis idoneis acceptabatur, a qua re ita exigente discedere integrum erat, ut ex Iustino, Tertulliano, Cypriano &c. constat, in quibus nullum solennis alicuius voti vestigium occurrit, progressu temporis sensim, ac subinde maiora accessit severitas ac asperitas, quæ in pontificia ecclesia tandem penitus in tyrannidem abiit, ita ut peccata contra naturam in votariis potius fuerint dissimulata, quam legis huius gratia facta, ut Cassander testatur. 5.) Fundamenta, quibus patrum sententia nititur, ipsimet invicem subruunt. Historiam de virginitate Teclæ virginis Iconiensis, (quæ Tamiro cuidam desponsata fuerit, sed Paulum de cœlibatu concionantem audiens contra sponsi & parentum voluntatem, perpetuam virginitatem professa, Paulo adhæserit, a quo tandem velata fuerit, & potestatem docendi, baptizandi & virgines in sacrum ordinem adlegandi acceperit) Tertullianus libr. de bapt. cap. XVII. Hieronymus in catal. illustr. in Luca, & Gelasius pontifex Romanus c. Sancta dist. 15. ut apocrypham, & ab Asiatico quodam presbytero confictam reiiciunt, quam fabellam esse falsam & fictam colligi etiam potest ex Eusebio libr. III. histor. eccles. cap. XIX. Nicephoro lib. II. hist. cap. XLVIII. sed Ambrosius & Augustinus eam inter reliqua argumenta pro stabiliendo cœlibatus voto proferunt. Basilius, Chrysostomus, Hieronymus & Ambrosius urgent argumentum a spirituali sacræ virginis cum Christo desponsatione ductum, eamque adulteram fieri metuunt, si alteri viro per matrimonium iungatur, sed Augustinus illud ipsum argumentum erudite convellit. Argumentum ex 1 Tim. V. 11. de viduis damnationem habentibus, quod primam fidem facientes irritam nubere velint, Augustinus præcipue inculcat, sed Chrysostomus, Ambrosius & Theophylactus illud enervant, dum ad viduas virginitatem professas referunt verba Pauli: *Volo iuniores nubere.* Ex voto Mariæ complures argumentum petunt, sed illud nititur autoritate pseudo-evangelii secundum Iacobum, quod a Gelasio d. l. inter apocrypha reiectum. Cumque reliqui sententiam suam ex scripturis probare conentur; Epiphanius ad *traditionem* recurrit, quod apostoli statuerint, peccatum esse post decretam virginitatem ad nuptias converti. Sed liber ille constitutionum apostolicarum a Clemente editus in concilio Trullano can. II. fuit reprobatus, ac Bellarminus ipse in libr. de script. eccles. cap. LIX. fatetur, *constitutiones illas apostolicas in ecclesia Latina nullum fere nomen habere, cum ab hæreticis sint depravatæ.* Nec dissimulant Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Basilius &c. suis primum temporibus,

ribus, & quidem non sine contradictione vota in ecclesiam fuisse introducta. Hieronymus Romæ sibi contradictum fuisse, non scriptis tantum, sed sua etiam discessione testatus est, transtulit enim sua monasteria in Syriam. Ambrosius libr. III. de virginibus dicit, *se propterea a suis auditoribus reprehensum, quod virgines adolescentes velaret*, & conqueritur, in Mediolanensi ecclesia non offerri tot virgines velandas, quot in Ægypto Alexandriæ. Basilius cum in Græca ecclesia monachismum exemplo Ægyptiorum institueret, reprehensus est ab episcopo & clero Neocæsarienſi, qui ipsi obiecit, Gregorium Neo Cæsarienſem & magnum & Θαυματουργὸν adpellatum talia non tradidisse. Augustinus in libr. de opere monach. testatur, suo primum tempore monasteria Carthagine cœpisse; unde Iohannes a Daventria in harm. Aug. confess. f. 510. scribit, *non constare, an tempore Augustini monasticum votum præstiterint, nec ne, qui monasteria ingressi fuerunt.* Quæ omnia si quis expendere velit, animadvertet, in patrum dictis & exemplis pontificio cœlibatus voto eiusque absolutæ indissolubilitati parum præsidii esse reliquum. 6.) Denique & hoc notandum, quod Bellarminus libr. de not. eccles. cap. IX. protestantibus propterea hæresin Lampetianorum tribuit, quod *docent vota monastica debere esse libera*, cum tamen Alphonsus de Castro libr. XIV. adverſ. hæres. tit. *Vota &c.* aliter describat hæresin Lampetianorum, videlicet quod *omnia vota in totum ac simpliciter damnaverint*; id vero a nobis minime fieri, testis est ipse Bellarminus lib. de monachis cap. XV.

SECTIO II.

DE CONCVBINATV.

Concubinatus vet. test.

§. DLV. Concubinatus in genere definitur, quod sit *cohabitatio unius viri cum una muliere citra adfectum coniugalem.* Sed adcurate hic distinguendum inter concubinatum veteris testam. atque eum, qui tempore nov. test. iure civili & iure canonico quibusdam videtur permissus, non enim illi, sed huic tradita concubinatus definitio competit. Concubinæ patriarcharum (a quibus concubinatus nomen accepit) non fuerunt impura scorta, sed veræ ac legitimæ uxores, veruntamen *secundariæ*, quæ adfectu quidem maritali, sed sine *legalibus instrumentis* privatim ducebantur, ac natos ex illis liberos certis legatis contentos esse oportebat, hereditate ad uxoris vel uxorum primariarum liberos devoluta. Probatur hoc 1.) ex *nominum permutatione.* Agar, Abrahæ ancilla, in thorum maritalem cum Saræ uxoris primariæ ac matrisfamilias consensu ab ipso adscita vocatur *uxor*, Genes. XVI. 3. *dedit ei Abraham* לְאִשָּׁה *in uxorem.* Cethura post Saræ mortem ab Abrahamo ducta vocatur eius *uxor*, Gen. XXV. 1. sed eædem, videlicet tam Agar quam Cethure, ibidem v. 6. vocantur פִּילַגְשִׁים, *concubinæ.* Confer 1 Paral. I. 32. Sic Bilha dicitur Iacobi *uxor:* Gen. XXX. 4. *Lea dedit Bilhah, ancillam suam, ei* לְאִשָּׁה, *in uxorem*; eadem tamen Genes. XXXV. 22. vocatur פִּילֶגֶשׁ *concubina* Iacobi. Iudic. XIX. 1. & seqq. Levitæ coniux modo vocatur אִשָּׁה *uxor*, *modo* פִּילֶגֶשׁ *concubina.* Idem de concubinis Davidis ac Salomonis esto iudicium, quod videlicet fuerint veræ ipsorum uxores, sed secundariæ. 2.) Ab *ipsa adpellatione.* Epiphanius libr. III. tom. II. cont. hæreses in compendiaria doctrina veræ eccles. pag. 457. in Græc. καλῶς ὁ ἑβραῖος τὴν παλλακίδα ἔφρασε, φήσας αὐτῇ φελέγεσθαι, φελεῖ

φελεὶ ὁ ἑρμηνεύεται ἥμισυ, ἕτα γύνη, ἵνα εἴπῃ ἥμισυ γυναικός. p. 903. in Lat. *Bene interpretatus eſt Hebræus pellicem, dum ait: Pheleg eſtha. Pheleg enim ſignificat uxorem, eſtha dimidiam, quaſi dicat, dimidium uxoris.* Rectius פִּלֶג אִשָּׁה *diviſa uxor* ſive *ſecundaria uxor.* Ab illo פִּילַגְשׁ, Chaldaice פִּלַגְרָא quidam deducunt Græcum παλλακὴ & Latinum pellex, quod plerumque in malam partem accipitur pro ea, quæ ſe uxorato marito miſcet. Sunt, qui non improbabiliter ſtatuunt, concubinarum nomen ex eo fuiſſe ſecundariis illis uxoribus impoſitum, quod illæ fuerint ancillæ, cum quibus iuxta leges iſtorum locorum, in quibus patres vivebant, liberi & ingenui homines non potuerint contrahere matrimonium, proinde ut in iure civili coniunctio hominis liberi cum ancilla non coniugium ſed *contubernium* vocatur. 3.) *A polygamiæ in vet. teſt. permiſſione.* Quia enim conſuetudine publica legis quaſi vim habente polygamia in vet. teſt. permiſſa, & iuxta quorumdam opinionem etiam a Deo adprobata, ideo concubinæ illæ patriarcharum, quas primariis uxoribus ſuperinduxerunt, nequaquam pro ſcortis vel adulteris ſunt habendæ, ſed veræ uxores iudicandæ. 4.) *A Rabbinorum teſtificatione.* Illi enim tradunt, concubinam fuiſſe dictam, quæ 1.) ſine כְּתוּבָּה וְקִדּוּשִׁין, *ſine libello dotis & ſponſalibus* fuit dicta; 2.) non ut eſſet materfamilias, velut primaria uxor, ſed liberos procreandi cauſa; 3.) unde ipſa primariæ uxori fuit ſubiecta; 4.) ac filii eius cum filiis primariæ uxoris non acceperunt hereditatem, ſed muneribus duntaxat fiunt dotati; 5.) non reſpecta mariti, cum quo coniugaliter vixit, ſed reſpectu uxoris primariæ ſic fuit adpellata. Vid. Sanhedrin cap. II. fol. 21. Rabbi Dav. Kimchi 2 Sam. V. 14. Hieronymus in epiſtola ad Occan. Atque hæc de patrum in vet. teſtam. concubinis accipienda ſunt; quæ enim ab uxoribus ita diſtinguuntur, ut illud nomen eis penitus derogetur, illæ fuerunt ſcorta Iudic. VIII. 31.

Concubinatus in iure civili.

§. DLVI. Iure *civili* ſive Romano concubina dicitur *talis mulier, cum qua matrimonium interdictum non eſt, quam ſolius voluptatis & concubitus cauſa ſolutus ita adſumit, quod illam unicam & ſolam concubitus non matrimonii cauſa habere velit* l. unic. C. de concubin. vel *quam quis non mariti animo ſed conſuetudinis tantum cauſa, ſine ſtupri tamen crimine ac flagitio domi habet;* unde nec ipſa in mariti familiam tranſit, nec liberi ex ea ſuſcepti cenſentur legitimi. Cuius definitionis partes & rationes fuſe explicat Hotomannus in comm. ubi ſex differentias earum ab uxoribus adſignat. Paulus ex Maſſurio l. 144. de verb. ſignif. *pellicem* apud antiquos eam ſcribit habitam, *quæ cum uxor non eſſet, cum aliquo tamen vivebat, quam nunc vero nomine amicam, paulo honeſtiore concubinam vocant.* (Ubi *pellicis* nomen latius accipitur, alibi vero ſtricte acceptum a concubina diſtinguitur; ac ſignificat eam, quæ una cum legitima uxore habetur, de qua ſic ſcribit Feſtus: *Pellicem antiqui proprie nominabant, quæ uxorem habenti nubebat, unde Paulus ibidem ex Flacco addit, pellicem nunc vulgo vocari eam, quæ cum eo, cui uxor ſit, corpus miſceat: quosdam eam, quæ uxoris loco ſine nuptiis in domo ſit, quam παλλακὴν* Græci vocant.) In veteribus inſcriptionibus nominatur *viceconiunx*, cum uxorem imitetur. An cum tali concubina conſortium ſive concubinatus iure civili permiſſus fuerit, variant iurisconſulti. De legibus antiquioribus ante Iuſtiniani tempora promulgatis nulla fere dubitatio eſſe poteſt, quin illis concubinatus fuerit permiſſus, manifeſtæ enim ſunt conſtitutiones imperatorum & reſponſa iurisconſultorum veterum

in C. & Dig. tot. tit. de concubin. quibus ad evitanda maiora mala conſtuprationum & adulteriñ eum non quidem probari, ſed tolerari cenſent. De eo autem diſquirunt, an noviſſimis Iuſtiniani conſtitutionibus concubinatus ſit prohibitus? Albericus Gentilis libr. I. de nuptiis cap. V. id aſſerit, pro qua ſententia ſtabilienda quidam adducunt novell. Iuſtin. VI. c. I. §. 3. novell. 123. c. I. in princ. & c. XII. ubi epiſcopis & clericis concubinatu interdicitur. Sed ex eo, quod clericis in *ſpecie* concubinæ prohibentur, nequaquam inferri poteſt, quod Iuſtinianus in *genere* & omnimode concubinatum ſuſtulerit. Alias pari ratione inferri poſſet, a Iuſtiniano prohibitas eſſe ſecundas nuptias, cum in epiſcopum eligi vetet eum, qui viduam in uxorem duxit, nov. VI. cap. I. ac quod ipſius quoque Iuſtiniani conſtitutionibus permiſſus adhuc fuerit concubinatus, haud obſcure colligitur ex nov. XII. cap. IV. nov. XVIII. cap. V. nov. LXXIV. nov. CXVII. cap. II. Unde merito cum Menzero in adpend. diſput. de matrimonio cap. IV. Marpurg. diſput. XV. miramur, *quod legibus illis epiſcopi eorum temporum non contradixerint.* Tandem vero Leo imperator Conſtantinopolitanus, philoſophus dictus, concubinatum penitus ſuſtulit nov. XCI. *Non minus ea lex, quæ probroſe cum concubinis immiſceri non erubeſcentibus id permittendum iudicavit, honeſtatem ſusque deque habuit. Ne ergo hoc legislatoris erratum dedecore noſtram rempublicam adficere ſinamus, itaque lex illa in æternum ſileto. Ab illa enim non modo religionis verum etiam naturæ iniuria ſecundum divina chriſtianisque convenientia præcepta prohibemur. Et quidem, ſi cum fontem habeas, ſobrie inde haurire divino præcepto moneare, qua ratione, cum puras aquas haurire liceat, lutum tu mavis? tum tametſi fontem non habeas, rebus tamen vetitis uti non potes. Cæterum vitæ conſortem invenire difficile non eſt.* Nov. XCIX. *Nihil inter cœlibatum & matrimonium, quod reprehendi non debeat, medium invenias. Coniugalis vitæ deſiderio teneris? coniugii leges ſerves neceſſe eſt. Diſplicent matrimonii moleſtiæ? Cœlebs vivas, neque matrimonium adulteres, nequa falſo cœlibatus nomine culpam prætexas.* Quamvis autem Leonis conſtitutiones per ſe non habeant iuris autoritatem, nec vim abrogandi Iuſtinianeas leges obtineant, tamen cum hæc ipſa Leonis conſtitutio ſacris literis, pietati, honeſtati & bonis moribus magis congrua ſit, in chriſtiana republica repudiatis veterum conſtitutionibus merito obſervatur.

In iure canonico.

§. DLVII. In iure iure *canonico* diverſa exſtant de concubinis decreta. Quædam enim eas in univerſum videntur prohibere. c. *Audite &c.* diſtinct. 34. ex Auguſtino homil. XLIX. *Concubinas habere non licet vobis, etſi non habetis uxores, tamen non licet vobis habere concubinas, quas poſtea dimittatis, & ducatis uxores, tanto magis damnatio erit vobis, ſi volueritis habere uxores & concubinas.* c. *Concubinæ &c.* 32. quæſt. 2. ex Auguſtino de bon. coniug. cap. XIV. *Concubinæ ad tempus adhibitæ, nec etiamſi cauſa filiorum concumbant, iuſtum faciunt concubinatum ſuum.* c. *Nemo &c.* cauſ. eadem quæſt. 4. ex Ambroſio libr. I. de Abraham. cap. IV. *Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum. Omne ſtuprum adulterium eſt, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab uxore debetur caſtimonia. Quidquid in ea, quæ non ſit legitima uxor, commiſſum fuerit, adulterii crimine damnatur. Nulli licet ſcire mulierem præter uxorem, ideoque coniugii datum eſt tibi ius, ne in laqueum diaboli incidas, & cum muliere aliena delinquas. Nec hoc ſolum eſt adulterium cum aliena peccare coniuge, ſed omne quod non habet*

het poteſtatem. c. *Dicat aliquis &c.* cauſ. & quæſt. iiſdem ex Ambroſio ſerm. LXV. *Dicat aliquis: uxorem non habeo, & ideo ancillam mihi adſociavi. Audi, quid dicat ſcriptura ad Abrahamum:* Eiice ancillam & filium eius &c. *Cur ergo quæritur tale matrimonium, de quo ſuſceptus filius nec ſucceſſionis poſſit eſſe heres nec ſanguinis? Nec habere poteſt hereditatis conſortium, qui non habet originis privilegium. Cur inquam quæritur tale contubernium, de quo nati filii non ſunt teſtes matrimonii, ſed adulterii? Cur autem huiuscemodi ſuſcipiuntur adulterini, qui patri ſunt pudori, non honori? Mulier igitur, ſi talibus moribus prædita eſt, ut mereatur conſortium, mereatur & nomen uxoris. Præſta concubinæ tuæ libertatem & nomen uxoris, ne adulter potius ſis quam maritus.* Contra vero quædam capitula concubinatum videntur permittere. c. *Is qui &c.* diſtinct. 34. ex concilio Toletano can. XVII. *Is, qui non habet uxorem, & pro uxore habet concubinam, a communione non repellatur, tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ſit coniunctione contentus.* Rubrica ipſo capitulo deterior eſt. *Is qui non habet uxorem, debet habere concubinam.* Vide decret. cum gloſſ. edit. Lugd. in fol. anno 1510. Editio Pariſienſis loco *debet*, habet *liceat.* Vide decret. edit. Pariſ. in fol. anno 1507. c. *Chriſtiano &c.* diſt. eadem ex Iſidoro: *Chriſtiano non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi unam tantum aut uxorem aut certe loco uxoris, ſi coniunx deeſt, concubinam.* c. *Solet &c.* 32. quæſt. 2. ex Auguſtino de bono coniug. cap. V. „Solet quæri, cum maſculus & fœmina, „nec ille maritus nec illa uxor alterius, „ſibimet non filiorum procreandorum cauſa, ſed pro incontinentia ſolius concubitus cauſa copulantur, ea fide media, „ut nec ille cum altera id faciat, nec illa „cum altero, utrum nuptiæ ſint vocandæ? „& poteſt quidem non abſurde hoc vocari „connubium, ſi uſque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit, & proles generationem, quamvis non ea cauſa „coniuncti ſunt, non tamen vitaverunt, „ut vel nolint ſibi naſci filios, vel etiam „opere aliquo malo agant, ne naſcantur. „Cæterum ſi vel utrumque vel unum horum deſit, non invenio, quemadmodum „has nuptias adpellare poſſimus. Etenim „ſi aliquam ſibi ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam honoribus ſuis vel facultatibus inveniat, quam in coniugium „ducat, animo ipſo adulter eſt, nec cum „illa, quam cupit invenire, ſed cum iſta, „cum qua ſic cubat, ut non habeat cum „ea maritale conſortium.

§. DLVIII. De his diſcordantibus iuris pontificii canonibus diverſæ ac diſcrepantes ſunt ſcriptorum ſententiæ. I.) Quidam existimant, de concubinatu *nihil certi* in iure canonico eſſe definitum, ac pontificem Romanum, dum pugnantes ac contrarias iuri canonico inferri paſſus eſt ſententias, ſtudio noluiſſe certi quid conſtituere, cuiusmodi contrarietatum exempla plura ex Gratiano adferri poſſe dicunt. II.) Quidam ſtatuunt canonibus illis, qui concubinatum permittunt, *derogari* illis, qui eum prohibent, ac pontificem & clerum Romanum avidiſſime arripuiſſe & adprobaſſe illam concubinatus promiſſionem, ut ſcortationes ſuas iuris quadam ſpecie tegere, & coacti cœlibatus leges facilius tolerare poſſent, quamvis ſcirent, antiquioribus melioris notæ canonibus omnes maris & fœminæ coniunctiones citra ius matrimonii penitus improbari. Illorum ſententia valde veriſimilis redditur ex eo, quod Gratianus, vel quicunque alius, qui multos decreti canones *paleæ* nomine inſcripſit, poſtquam c. *Is qui &c.* &c. chriſtiano &c. diſt. 34. in quibus concubinatus permittitur, ſine ulla nota pertranſiſſet, ſequentem canonem ex Auguſtino, qui incipit

cipit *Audite*, in quo concubinatus prohibetur, *paleæ* inſcriptione notavit, ut innueret, quid amplectendum, quid reiiciendum in hac controverſia ſibi videretur, quo non iniuria etiam illud refertur, quod *cum digamo*, hoc eſt, cum eo, qui ſucceſſive duas uxores legitimas habuit, diſpenſari poſſe negant, ut ad ſacerdotium evehatur, & tamen Pelagius pontifex c. *Fraternitatis &c.* diſt. 34. ad diaconatus ordinem provehi permittit eum, qui mortua uxore *plures liberos ex ancilla ſuſceperit*, ubi merito aliquis exclamet cum gloſſa in c. *Is qui &c.* diſtinct. eadem: *Luxuria quandoque plus iuris habet, quam caſtitas, quia caſtus repelleretur, fornicator vero minime.* III.) Quidam diſcordantes illos canones ſic conciliant, quod in illis, in quibus concubinatus permittitur, non agatur de *vera concubina*, ſed de ea uxore, quæ privatim ducta ſine legalibus inſtrumentis, quæ etſi revera ſit legitima uxor, utpote adfectu maritali ducta, tamen propter amiſſa *dotalia inſtrumenta* dicatur concubina. Hanc conciliationem adprobat Bellarminus de matrim. cap. XI. reſp. ad arg. 2. Sed huic conciliationi non multum tribui poteſt, quia in verbis canonum diſerta ac diſtincta tum concubinæ tum uxoris fit mentio, ac utraque ſibi invicem manifeſte opponitur. IV.) Quidam igitur cenſent, eum duntaxat concubinatum iure canonico permitti, qui ſequentes habeat conditiones additas, 1.) *ut conſiſtat inter perſonas ſolutas ſive cœlibes*, 2.) *ut illi non filiorum procreandorum, ſed pro incontinentia ſolius concubitus cauſa iungantur*, 3.) *ut mediante ea fide iungantur, ne ille cum altera, nec illa cum altero idem faciat*, 4.) *ut concubina non ad tempus duntaxat, ſed uſque ad dies vitæ adſumatur*, 5.) *ut prolis generationem, quamvis non ea cauſa coniuncti ſint, nequaquam vitent, nec opere aliquo malo impediant.* Horum requiſitorum ſi vel unum vel plura defuerint, non eſſe concubinatum ſed fornicationem. Eorum, qui ſic ſtatuunt, opinionem videtur probare dictum c. Solet &c. 32. q. 3. ac talem concubinatum quam proxime accedere ad coniugium, *ac ſpeciem quamdam occulti matrimonii* eſſe non iniuria quis dixerit. V.) Concilium Tridentinum ſeſſ. XXIV. cap. VIII. concubinatum, ut grave peccatum, merito reprehendit, tumque in univerſum prohibendo, canones illos iuris pontificii, in quibus permittitur, penitus abrogare videtur, ſed experientia teſtatur, concubinas in papatu eſſe frequentiſſimas non tantum apud ſacrificulos in minoribus ordinibus conſtitutos, ſed etiam apud præſules, canonicos, abbates, epiſcopos, cardinales &c. proinde merito aliquis ipſis obiecerit illud Chriſti: Matth. XXIII. 3. *Dicunt & non faciunt.* In gravaminibus nat. Germ. anno 1522. legato papæ Norinbergæ oblatis, grav. LXXV. & XCI. imperii proceres publice de concubinariorum frequentia conqueruntur: *In locis plerisque* (inquiunt) *epiſcopi & eorum officiales ſacerdotum tolerant concubinatum: dummodo certa perſolvatur pecunia & recepta ab eisdem hoc annuo cenſu publice cum ſuis concubinis, pellicibus & aliis id genus meretricibus illegitime cohabitare, liberosque procreare ſinunt &c. ſed & ſacerdotes continentes, & qui abſque concubinis degunt, concubinatus cenſum perſolvere cogunt, adſerentes, epiſcopum pecuniæ indigum eſſe, qua ſoluta licere ſacerdotibus, ut vel cœlibes permaneant, vel concubinas alant.* Campegius referente Sleidano lib. IV. comm. anno 1524. ad legatos Argentinenſes in comitiis Auguſtanis dicebat; „ſcire ſe, epiſcoporum hunc eſſe morem, ut accepta pecunia ſcortationem „ſuis permittant. Quod vero ſacerdotes „fiant mariti, multo gravius eſſe peccatum, quam ſi plurimas domi meretrices „alant.„ Henricus Cuickius, præſul Ruremundenſis, ſcripſit librum, quem vocat ſpeculum concubinariorum ſacerdotum, mona-

monachorum & clericorum edit. anno 1599. Colon. in quo hoc peccatum *adeo commune* esse docet, „ut sacerdotes amplius non „pudeat, concubinis atque meretricibus „suis in congressibus publicis veluti nuptiis „atque conviviis eminentiorem locum tan„quam honestis matronis vindicare.„ In praefat. eiusdem libri fatetur, *pauciſſimos in clero Romano ab hoc crimine immunes esse.* Cornelius Agrippa de vanit. scient. capit. LXIV. „Iam lenones sunt episcopi „& officiales, qui censum a concubinatu „pro sacerdotibus quotannis extorquent, „idque tam palam, ut apud plebem ipsam „in proverbium abierit illa eorum con„cubinaria exactio, qua dicunt: Habeat „vel non habeat, aurum solvat pro concu„bina. Et habeat, si velit.„ Claudius Espensæus lib. II. de continent. cap. VII. „Pro praetenso puro mundoque cœlibatu „succesſit impurus immundusque concubi„natus, ut latere nec præ multitudine queat, „nec præ impudentia quærat, at hic tole„rantia altius radices egit permissis alicubi „sub annuo censu clericis ac laicis cum „suis concubinis cohabitare, quod utinam „& falso & immerito exstaret inter grava„mina Germaniæ;„ pag. 176. edit. Paris. anno 1560. Et postea: „Adeoque etiam „continentibus, si credere dignum est, ad „omnem censum persolvendum coactis, „quo soluto eis liceret vel continentibus vel „incontinentibus esse. O rem exsecran„dam!„

An in ecclesia christiana tolerandus?

§. DLIX. A christianis vero rebuspublicis hodie merito exsulare iubetur concubinatus, 1.) ob *divinum institutum.* Nullum aliud vel ad prolem suscipiendam medium, vel ad incontinentiam & scortationem vitandam remedium, a Deo vel institutum vel permissum ex sacris literis demonstrari potest, quam pium & honestum coniugium Gen. II. 24. Matth. XIX. 6. 1 Cor. VII. 2. & 9. Atqui concubinatus non est coniugium, neque enim est *individua vitæ coniunctio consortium divini & humani iuris* complectens, neque ex eo suscepti liberi & nominis & honorum paternorum sunt heredes. Ergo non est legitimum vel prolis suscipiendæ medium vel scortationis vitandæ remedium. Conscientiam oportet niti certo verbo, alias perpetuis dubitationum fluctibus circumgyrata in vorticem desperationis tandem abripitur. Iam vero concubinariorum conscientia non potest niti certo Dei verbo, quod concubinatum permissum esse demonstret, ergo perpetuis dubitationum fluctibus circumagitantur. Leges humanæ, canonicæ vel civiles, non poterunt eorum conscientiam reddere tranquillam, cum non habeant fundamentum in legibus divinis, ac constitutione humana Leonis imperatoris in orientali ecclesia fuerint abrogatæ, ut nihil dicam de eo, quod ius Romanum, etsi concubinatum certis conditionibus susceptum non penitus ut rem illicitam damnet, oblique tamen eumdem taxet, quia filios ex concubinis susceptos statuit, „non esse in potestate pa„tris; nec patitur eos legitimos ac iustos „heredes esse, nisi ex concubina fiat uxor, „aut principis autoritas intercedat.„ 2.) Ob *manifestum dictum apostolicum* Hebr. XIII. 4. „Honorabile coniugium inter „omnes, scortatores autem & adulteros „iudicabit Deus.„ Est ibi manifesta & immediata oppositio inter coniugium & reliquas omnes extra illud commixtiones, quæ fornicationis & adulterii nomine indigitantur. Iam vero concubinatus non est coniugium. Ergo ad fornicationes erit referendus. 3.) Ob *scandalum publicum.* Concubinatus absque scandalo & offensione piorum eligi nequit, merito igitur ab ecclesia exsulare debet Matth. XVIII. 7. Rom. XIV. 13. 1 Cor. IX. 12. 1 Thess. V. 22. &c. 4.) Ob *concubinatus principium.* Imperatores & legislatores ethnici eumdem tolerarunt ob frequentiam libidinum inter gen-

tes usitatum, a christianis igitur merito repudiandus est, quippe qui sedulo cavere debent, ne vitæ ac morum conformitate ethnicos exprimant. 5.) Ob *Christi interdictum*. Quemadmodum a polygamia ac temerariis divortiis Christus Matth. XIX. 6. nos revocat ad primam coniugii institutionem; ita quoque a concubinatu, vel in populo Dei vel apud gentiles recepto, ad leges matrimoniales nos unice revocasse statuendus est; proinde si vel maxime quædam concubinatus exempla adferri possint, tamen christianus animus vocem Christi audire ac sequi debet. 6.) Ob *veteris & purioris ecclesiæ consensum*. Chrysostomus peculiari sermone graviter invehitur in concubinarios. Lactantius lib. VI. instit. cap. XXIII. *Castitatem Deus non modo intra privatos parietes, sed etiam præscripto lecticuli terminat, ut, cum quis habet uxorem, neque servam neque liberam habere insuper velit, sed matrimonio fidem servet.* (quæ sententia pellicatui proprie est opposita.)

SECTIO III.

DE DIVORTIO.

Divortium. §. DLX. Coniugio vel maxime adversatur divortium, quod παχυλῶς καὶ ὡς ἐν πύπῳ definiendo est *vinculi coniugalis solutio, ac mariti & uxoris separatio*. Cum enim coniugium tam ratione primævæ institutionis quam contrahentium intentionis *individuam vitæ societatem* ac indissolubilem maris & fœminæ coniunctionem contineat, ex eo facile animadvertitur, divortium, quo vitæ societas dividitur, & vinculum coniugale dissolvitur, eidem quam maxime adversari. Complectemur autem doctrinam de divortio iuxta usitatam methodum duobus generalibus capitibus. Prius ὀνοματολογίαν, posterius πραγματολογίαν illius explicabit. In ὀνοματολογία consideranda erit, 1.) ἐτυμολογία, 2.) ὁμωνυμία, 3.) συνωνυμία. Πραγματολογία hoc ordine tractari posset, ut primo loco ponatur *definitio*, 2.) *divisio*. 3.) *causæ*. *Efficiens* est vel *impulsiva* vel *exsecutiva*. Impulsiva est vel *vera*, videlicet adulterium, vel *falsa*. Exsecutiva est *iudex ordinarius* negotiorum matrimonialium cognitioni ac decisioni præstitutus. *Materia* sunt maritus & uxor, divortium petentes. *Forma* est mutuæ obligationis ac coniunctionis dissolutio. *Finis* duplex est, *proprius & communis*. *Proprius* ipsorum coniugum dissolvendorum privatum bonum concernit, ut scilicet parti innocenti consulatur, ac pars nocens debita pœna adficiatur. *Communis* dignitatem & honestatem coniugalis ordinis in christiana republica conservandam spectat. 4.) *Adiunctum* divortii est modus procedendi, qui in illa dissolutione observari consuevit. 5.) *Cognatum* est repudium, quod est sponsaliorum dissolutio. 6.) *Contraria* sunt tolerantia adulteri vel adulteræ ex animi quadam levitate profecta, coactio partis innocentis ad cohabitationem cum nocente &c. Sed enim cum 1.) definitio sit συμπέρασμα totius, nec recte intelligi possit, nisi tota doctrina prius fuerit cognita, ac proinde ultimo loco tradenda. 2.) Cum divisiones illæ, quæ de divortio traduntur, sint potius distinctiones vocis ambiguæ in sua significata ad ὁμωνυμίας explicationem pertinentes, quam adcuratæ divisiones generis in species. 3.) Cum multa ex hactenus enumeratis capitibus primo statim intuitu cuivis obvia sint, nec operosiorem explicationem desiderent, ideo πραγματολογίαν ad tria potissimum capita revocabimus. *Primum* exponet τὸ ὅτι, *an detur divortium*, hoc est, an coniugii vinculum sit solubile per divortium.

Secun-

Secundum τὸ διότι exponet, propter *quas causas* fieri possit divortium. *Tertium τὸ πῶς* tractabit, *quis* in divortio *modus* ac *processus* observari debeat.

ARTICVLVS I.

DE ONOMATOLOGIA DIVORTII.

Divortii I.) ἐτυμολογία.

§. DLXI. I.) Ετυμολογία. Divortium quidam dictum censent a *diversitate mentium*, quia cum dirimitur matrimonium, pars utraque vel alterutra mentem aliam ac diversam habere intelligitur, quam prius habuit, cum matrimonium contraheret. Sed rectius & propinquius deducitur a *divertendo*, quia per divortium coniuges invicem divertunt, hoc est, in diversas partes eunt. Gaius l. Divortium 2. ff. de divort. *Divortium vel a diversitate mentium dictum est, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium.* Paulus l. inter divortium 191. ff. de verb. sign. *Divortium ex eo dictum est, quod in diversas partes eunt, qui discedunt.* II.) ὁμωνυμία. Ομωνυμία. 1.) Divortii vocula *metaphorice* accipitur de itineribus seu locis, sic Tacitus dicit: *Arctissimo inter Europam Asiamque divortio Byzantium in extrema Europa Græci posuerunt.* Item *aquarum divortia* dicuntur, quæ aliis sunt divergia, ubi amnis diversus insulam facit. Tertullianus lib. de anima mortem definit *animæ & corporis divortium.* Hic vero in *propria* significatione de mariti & uxoris separatione accipitur. 2.) Divortium vel *generaliter ac late* accipitur pro separatione non solum mariti & uxoris, sive coniugii contracti, sed etiam sponsi ac sponsæ, sive coniugii nondum quidem contracti, sed tamen promissi ac pacti; l. Quod Servius de cond. caus. dat. vel *specialiter ac stricte* pro separatione mariti & uxoris, sive coniugii iamdum contracti, qua ratione a repudio, quod est sponsaliorum dissolutio, distinguitur. Paulus d. l. Inter divortium de verb. sign. *Inter divortium & repudium hoc interest, quod repudiari etiam futurum matrimonium potest, non recte autem sponsa divertisse dicitur.* Modestinus l. Inter stuprum 101. §. 1. tit. eod. *Divortium inter virum & uxorem fieri dicitur, repudium vero sponsæ remitti videtur, quod & in uxoris personam non absurde cadit.* Sic ergo repudium esset nomen generale, tum sponsæ tum uxoris dimissionem complectens; divortium vero speciale, solius uxoris dimissionem significans. Bellarminus lib. I. de matrim. cap. XIV. talem divortii ac repudii differentiam introducit, quod *divortium proprie sit solutio matrimonii consummati, quoad thorum & habitationem manente vinculo coniugali; repudium vero solutio etiam quoad vinculum.* Sed hæc distinctio ex canonistarum lacunis non ex scripturæ, vel iuris civilis, vel probatorum scriptorum fontibus hausta est, ut ex sequentibus adparebit. Beza lib. de rep. & div. in princ. divortium tantum fieri censet *in matrimonio per copulam carnalem consummato, non autem in matrimonio solo consensu rato*, idque demonstrare conatur ex dicta l. Inter stuprum de V. S. Sed ostendimus suo loco, *non concubitum, sed consensum facere nuptias*, ideo etiam in coniugio rato verum erit divortium. 3.) Divortium specialiter sic dictum accipitur vel *proprie* pro separatione eorum, inter quos nunquam fuit verum & consummatum matrimonium, ut si ob inhabilitatem ac impotentiam naturalem, quæ a principio adfuit, divortium instituitur, vel *proprie* pro separatione eorum, inter quos verum, ratum ac consummatum matrimonium existit, ut si propter adulterium instituitur se-

paratio. 4.) Divortii specialiter ac proprie sic dicti, hoc est, inter eos, qui vere coniuges fuerunt, instituti canonistæ duas faciunt species. Unam vocant separationem quoad *thorum ac mensam*; alteram separationem quoad *ipsum vinculum*. Diximus *canonistas* hanc divortii divisionem introduxisse. Scriptura enim nullum aliud novit divortium, quam quod *vinculi matrimonialis solutionem* complectitur. Idem iudicium esto *de iure civili*. Quamvis enim Bellarminus lib. de matrim. cap. XIV. §. 1. disputet, *iurisconsultos etiam divortii nomen accipere pro dimissione uxoris post matrimonium, sive quoad thorum, sive quoad vinculum*, idque ex l. Inter stuprum & l. Inter divortium ff. de V. S. probare conetur; tamen oleum & operam perdere merito censendus est, cum ex pumice citius aquam, quam ex adductis legibus distinctionem illam canonistarum elicere possit. Manifesta sunt verba legis, divortium 3. ff. de divort. *Divortium non est, nisi verum, quod animo perpetuam constituendi dissensionem fit &c. ideoque per calorem misso repudio, si brevi reversa uxor est, nec divertisse videtur.* Proinde distinctionem divortii inter *separationem quoad vinculum* & *separationem quoad mensam & thorum* non possumus pro vera & propria divisione generis in species accipere, cum separationem quoad thorum & mensam absque separatione quoad vinculum verum divortium esse, nec ex sacris literis, nec ex fundamentis iuris civilis, nec ex recta ratione probari possit, quo respiciens b. Lutherus, cumprimis vero erroneam pontificiorum opinionem (quod propter adulterium quoad thorum & mensam tantum, non autem quoad vinculum separatio fieri possit, quodque parti innocenti superstite adhuc nocente aditus ad secunda vota nequaquam concedi debeat) graviter taxans, separationem quoad thorum & mensam vocat *factam & imaginariam separationem* tom. V. Ien. Germ. fol. 252. *Weil im geistlichen Recht die Ehescheidung gemeiniglich dermassen zugelassen wird, daß sich keines verändern darf, so halten wir solche Scheidung für nichts, ja für ein lauter Gespenst der Seelen, und Gewissen gefährlich.* An vero in quibusdam casibus separatio quoad *thorum & mensam* absque separatione quoad *vinculum* fieri possit, inferius dispiciemus.

III.) συνωνυμία.

§. DLXII. III.) Συνωνυμία. Hebræi divortium vocant כְּרִיתוּת *excidium, abscissionem*, a radice כָּרַת *abscidit, præcidit, amputavit*, quia per divortium uxor ex mariti familia quasi exscinditur & exterminatur, ac datur ei potestas *eundi, quo velit, ac nubendi, cui velit.* Libellus repudii, qui in politia Israelitica dabatur in manus eius, cum qua divortium fiebat, vocatur סֵפֶר כְּרִיתוּת *liber exscissionis* Deut. XXIV. 1. Targum reddidit גֵּט פּוּטְרִין, *scheda dimissionum.* LXX. interpetes βιβλίον ἀποστασίου, *libellus repudii.* Theophylactus in Matth. V. γραμματεῖον ἀπολυτικόν. In Syriaca paraphrasi nov. test. Matth. V. 31. vocatur כְּתָבָא דְדוּלָלָא, *scriptura excidii* a radice דַּלַּל *exhaustus, debilitatus, attenuatus fuit.* Matth. XIX. 7. כְּתָבָא דְשׁוּבְקָנָא, *scriptum desertionis.* A Rabbinis divortium vocatur גֵּירוּשׁ, ac mulier repudiata vocatur גֵּירוּשָׁה Levit. XXI. 7. a radice גָּרַשׁ *eiecit, excussit, expulit.* Arabes divortium vocant טַלַקָה, *dimissionem*, a radice טַלַק, quæ in *hiphil* significat *emisit, eiecit, exautoravit*; item אִפְתְּרָאק, a radice פָּרַק *divisit, dispersit, avulsit, sicut cutis a carne avellitur.* Græcis dicitur ἀποπομπὴ & ἀποστάσιον q. d. *abscissionale*; item ἀπόλυσις *dissolutio.* Matth. XIX. 8. διαλῦσαι τὴν γυναῖκα, eodem sensu, quo Suetonius dixit, *dimittere uxorem* pro repudiare; divortium cum uxore facere, qua loquendi formula Tullius utitur.

ARTI-

ARTICVLVS II.

DE PRAGMATOLOGIA DIVORTII.

MEMBRVM I.

AN SIT DIVORTIVM IN NOV. TEST.

Τὸ ὅτι, an detur divortium.

§. DLXIII. Expoſita divortii ὁρματολογίᾳ tranſitum facimus ad eiusdem πραγματολογίαν. In ea primo loco occurrit quæſtio, de τῷ ὅτι divortii, quam Bellarminus lib. de matrim. cap. XII. *gravem admodum ac difficilem* non immerito adpellat: *An* ſcilicet *verum & proprie dictum divortium inter fideles in nov. teſt. locum habeat*, hoc eſt, an matrimonium fidelium conſummatum ſolubile ſit, quoad vinculum? Pontificii negant; ſic enim decernit concilium Tridentinum ſeſſ. XXIV. can. 7. „Si quis dixerit, eccleſiam errare, cum docuit & docet, iuxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit, anathema ſit.„ Alexander III. in c. *Ex literis &c.* ẍ de divort. diremto propter adulterium coniugio innocentem ſi alteram duxerit, *non modo a poſteriore uxore ſeparandum, verum etiam ad priorem uxorem redire compellendum ſtatuit.* Bellarminus lib. I. de matrim. cap. XVI. *Probandum iam nobis eſt, matrimonii inter fideles contracti & conſummati vinculum adeo eſſe indiſſolubile, ut nec cauſa fornicationis dirimi poſſit, & ideo vivente priore coniuge nunquam eſſe licitum ad ſecundas nuptias adſpirare.* Similia occurrunt apud Tapperum tom. II. art. 18. Nos contrarium ſtatuimus, ac propter adulterium matrimonium fidelium conſummatum quoad vinculum diſſolvi poſſe adſerimus. Antequam vero noſtræ ſententiæ rationes producamus, ſtatus quæſtionis recte conſtituendus erit. 1.) Non eſt quæſtio de *tempore vet. teſt.* in eo enim divortia fuiſſe licita, pontificii non negant, ſic enim ſcribit Bellarminus de matrim. cap. XVII. „Quæſtio eſt apud doctores, utrum repudium Iudæis conceſſum, ita ut aliud matrimonium poſt repudium iniri poſſet, permiſſum fuerit ut licitum, an vero ut minus malum. Et quidem ſententia communior Lombardi, Bonaventuræ, Richardi, & aliorum id habet, ut illicitum ſemper fuerit, ſed permiſſum tamen, ut impune fieret, cauſa maioris mali evitandi. Sed contraria opinio„ (quod ſcilicet per libellum repudii in vet. teſt. vinculum ipſum fuerit ſolutum, ac proinde non fuerit peccatum poſt divortium nubere) *mihi ſemper probabiliſſima viſa eſt.* Unde concilium Tridentinum *ad evangelicam & apoſtolicam doctrinam* unice provocat, ac per eam divortia penitus in nov. teſt. ſublata eſſe ſtatuit. Id ipſum facile intelligitur ex falſa illa hypotheſi, ex qua opinio illa pontificiorum, quod in nov. teſtam. divortium propter adulterium fieri non poſſit, originem traxit, quæ eſt, quod matrimonium utpote *ſacramentum* introducat vinculum indiſſolubile. Iam vero in novo demum teſtam. matrimonium ſacramentum eſſe cœpiſſe adſerunt. Ergo tantum de divortio in nov. teſt. quæſtionem inſtitutum eſſe præſupponunt. 2.) Non eſt quæſtio *de matrimonio infidelium*, ſed fidelium. *Coniugium infidelium ſolvi poſſe etiam quoad vinculum, ſi alter coniugum convertatur ad fidem, & alter no-*

lit ei cohabitare, fine iniuria creatoris, adſerit Bellarminus lib. de matrim. cap. XII. *idque extra controverſiam eſſe* pronunciat. Sed quid ea de re ſtatuendum ſit, inferius in quæſtione de cauſis divortii diſpiciemus, hoc loco tantum quæſtio eſt, de divortio in chriſtianos propter adulterium facto. 3.) Non eſt quæſtio *de matrimonio fidelium rato nondum conſummato*, an per ingreſſum in religionem, hoc eſt, per monaſtices profeſſionem, *etiam quoad vinculum* ſolvi poſſit, quod adfirmant pontificii, ut conſtat ex Bellarmino lib. II. de monach. cap. XXXVIII. & lib. I. de matrim. cap. XIII. qua de re quid ſtatuendum ſit, diſpiciemus itidem inferius, in ſequenti ſcilicet membro de cauſis divortii; hic tantum quæſtio eſt de divortio ſive ſolutione matrimonii rati vel conſummati propter adulterium inſtituenda. 4.) Non eſt quæſtio de ſolutione matrimonii conſummati quoad thorum & menſam, an propter adulterium talis ſolutio fieri poſſit; quod pontificii concedunt, ſic enim ſcribit Bellarminus de matrim. cap. XIV. „Sententia theologorum & totius eccleſiæ eſt, „poſſe matrimonium conſummatum inter „fideles ſolvi quoad thorum & cohabitationem duabus de cauſis. Primo ex conſenſu propter maiorem atque altiorem ſtatum adquirendum, ut ſi uterque coniugum continentiam perpetuam voveat, „& ad religionem (monaſticam) tranſeat. Secundo ſine conſenſu, ob crimen „idque triplex: Primum eſt adulterium alterius coniugis, deinde ſi alter coniugum „a fide catholica recedat, denique ſi alter „coniugum impellat alterum ad peccatum, „ita ut non poſſit alter cum eo cohabitare „ſine periculo Deum offendendi.„ Quid de hiſce cauſis ſtatuendum ſit, ex ſequentibus adparebit; hoc loco tantum quæſtio eſt de ſolutione matrimonii quoad vinculum propter adulterium inſtituenda. 5.) Non eſt quæſtio de *adulterio inceſtuoſo*; in eo enim licitum eſſe parti innocenti aliam ducere, canoniſtæ tradunt, ut ſuo loco videbimus; ſed in genere de quolibet adulterio etiam ſine inceſtu, an propter illud divortium ſive ſolutio quoad vinculum fieri poſſit.

§. DLXIV. Hiſce de vero quæſtionis ſtatu præmiſſis producimus argumentorum noſtrorum claſſes, quarum prima & præcipua conſtat ex *manifeſtis ſcripturæ dictis*. Altera ex *rationum momentis*. Tertia ex *conciliorum decretis*. Quarta ex *imperatorum reſcriptis*. Quinta ex *patrum ſententiis*. Sexta ex *ipſorum adverſariorum ſuffragiis*. 1.) Dicta ſcripturæ ſuppetunt duplicia: quædam ſunt ipſius *Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti*; quædam vero *apoſtoli Pauli*. Dicta Chriſti hæc ſunt: Matth. V. 32. *Ego dico vobis, quod omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, παρεκτὸς λόγου πορνείας, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* XIX. 9. *Dico vobis, quicunque dimiſerit uxorem ſuam, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* In hiſce Chriſti dictis, quæ per inſignem ſophiſticam pontificii pro ſuæ ſententiæ confirmatione adducere non verentur, recte intelligendis & explicandis in genere quinque membra notari iubet Mentzerus tom. IV. diſp. Marp. diſp. XV. th. 99. & ſeqq. 1.) particulas illas *παρεκτὸς καὶ εἰ μὴ* quæ a Chriſto inſeruntur, eſſe *excluſivas*, ut conſtat ex 1 Sam. XX. 39. XXI. 9. 1 Reg. III. 18. XII. 20. Pſalm. XVIII. 32. (ubi pro *παρεκτὸς*, in Græca verſione habetur *πάρεξ*) Act. XXVI. 19. Matth. XI. 27. XII. 4. XXVII. 8. & 21. XXI. 19. & ex aliis ſcripturæ locis, ex quo conſequens eſt, ipſam etiam Chriſti ſententia *excluſive* accipiendam eſſe hoc ſenſu: Quicunque præter ullam aliam cauſam, quam adulterium, dimit-

Adfirmativa probatur I.) *Ex manifeſtis ſcripturae dictis*: I.) *Chriſti Matth. V. 32. & XIX. 9.*

dimittit uxorem suam, sive ab uxore sua divortium facit, & aliam ducit, mœchatur; nequaquam vero pro particulis *comparativis* sive comparationis habere possunt, quasi minus peccatum sit dimittere uxorem propter fornicationem & aliam ducere, malus vero sine fornicationis causa eamdem dimittere, & aliam ducere, de ea enim peccatorum comparatione hoc loco agere, Christo ne in mentem quidem venit. Neque enim proposita erat quæstio, utrum ex *illegitimis* divortiis gravius sit peccatum, sed quæstio erat de causis divortii *legitimis*. Pharisæi existimabant, quamvis causam sufficere, sed Christus respondet, solam fornicationis causam vinculum matrimonii solvere, ut adultera dimitti & alia duci possit. 2.) Exceptionem illam de πορνείᾳ sive λόγῳ πορνείας ἀπὸ κοινῆ in sequenti etiam membro *repetendam*, & ad totam Christi sententiam referendam esse hoc modo: Qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, ille tum ipse mœchatur, tum etiam dimissam uxorem mœchari facit, & qui duxerit dimissam, scilicet extra fornicationis causam, mœchatur, videlicet ducendo alterius uxorem. 3.) Exceptionis istius vim esse eam, ut si *causa fornicationis* uxor dimittatur, hoc est, divortium instituatur, non possit dici maritus mœchari, si aliam duxerit; id enim firmissime probat argumentum ductum a *contrariis immediatis*, quorum natura hæc est, ut, quod de uno adfirmatur, de altero negandum sit, & vice versa, quod de uno negatur, de altero sit adfirmandum. 4.) Fundamentum huius explicationis, qua excipitur causa adulterii a generali prohibitione divortii, ex *collatione aliorum scripturæ dictorum & ex ipsa natura adulterii* demonstrari posse. Coniuges ex primæva Dei institutione sunt *una caro*, Gen. II. 24. Matth. XIX. 6. sed uxor, quæ fornicatur, fit una caro cum adultero, & maritus, qui fornicatur, fit una caro cum scorto. 1 Cor. VI. 16. Ergo non amplius manet vinculum coniugalis unitatis, sed nefarie per adulterium disrumpitur, & per consequens adultera potest repudiari. 5.) Locum Marc. X. 11. & Luc. XVI. 18. (in quo exceptio fornicationis non habetur adiecta) supplendum esse ex Matthæo, quia iuxta vulgatum canonem *pauciora exponi debent secundum plura*, *& regula generalis per exceptionem alibi traditam est limitanda.* De loco Matth. V. 32. in specie notandum, Christum suam doctrinam (quod adulterium committatur per repudium quodcunque, nisi fiat causa stupri) opponere non legi divinæ, sed corruptelis pharisaicis, perinde ut in explicatione quinti præcepti fecerat. Quia enim Moses lege sua forensi permiserat repudium, iubens repudiatæ dare libellum repudii; ideo pharisæi in quocunque repudii casu talem formam libelli introduxerant ac receperant, ut maritus uxori a se repudiatæ concederet licentiam & potestatem, *ut duci posset a quocunque viro*, *nemine prohibente.* Sed Christus ostendit, non ex legibus forensibus, sed ex lege morali, & in hac quæstione ex *prima coniugii institutione* petendum esse iudicium, quid in foro conscientiæ ac coram Dei iudicio licitum sit vel illicitum, proinde nequaquam ita inferri posse: Lex Mosaica forensis permittit libellum repudii, ergo coram Deo non peccat, sed recte facit, qui quacunque de causa uxorem dimittit, quia institutio coniugii ostendit esse copulam indissolubilem; interim in illa ipsa generali prohibitione temerarii divortii excipit Christus *causam fornicationis*, nimirum quia illa directe pugnat cum natura coniugii ac contra substantialia matrimonii, ideoque vinculum coniugii solvit. De loco Matth. XIX. 9. in *specie* notandum, pharisæos quæstionem Christo proponere de vero divortio, hoc est solutione matrimonii quoad vinculum, an quacunque de causa illud sit licitum v. 3. Christus responsionem petit ex prima coniugii institutione, quæ ostendit copulam

lam esse indissolubilem. Coniuges sunt *una caro*. Ergo pars una non debet dimittere alteram. v. 4. 5. 6. Pharisæi ἔνστασιν depromunt ex lege mosaica Deut. XXIV. 1. *Moses mandavit dare libellum repudii*; v. 7. respondet Christus, propter σκληροκαρδίαν cordis populo Iudaico a Mose id fuisse concessum, non autem ex prima coniugii institutione deductum, v. 8. ac tandem v. 9. plene, integre ac perspicue ad quæstionem a pharisæis sibi propositam respondet, quod non liceat uxorem dimittere nisi ob fornicationem. Sic ergo pharisæi in sua quæstione ponunt *definitum*, Christus in responsione subiungit *definitionem* divortii, quod sit *dimittere uxorem & aliam ducere*. Ex quibus omnibus sic colligimus: Quam causam Christus ipse tanquam primus autor institutionis coniugii ac optimus eiusdem interpres a generali prohibitione divortii excepit, propter eam divortium proprie dictum esse licitum, merito iudicatur. Sed causam adulterii Christus ipse duobus in locis & quidem diversis temporibus, quando ex professo materiam hanc in concionibus suis tractavit, a generali prohibitione divortii excepit, ut Matthæus αὐτήκοος testis confirmat. Ergo propter causam adulterii divortium proprie dictum merito iudicari debet licitum. *Adsumtum* confirmatur ex ipsis Christi verbis Matth. V. 32. XIX. 9. *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, & duxerit aliam, mœchatur*. Ergo qui propter fornicationis causam uxorem dimittit, & aliam ducit, non mœchatur.

Exceptiones Bellarmini contra locum Matth. V. 19.

§. DLXV. Videamus Bellarmini sophisticas detorsiones, quibus loco huic clarissimo nebulas inferre conatur: lib. I. de matrim. cap. XVII. profert varias exceptiones, quæ sententiam ipsius magis suspectam reddunt, quam probatam, ut enim iurisconsulti dicunt, *cui multipliciter respondetur, illi non semel bene respondetur. Verba Matthæi*: (inquit) *nisi ob fornicationem, possunt accipi vel exceptive vel negative.* 1.) *Si accipiantur exceptive, respondendum est, Christum non loqui de dimissione quoad vinculum, sed solum quoad thorum, quando concedit dimissionem in causa fornicationis.* Resp. 1.) Dimissio quoad thorum tantum non est verum divortium, sed duntaxat divortii spectrum ac divortium imaginarium. Erasmus in adnot. Matth. XIX. p. 62. *Ambrosius exponens epistolam ad Corinthios priorem, tribuit marito ius repudiandi, neque secus sentit Origenes, unde coacti sumus, aliud quoddam divortii genus inducere, quod ita dirimat consuetudinem domesticam, ut nihilo secius maneat coniugii vinculum, quod quidem divortii genus nomen duntaxat divortii habet, cum a nobis sit repertum, de hoc non percontatos Iudæos per se liquet, quibus prorsus erat incognitum.* Idem in 1 Cor. VII. p. 309. *Quod nos interpretamur divortium, cum dirimitur domestica consuetudo manente coniugii vinculo, quis unquam veterum vel theologorum vel iurisconsultorum adpellavit divortium?* 2.) Dimissio quoad *thorum tantum*, manente integro coniugali vinculo Iudæis fuit penitus ignota, unde Bellarminus ipse in resp. ad obiect. 14. septem argumentis probat, *per libellum repudii ipsum coniugii vinculum apud Iudæos fuisse solutum, ita ut post repudium permissum fuerit novum matrimonium, non solum ut minus malum, sed etiam ut licitum.* In forma libelli repudii, quæ adhuc hodie Iudæis usitata est, expresse ponitur hæc clausula: *Concedo ei licentiam & potestatem, ut pro libitu suo vadat, quo voluerit, ducique possit ab omni viro, nec eam quisque prohibere præsumat.* Ecquis igitur sibi persuadere poterit, Christum de divortio cum Iudæis loquentem, aliud divortii genus intellexisse, quam apud illos erat usitatum?

atum? §.) De quo divortio interrogarunt pharisæi Matth. XIX. 3. de eodem etiam Christus respondit, alias ipsi quæsivissent de alliis, ac Christus ipsis respondisset de cœpis, quod de illa cœlestis Patris sapientia cogitare absurdum. Atqui pharisæi interrogarunt de divortio, quoad *vinculum*. Non erant illi soliciti de dissolutione quoad *thorum*, sed quæstionem movebant de solutione quoad *vinculum*, quæ in populo Israelitico erat usitata. Ergo. 4.) De quo divortio loquitur lex mosaica Deut. XXIV. 1. de eodem intelligenda sunt verba Christi Matth. V. 32. Ratio est, quia Christus hæc verba opponit doctrinæ pharisæorum, quam ex lege mosaica de libello repudii ipsi colligebant. Iam vero lex mosaica loquitur de tali divortio, quod est vere & proprie sic dictum divortium, quo ipsum coniugii vinculum solvitur. Patet hoc ex ipsis verbis illius legis v. 2. *cum egressa* (repudiata) *alterum maritum duxerit*, v. 3. *& ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit*, v. 4. *non poterit prior maritus recipere eam in uxorem*, ex quibus verbis manifeste colligitur, legem illam non punire nuptias repudiatarum cum aliis viris, quod si illæ nuptiæ cum repudiata fuissent pro adulteriis habitæ, lex toleraſſet publica & continua adulteria. Præterea lex prohibet, ne repudiata post mortem secundi mariti a priore in thorum recipiatur: Ier. III. 1. *Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alium, numquid revertetur ad eum ultra?* At si per repudium non fuisset solutum coniugii vinculum, non fuisset peccatum, nec prohibendum, repudiatam a priore marito repeti. Levit. XXI. 14. Ezech. XLIV. 22. prohibetur sacerdos ducere repudiatam. At nisi aliis licitum fuisset per legem forensem mosaicam ducere repudiatam, fruſtra specialiter id prohiberetur sacerdoti

§. DLXVI. Prævidit Bellarminus hæc argumenta pro nostra explicatione adduci posse, ideo II.) excipit, *pharisæos quidem interrogasse de dimissione quoad vinculum, Christum vero de eadem non respondisse.* Hoc vero perquam absurdum est, de alia re pharisæos interrogare, de alia Christum respondere! Quomodo igitur probat Bellarminus suum somnium? *Cum*, inquit, *in dimissione perfecta quoad vinculum duo contineantur dimissio unius & potestas ducendi aliam, Dominus hæc duo separavit, ac unum quidem concessit, dimissionem videlicet cum restrictione ad causam fornicationis, alterum vero omnino sustulit; & hæc est causa, cur fere semper Dominus illa duo distincte posuerit*: Quicunque dimiserit & aliam duxerit, *ut nimirum explicaret repudium in lege permissum, & partim adprobaret, partim improbaret.* Resp. 1.) De tota repudii lege, quæ non solum dimissionem unius, sed etiam potestatem ducendi aliam complectitur, est ibi disputatio; de tota repudii lege quærunt pharisæi, de tota Christus ipsis respondet, alias responsio fuisset ἀπροσδιόνυσος. Clemens Alexandrinus lib. III. stromat. scribit, *hoc fuisse, quod rogantes scire volebant, si liceret aliam ducere.* 2.) Quamvis in verbis Christi *exceptio causam fornicationis* exprimens subiungatur tantum *dimissioni*, tamen de ea sola non est intelligenda, quasi scilicet his Christi verbis tentummodo potestas dimittendi adulteram marito data fuerit, non autem aliam ducendi. Nam illa ipsa dimissio apud Iudæos includebat potestatem transeundi ad alias nuptias; distinguitur quidem dimissio adulteræ a ductione uxoris novæ, non autem separatur, quasi scilicet illam tantum, non autem hanc Christus concedat, neque enim quæ *distincte* proponuntur, pro *separatis* penitus sunt habenda. Ideo vero exceptio causam fornicationis exprimens nominatim dimissioni subiicitur, quia propter fornica-

tionem sive adulterium uxor dimittitur, nec tam propter adulterium dimissæ, quam propter dimissionem adulteræ alia iuste ducitur, quia iusta dimissio potestatem continet transeundi ad alias nuptias. Quin & adulterium iniustam dimissionem sequens non tam committitur propter prioris coniugis dimissionem, quam alterius ac novæ coniugis ductionem. 3.) Invertimus igitur Bellarmini ἔνστασιν. Christus a generali divortii prohibitione casum fornicationis excipiens utrumque exprimit, unius, scilicet adulteræ, dimissionem & alterius uxoris acceptionem, ergo re ipsa docet, propter fornicationem ita licere adulteram dimittere, ut liceat aliam ducere. Matth. XIX. 9. *Qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Marc. X. 11. *Qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit* (subintellige ex Matthæo, cuius epitomator est Marcus, *excepta fornicationis causa*) *adulterium committit super eam.* Luc. XVI. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit*, (subintellige itidem ex Matthæo, post quem Lucas scripsit, *excepta fornicationis causa*) *mœchatur.* Ergo a contrario sensu qui ob fornicationem uxorem dimittit, & aliam ducit, non mœchatur. 4.) Quod Bellarminus addit, *Christum omnino sustuliisse potestatem ducendi aliam, etsi concesserit potestatem dimittendi uxorem propter causam fornicationis*, illud pugnat cum ipsis canonistis, qui concedunt personæ innocenti adulteram dimittenti secundas nuptias, si adulterium fuerit *incestuosum.* c. *Quod proposuisti &c.* c. *Concubuisti &c.* c. *Quædam cum fratre &c.* 32. q. 7. 5.) Quod Christus repudia illa vulgaria *partim improbaverit, partim adprobaverit*, hoc est, quod dimissionem quidem adprobaverit, sed alterius acceptionem improbaverit, illud falsum esse manifeste constat ex Matth. XIX. 8. *Ad duritiam cordis vestri Moses permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic.*

§. DLXVII. III.) Ad argumentum ex contrario sensu ductum Bellarminus sic excipit: *Si exponamus verba Domini, hoc modo: Qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, hoc est, mœchatur illam dimittendo, quia facit eam mœchari, & mœchatur aliam ducendo, quia proprie adulterium committit, atque ita bis mœchatur; tunc a contrario sensu inferendum est: Ergo qui propter fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit, non mœchatur bis, sed tantum semel, id est, non mœchatur dimittendo, sed solum aliam accipiendo, & hoc est verissimum. Sin accipiamus alteram expositionem, quæ talis est: Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, hoc est, quod non licet nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, a contrario sensu non potest inferri, nisi hoc: Ergo qui propter fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit non peccat dimittendo, sed solum mœchatur aliam ducendo.* Resp. 1.) Eligat vero Bellarminus certam & constantem aliquam textus expositionem, cui insistere velit, coacervatio illa diversarum exceptionum est inconstantis & vagabundi animi indicium. 2.) Prior expositio non est conformis verbis Christi. Christus enim non dicit, quod eum dicere Bellarminus fingit: *Qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur, & qui aliam duxerit, mœchatur*, sed Matth. V. 32. dicit: *Qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Matth. XIX. 9. dicit: *Qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Nihil hic habetur de duplici repetitione mœchiæ, sed absolute ac simpliciter pronunciat Christus, eum, qui excepta fornicationis causa uxorem dimittit, & aliam ducit, mœchari. Ex una propositione Christi Bellarminus facit geminam, & quæ in subiecto Christus coniungit, ipse audacter

in

in duas propositiones divellit. 3.) Quomodo in ipsa dimissione Bellarminus mœchiam statuere potest, cum cap. XII. præced. §. 8. disputet, quod *liceat dimittere uxorem infidelem, etiamsi illa velit cohabitare?* Atqui si hic est sensus verborum Christi, *qui extra causam fornicationis uxorem dimittit, mœchatur, hoc est, auctor est illi, ut mœchetur*, utique non licebit uxorem infidelem extra causam fornicationis dimittere; alias enim datur ipsi occasio mœchiæ, & sic etiam is, qui infidelem dimittit, mœchatur. 4.) In consequente plus infert Bellarminus, quam est in antecedente convertendo. Illud enim duntaxat sequitur, eum non bis peccare. Si inferre velis, *ergo eum semel peccare*, negabitur illatio, quia potest nullo modo peccare, quod est verissimum. Qui enim propter fornicationem uxorem dimittit, & aliam ducit, nec bis nec semel, sed nullo plane modo peccat, quia per adulterium prioris coniugii vinculum fuit solutum, & quia dimissio in causa divortii dat potestatem aliud matrimonium contrahendi. 5.) Posterior expositio si recte accipiatur, nobis non adversatur. Illa ipsa enim dimissio, quam propter fornicationem Christus concedit, ius novi matrimonii includit, ut invictis argumentis ostendimus superius. Divortium apud Iudæos dabat potestatem dimittendi coniugem priorem & aliam ducendi. Iam vero propter adulterium Christus concedit divortium. Ergo propter adulterium concedit potestatem priorem coniugem dimittendi & aliam ducendi. Per adulterium solvitur ipsum coniugii vinculum, quia solvitur carnis unitas, nefarie rumpitur coniugalis fides, & peccatur contra ipsa matrimonii substantialia. Ergo qui post divortium propter adulterium factum ducit aliam, tam non peccat, quam qui secundas contrahit nuptias priore matrimonii vinculo per mortem soluto. 6.) Cadaver igitur consequentiæ est, quando Bellarminus sic concludit: *Qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, hoc est, quod non licet nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Ergo qui propter fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit, non peccat dimittendo, sed solum mœchatur aliam ducendo.* Sic enim inferri debebat: Ergo qui propter fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit, non mœchatur, non peccat dimittendo, nec aliam ducendo, quia particula exceptiva non ad unum duntaxat membrum, videlicet ad dimissionem, sed ad utrumque membrum pertinet, ut constat ex ipsa pharisæorum quæstione, in qua intelligitur non nuda dimissio, sed cum potestate ducendi aliam coniuncta.

§. DLXVIII. Atque hæc de prima Bellarmini explicatione, qua Christi verba *exceptive* intelliguntur, dicta sint: examinemus etiam alteram, qua verba Christi *negative* accipi posse pugnat. *Si cum Augustino* (inquit) *accipiamus illa verba*, nisi ob fornicationem, *non exceptive, sed negative, tunc admittimus, Christum loqui de dimissione, quoad vinculum; sed negamus, concedi istam dimissionem in causa fornicationis, quia illud*, nisi ob fornicationem, *non est exceptio, sed negatio. Negat Dominus, licitam esse talem dimissionem sine causa fornicationis, sed non dicit esse licitam, si adsit causa fornicationis.* Resp. 1.) Hæc explicatio posterior repugnat priori. Si enim loquitur Christus de dimissione tantum quoad *thorum*, (quod in priore explicatione evincere voluit Bellarminus) falsum erit, eum loqui de dimissione non tantum quoad *thorum*, sed etiam quoad *vinculum*. Si verborum Christi hic est sensus, quod liceat propter fornicationem dimittere uxorem, non tamen aliam ducere, (quod in priore explicatione evincere voluit Bellarminus) falsum erit, Christum non dicere, quod sit licita dimissio, si adsit causa fornicationis.

Quo teneam vultum mutantem hunc Protea nodo?

Apage scepticam illam theologiam & multiformem ac versatilem scripturæ detorsionem. Ne terrenus quidem princeps æquo ferret animo, diploma suum non *diversis* tantum, sed etiam *adversis* sibique contrariis expositionibus torqueri, & nos putabimus, summum illum monarcham proterviam illam relicturum impunitam, qua decreta ipsius tam variis sibique contrariis expositionibus discerpuntur? 2.) Vulgata Latina versio particulas παρεκτὸς καὶ εἰ μὴ diserte exposuit *exceptive*. Matth. V. 32. *Qui dimiserit uxorem excepta fornicationis causa &c.* XIX. 9. *Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem &c.* Caveat igitur sibi Bellarminus a fulmine anathematis, quod concilium Tridentinum vibrat in eos, qui quovis prætextu Latinam versionem deserunt. 3.) Vocabula Græca παρεκτὸς, εἰ μὴ, manifeste notant *exceptionem*, ut innumeris confirmari potest exemplis. 4.) Ac nisi Christus causam fornicationis a generali divortiorum prohibitione voluisset exceptam, cur eius mentionem facere voluisset, cum de ea a pharisæis non fuerit interrogatus? Si in causa adulterii non constituitur quædam limitatio & exceptio, non fuisset opus quidquam de ea admiscere. 5.) Illud ipsum manifeste colligitur ex occasione, quæ Christo fuit data, ut doctrinam de divortio proponeret. Quærunt pharisæi, *an liceat homini dimittere uxorem κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, quacunque de causa*? Matth. XIX. 3. respondet Christus: *Qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* v. 9. Quid hoc aliud est, quam non licet dimittere uxorem quacunque de causa, sed tantum propter certam aliquam causam, videlicet propter causam adulterii? Si Christus absolute ac simpliciter negare voluisset, ex ulla causa licitum esse divortium, verba quæstionis in suo responso repetivisset: *Qui dimiserit uxorem suam κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, & aliam duxerit, mœchatur.* Certe cum de omnibus causis fuerit Dominus interrogatus, ac de reliquis omnibus negaverit, de hac sola adulterii causa ita pronunciarit, ut nolit eam in reliquarum censu ac classe contineri, eo ipso de hac causa contrarium adfirmasse merito iudicatur. 6.) Perquam absurdum est, quod Bellarminus scribit, *Dominum quidem negare, licitam esse dimissionem sine causa fornicationis, sed non dicere esse licitam, si adsit causa fornicationis.* Turpissima enim hæc est principii petitio, quam ipse sonus verborum Christi fortissime refellit. Quia enim Dominus negat, licitam esse dimissionem sine causa fornicationis, eo ipso docet licitam esse, si adsit causa fornicationis. Perinde ac si inferam: Scriptura negat licitum esse parentum odium extra illum casum, quando præcipiunt contraria mandato Patris cœlestis. Ergo si quando talis casus contingit, licitum est parentes odisse, hoc est, posthabere. Hanc illationem firmam esse, non poterit negare Bellarminus, cur ergo priorem labefactare nititur, quæ eidem per omnia congruit. 7.) Si Christus concessit dimissionem restrictam *ad fornicationis causam*, ut Bellarminus cap. XVII. obi. 1. agnoscit, utique exceptio illa non est negativa, sed adfirmativa.

§. DLXIX. Regerit Bellarminus: 1.) *Argumentum a contrario sensu non concludit, nisi recte accipiantur contraria. Iam vero cum dicimus negative: Quicunque sine causa fornicationis, dimissa uxore, aliam ducit, mœchatur, non recte infertur, ergo qui propter fornicationem uxore dimissa aliam ducit, non mœchatur, sed tantum inferri potest, ergo minus graviter mœchatur. Nam qui sine causa fornicationis uxore dimissa aliam ducit, non ideo mœchatur, quia sine tali causa aliam ducit, sed quia aliam ducit. Quod autem*

ea

ea causa absit, non facit eum mœchari, sed facit eum mœchari cum iniuria prioris coniugis, & idcirco qui propter fornicationem dimissa uxore priore aliam duxit, mœchatur quidem, sed minus graviter, quia sine iniuria prioris coniugis. Resp. Christus non loquitur *comparative*, sed *exceptive*, ut evidentibus argumentis fuit comprobatum. Propter vim igitur particulæ exclusivæ, quæ ponit in uno, quod negat in altero, (*Exceptio ponit contrarium in casu excepto*, dicunt iurisconsulti) & propter naturam limitationis, quæ a generali regula certum casum eximit, firmissima est consequentia: *Qui dimittit uxorem excepta fornicationis causa, & aliam ducit, mœchatur.* Ergo qui propter fornicationem uxorem dimittit, & aliam ducit, non mœchatur. Urgemus nostrum argumentum: Si causa adulterii esset in eodem ordine cum reliquis causis, propter quas non est licitum divortium, cur illam Christus addidisset? 2.) *Quemadmodum ex verbis Iacobi IV.* 17. Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi; *non licet a contrario sensu inferre, ergo ignoranti bonum & non facienti, peccatum non est illi, nam sunt etiam peccata ignorantiæ; sed inferri debet: Ergo ignoranti bonum & non facienti, minus peccatum est, quam si sciens peccasset. Et quemadmodum si quis diceret: Qui nisi ob inopiam furatur, peccat, non posset inde inferri: ergo qui ob inopiam furatur, non peccat, sed ergo, qui ob inopiam furatur, minus peccat, nisi forte esset extrema necessitas, quia tunc non modo non peccatum, sed nec furtum appellandum esset: ita quoque in præsenti quæstione rem se habere* Bellarminus innuit. Resp. est maxima diversitas inter propositionem Christi & Iacobi. Christi propositio expresse habet additam exclusivam: *Qui uxorem dimiserit, excepta fornicationis causa, mœchatur.* Iacobi propositio non habet exclusivam Iac. IV. 17. *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est.* Indefinita hæc est, non autem *exceptiva* vel *exclusiva;* non enim additur, *soli* scienti bonum & non facienti, est peccatum, ἀπαιδεύτως igitur propositio Christi cum ea confertur. Illud vero probamus & acceptamus, quod Bellarminus propositionem Christi confert cum ea: *Qui nisi ob inopiam furatur, peccat.* Ut enim a contrario sensu recte ex hac propositione infertur, ergo qui ob inopiam furatur, non peccat, ita quoque idem iudicium esse debet de propositione Christi: *Qui nisi ob fornicationem dimittit uxorem, mœchatur.* Ergo qui ob fornicationem eam dimittit, non mœchatur. Negat quidem Bellarminus propositionem illam: Qui nisi ob inopiam furatur, peccat; esse exclusivam, sed redarguit eum usus communis:

Quem penes arbitrium est & vis & norma loquendi.

(Adcurate autem nota, non hic agi de propositionis illius *veritate* vel *falsitate*, sed tantum de eius *quantitate*, an sit exclusiva, an vero minime, ubi sonora voce adfirmamus prius.) 3.) *Particulæ παρεκτὸς & εἰ μὴ sæpe quidem accipiuntur exceptive, sed tamen possunt etiam aliter accipi.* Apoc. IX. 4. *Præceptum est illis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui habent signum Dei in frontibus. Illud nisi, Græce εἰ μὴ, non potest exceptive accipi, sed adversative, nisi quis velit homines inter arbores connumerare.* Et Apoc. XXI. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ, non potest particula εἰ μὴ exceptive accipi, nam sensus esset, aliquos coinquinatos intraturos in regnum Dei.* Resp. illa ipsa exempla Bellarmino adversantur, manifeste enim in illis vis exceptionis elucet; siquidem sensus est, quod tantum illi homines læsi sint, qui non habuerunt signum Dei in frontibus suis, ac

quod tantum illi intrabunt in Hierosolymam cœlestem, qui scripti sunt in libro vitæ. Adde quod Bellarmini probatio sit imperfecta, tantum enim de particula εἰ μὴ exempla adfert, quod *adversative* accipiatur, non autem de particula παρεκτὸς, quæ perpetuo notat *exceptionem*. Præterea quando particula *nisi*, בִּלְתִּי, εἰ μὴ adversative usurpatur, tum in præcedenti membro semper ponitur negativa, cui illa ex adverso correspondet, 2 Reg. V. 17. Luc. IV. 24. Ioh. V. 19. &c. sed in verbis Christi non præcedit negatio, sed adfirmatio. *Qui dimiserit uxorem &c.* quæ non permittit, ut adversative duntaxat explicetur. Ac si vel maxime adferri possent quædam exempla, in quibus particulæ παρεκτὸς & εἰ μὴ non ponerentur exceptive, illud tamen nostræ sententiæ nihil quidquam præiudicaret; neque enim quæstio est, quomodo alibi hæ particulæ usurpentur, sed quo sensu in hoc loco accipi debeant, quod enim *exceptive* hoc loco usurpentur, ex phariſæorum quæstione & Christi responsione ὀφθαλμοφανερῶς elucescit. Revocamus igitur Bellarminum ad *vulgatæ versionis* auctoritatem, quam concilium Trident. pronunciavit authenticam. 4.) *Etiamsi particula παρεκτὸς accipiatur exceptive, tamen potest esse exceptio negativa. Potest enim excipi causa fornicationis duplici sensu, vel quia cum ea causa adest, non est adulterium, aliam ducere, & hæc est exceptio adfirmativa, vel quia de ea causa nihil in præsentia determinatur, an sufficiat excusare adulterium, nec ne, & hæc est exceptio negativa.* Resp. exceptio illa negativa est figmentum Bellarmini, ac verbis Christi ineptum plane adfingit sensum. Si enim Christus de adulterio nihil voluisset definire, cur in generali regula, qua divortia prohibet, illius causam excepisset? Nec quæstio erat de adulterii excusatione, sed de matrimonii propter adulterium dissolutione. Fingat ac pingat Bellarminus, quidquid velit, non poterit clarissimam verborum Christi lucem exstinguere. Quidam ergo eo tandem confugiunt, quod *Christus hanc quæstionem domi discipulis suis apertius ac magis fidenter exposuerit.* Atqui illis quæ scripta sunt, contenti esse debemus; quæ domi iterum a Christo dicta repetit Marcus, ea in disputatione cum phariſæis clarissime exposita commemorat Matthæus.

§. DLXX. II.) Dictum apostolicum, ex quo nostram confirmamus sententiam, proponitur 1 Cor. VII. 10. *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, uxorem a viro non discedere*; v. 11. *quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir uxorem non dimittat.* v. 13. *Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum &c.* v. 15. *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Quemadmodum Christi dictum pontificii pervertunt, ut ad suam opinionem illud detorquere possint, ita quoque apostoli dictum pro lege arbitrantur. Notanda igitur sunt membra sequentia: 1.) Scopus apostoli est coercere levitatem in divortiis, quacunque ex causa temere institutis, tum Iudæis tum gentilibus eo tempore usitatam; ideo ex primæva coniugii institutione a Christo repetita ostendit, coniugium esse vinculum indissolubile (extra scilicet fornicationis causam, hanc enim limitationem ibidem Christus addit in illo ipso loco, quem apostolus respicit) atque ex hoc principio hasce deducit regulas: *Vxor a viro non discedat*, v. 10. *Vir uxorem non dimittat*, v. 11. *Discedens a viro uxor aut maneat innupta, aut viro reconcilietur* v. 11. Idem ad virum adcommodari posse ac debere, patet ex regula præcedente. Vir dimittens uxorem aut abstineat a matrimonio, aut dimissam recipiat. Ratio II.) *Pauli 1 Cor. VII.*

est,

est, quia vinculum coniugii non solvitur nisi per solum adulterium. Ergo quæcunque incidere possint causæ, propter quas coniuges invicem discedant, tamen, nisi adsit adulterium ipsi coniugali unitati e diametro oppositum, propter nullam earum debet utrique vel alterutri dari potestas novum matrimonium ineundi. Ex eodem principio etiam hanc regulam deducit, quod coniux fidelis ne quidem ab infideli discedere debeat, quamdiu scilicet infidelis cum eo cohabitare consentiat v. 13. Ratio est, quia religionis disparitas non solvit matrimonii vinculum, sicut adulterium. Quod si vero de facto infidelis discedat, & fidelem deserat, tum persona fidelis deserta non est servituti subiecta, sed libera a lege, ut ad secunda vota ipsi aditus pateat. 2.) Duo igitur ex hoc loco apostolico nascuntur nobis argumenta. Prius sic habet: Tum demum atque eo tantum in casu mulier a viro discedens debet manere innupta, si ob aliam aliquam causam, quam propter adulterium discesserit. Ergo a contrario sensu si ob adulterium mariti discedat, non tenetur manere innupta, sed post factum a marito adultero divortium novi matrimonii potestas ipsi competit. *Antecedens* nititur illo fundamento, quod apostolus hoc loco non agat de *casu excepto*, videlicet de fornicatione, sed de *generali regula*, quod non liceat quibusvis ex causis divortium facere; id quod Chemnitius probat quatuor argumentis, a.) *apostolus non de novæ uxoris acceptione, sed de prioris dimissione loquitur. Præcipio*, inquit, *non ego, sed dominus, mulierem a viro non discedere, & virum non dimittere uxorem.* Quod si verba apostoli hunc haberent sensum, ut causam fornicationis includerent, consequens esset, ne quidem discedere licere parti innocenti propter fornicationem ab adultero vel adultera. At consequens hoc non concedunt pontificii. Quamvis enim post divortium propter fornicationem institutum non concedant alterum matrimonium, tamen fatentur concessum esse, ut propter causam fornicationis vir possit uxorem dimittere, hoc est, *ab ea discedere*, & uxor possit virum dimittere, hoc est, *ab eo discedere.* Nisi ergo Christum Dominum & apostolum, fidelem ipsius servum, hostiliter committere velimus, necessario dicendum est, apostolum non loqui de casu fornicationis, quem Christus excipit, sed de aliis quibusvis casibus, in quibus divortium licitum non est; proinde sic concludimus: Quæ exceptio ac limitatio subintelligenda in verbis, *præcipio non discedere*, eadem intelligenda in verbis, *quod si discesserit, maneat innupta.* Sed in verbis illis, *præcipio uxorem a viro non discedere*, subintelligenda est exceptio, quam Christus addidit, videlicet de causa fornicationis. Ergo eadem exceptio & limitatio intelligenda est in verbis, *quod si discesserit, maneat innupta. Maioris* ratio pendet ex συναφείᾳ textus apostolici. *Minor* demonstrata est ex ipsa pontificiorum hypothesi, qua ob fornicationem uxori a viro discedere permissum esse statuitur. *b.*) *Ipsum verbum reconciliationis ostendit, Paulum non loqui de causa fornicationis.* Quando enim in scriptura alter dicitur alteri reconciliari, intelligitur hoc proprie non *de parte innocente*, sed quod *pars offendens* reconcilietur alteri, Rom. V. 10. Matth. V. 24. &c. Si ergo Paulus discessionem mulieris ob viri fornicationem factam intelligeret, non mulieri, ut parti innocenti, sed viro ut parti offendenti reconciliationem iniungeret. Quia vero dicit, mulier reconciliet se viro, ergo intelligit discessionem, quæ propter alias causas fit, quam ob causam fornicationis. *c.*) *Ipse Paulus* v. 15. *concedit fideli parti desertæ potestatem ad alias nuptias transeundi.* Non enim dicit, si infidelis discedat, fidelis persona maneat innupta, sed liberam eam esse pronunciat. Ergo ipse ostendit, priorem illam sententiam, *uxor a viro*

non

non discedat, ac si discesserit, innupta maneat, admittere necessariam quamdam exceptionem, ex quo fundamento novum nobis nascitur argumentum, quod paulo post subiungemus. d.) *Græci interpretes, Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius, atque ex Latinis Ambrosius exceptionem causæ fornicationis in explicatione Paulinæ sententiæ addunt.* Quibus adiungi potest Primasius in comment. 1 Cor. VII. sic scribens: *Quando apostolus dicit, his qui in matrimonio sunt, præcipio non ego, sed dominus; loquitur proprie ad coniugatos, ne dimitterent uxores & alias ducerent, aut pulchras, aut divites, sicut Iudæi faciebant*; & ad verba: *Vxorem a viro non discedere* adnotat, *si quis dimiserit uxorem excepta causa fornicationis, facit eam mœchari.* 3.) Posterius argumentum nostrum ex hoc loco apostolico deductum sic habet: Si personæ innocenti competit potestas novi matrimonii in casu desertionis, multo magis in casu adulterii eadem innocenti personæ competet. Ratio *connexionis* est, quia adulterium ipsis substantialibus matrimonii & unitati coniugali magis repugnat, quam desertio. Sed apostolus in casu desertionis personæ innocenti concedit potestatem novi matrimonii: *Si infidelis discedit*, (inquit) & hac ratione de facto divortium instituat, *discedat*, ὁ δεδούλωται, *non est servituti subiectus frater aut soror in huiusmodi*, hoc est, persona fidelis deserta non est serviliter adligata desertrici aut desertori, sed libera est a lege uxoris desertricis vel viri desertoris, ut legitime iungi possit alteri fœminæ vel viro. Hanc enim esse significationem phraseos ὁ δεδούλωται intelligi potest ex collatione locorum Rom. VII. 1. *Lex κυριεύει, dominatur in homine, quanto tempore vivit* v. 2. *quæ enim sub viro est mulier, viventi viro* δέδεται, *adligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius,* κατήργηται, *liberata est a lege viri.* v. 3. *sit adultera, si fuerit cum viro alio.* 1 Cor. VII. 39. *Mulier* δέδεται, *adligata est legi, quanto tempore vivit vir eius, quod si dormierit vir eius,* ἐλευθέρα ἐστὶν, *libera est, cui vult, nubat, tantum in Domino.* Ex his locis intelligitur, ἀδουλείαν illam (ut sic loquar) personæ desertæ nihil aliud esse, quam κατήργησιν ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρὸς καὶ ἐλευθερίαν γαμηθῆναι, liberationem a lege viri prioris & libertatem nubendi viro alteri. Ratio decisionis apostolicæ est, quod persona deserta, utpote innocens, non debeat luere culpam personæ desertricis, utpote nocentis, quæ propter fidem christianam atque ex odio religionis discedens gravissime peccat in Deum, matrimonii auctorem, & in ipsum ius matrimonii, cuius vinculum per diversitatem religionis minime dissolvitur. Sequitur igitur conclusio, quod iuxta doctrinam apostoli in casu adulterii potestas novi matrimonii parti innocenti competat.

§. DLXXI. Quid ad hæc Bellarminus? In genere excipit, *Paulum non posse exponi, nisi de discessione ob iustam causam*, sed hac de re inferius in examine argumentorum pontificiorum agetur. Postea in specie Chemnitii rationes examinat. Ad *primam* regerit, *in verbis apostoli esse ellipsin ipsi frequentissimam. Præcipio non discedere, scilicet sine iusta causa, quod si discesserit, videlicet causa inventa, aut reconcilietur, aut maneat innupta.* Resp. loquitur apostolus de dissidiis, quæ inter coniuges ex causis politicis vel œconomicis oriuntur, propter quæ negat, ipsos a se invicem discedere debere, ab aliis autem casum fornicationis exceptum esse, ex dicto Christi & ex fundamentis paulo ante adductis manifeste constat. Ad secundam: *Verbum reconciliari esse commune & ei, qui læsit, & ei, qui læsus est, nam secundum scripturam & nos reconciliamur Deo,*

Exceptiones Bellarmini ad locum 1 Cor. VII.

Deo, & Deus reconciliatur nobis. 2 Macc. I. & VII. Resp. non hic quæritur de reconciliationis *actu*, qui & offendenti & offensæ parti communis est, sed de reconciliationis *principio*; a quonam debeat initium reconciliationis fieri, ubi Christus docet Matth. V. 24. quod ab eodem iterum fieri debeat initium reconciliationis, a quo processit offensio, quæ non est iniuste læsi sed iniuste lædentis. Cum ergo mulieri apostolus præscribat, quod debeat *reconciliari viro*, id est, quod ab ipsa initium reconciliationis proficisci debeat, ex eo recte colligitur, quod non agat de muliere ob fornicationem a viro discedente (hæc enim non est pars lædens, sed potius læsa,) sed quæ ob viri morositatem, malam conversationem vel causas alias ad divortium non sufficientes discedit, & sic partis lædentis vicem suscipit. Quod Deus, cum fuerit pars læsa, mundum sibi ipsi reconciliaverit, illud factum est propter intercessionem Filii, qui nostri loco stetit, satisfactionem plenariam promisit, sicque initium reconciliationis nostro loco fecit; unde notanter dicit apostolus 2 Cor. V. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi ipsi*, id est, per Christum & propter Christum genus humanum est Deo reconciliatum. Ergo hoc exemplum est ἀπροσδιόνυσον. Ad tertiam: *apostolum loqui de coniugio contracto inter infideles, de quo Dominus nihil præceperat*, idque probat *ex forma loquendi*: Cæteris ego dico, non Dominus. *At quando iubet uxorem a viro non discedere, & si discesserit, manere innuptam, loquitur de matrimonio contracto inter fideles, quod Christus insolubile esse pronunciavit.* Resp. non tantum fidelium, sed etiam infidelium matrimonium est individua & indissolubilis coniunctio unius maris & unius fœminæ ex institutione divina descendens; falsum igitur est, Dominum de coniugio inter infideles contracto nihil præcepisse. Si enim infidelium matrimonium est verum matrimonium, utique forma matrimonii in individua & indissolubili coniunctione consistens ipsi competet, ex qua cum dominus deducat, non esse licitum divortium nisi ob solam fornicationem; quomodo de infidelium matrimonio nihil præcepisse dicendus erit? Tam infidelium quam fidelium matrimonium Christus pronunciat esse insolubile, excepta tamen fornicationis causa; nisi ergo velimus apostolum cum Christo, servum cum domino, discipulum cum magistro, committere, statuendum erit, eodem modo ac sensu fidelium matrimonium insolubile ab apostolo fuisse pronunciatum, quo modo ac sensu Christus illud insolubile esse pronunciaverat, videlicet excepto casu fornicationis. De tota hac re inferius plura. Ad quartam: *patres non ponere exceptionem in illa sententia:* Si discesserit; *sed in illa*, præcipio non discedere, *ac proinde cum pontificiis consentire. Eosdem autem patres in illa sententia*, si discesserit, *ponere potius inclusionem quam exceptionem fornicationis.* Resp. si exceptio ponenda in illa sententia: *præcipio non discedere*, eadem ponenda erit in illa: *si discesserit;* ratio est evidens, quia de una eademque discessione apostolus loquitur. Quæ fuerit commentatorum istorum sententia ex ipsis eorum verbis liquet. Chrysostomus homil. XIX. in 1 Cor. VII. *Quoniam & propter continentiam & propter alias causas, δι' ἄλλας προφάσεις, & pusilli animi scrupulos contingebat fieri divisiones, melius quidem, inquit, erat omnino non fieri, sed si factum sit, maneat uxor cum marito, etsi non τῇ μίξει, eo tamen, quod nullum alium virum adducat.* Et postea: *Quid dicis: Si sit quidem infidelis, maneat cum uxore. Sin autem fornicator, nequaquam? Atqui fornicatio minus est peccatum, quam infidelitas. Minus quidem est fornicatio, sed Deus suis valde parcit &c. Quomodo permissus est cum infideli concubitus, in muliere autem fornicante non adcusa-*

tur maritus eam eiiciens? quoniam hic quidem ſpes eſt, fore ut per matrimonium ſalva ſit pars, quæ periit, illic autem iam ſolutum eſt matrimonium. Poſt fornicationem maritus non eſt maritus, ſed mulier, licet ſit cultrix idolorum, non amittit ius mariti. Ex his ſole clarius elucet, Chryſoſtomum cauſam fornicationis ſeiungere ab illis, propter quas apoſtolus prohibet mulierem a viro diſcedere. Eadem eſt Theophylacti, qui Chryſoſtomi adbreviator eſt, ſententia, ac proinde admodum ἀπαξιτως Bellarminus colligit, *nihil eſſe*, quod *inter illas cauſas, propter quas divortium fieri, & ad alias nuptias tranſiri poſſe Chryſoſtomus & Theophylactus negant, fornicationem alterius coniugis numerare prohibeat*, cum illi ipſi commentatores caſum fornicationis diſertis verbis exceperint. Oecumenii verba ſunt manifeſta: *Lex Domini eſt, ne excepta fornicatione fiat divortium.* Item: *Vir uxorem non dimittat, niſi ratione fornicationis duntaxat, hæc enim lex Chriſti eſt*; unde Bellarminus ad Oecumenii explicationem nihil reſpondit. Ambroſius, vel quicunque alius autor commentariorum dicit, *apoſtolum loqui de muliere, quæ recedit* (non ob fornicationem) *ſed ob malam converſationem viri.* Bellarminus regerit, *per malam converſationem nihil convenientius intelligi, quam ſi vir uxori fidem non ſervet.* At ſi textum apoſtolicum hoc ſenſu accipere velimus, contradiceret apoſtolus ipſi Chriſto, qui propter fornicationem mulierem a viro diſcedere poſſe permittit. Fornicatio ſpecies eſt malæ converſationis, ſed a genere ad certam & determinatam ſpeciem procedere non licet, cum non una ſed plures ſint malæ converſationis ſpecies. Quod idem autor in ſequentibus viro novum matrimonium concedit dimiſſa propter adulterium uxore, mulieri autem idem ius denegat, in eo nec ſcripturæ ſacræ, nec ſibi ipſi, nec Bellarmino conſentit, ut ſuo loco plenius videbimus. Scriptura & Ambroſius ipſe lib. I. de Abrahamo cap. IV. *æquale ius* utriusque coniugis agnoſcunt. *Vos* (inquit) *moneo viri, non commiſceri adulterino corpori, nec dare hanc occaſionem divortii mulieribus.* Bellarminus neutri concedit novi matrimonii poteſtatem.

§. DLXXII. *Altera* argumentorum noſtrorum claſſis conſtat ex *rationibus*, quarum *prima* petita ab *adulterii conditione.* Quodcunque ipſam formam coniugii tollit, propter illud ſeparatio coniugum quoad vinculum fieri poteſt. Ratio pendet ex uſitata regula: *Sublata rei forma tollitur res ipſa.* Atqui adulterium ipſam coniugii formam tollit, quia ſolvit unitatem carnis, fidem coniugalem evertit, adeoque ipſa ſubſtantialia matrimonii abolet. Coniuges ex ipſius Dei inſtitutione *ſunt una caro*, Geneſ. II. 24. Matth. XIX. 6. At mulier adultera fit una caro cum adultero 1 Cor. VI. 16. Ergo non amplius eſt una caro cum marito, & per conſequens vinculum coniugalis unitatis eſt ſolutum. Quando igitur maritus uxorem adulteram dimittit, & aliam ducit, tam non peccat, quam ſi poſt mortem prioris coniugis aliam ducit, quia tam per adulterium quam per mortem vinculum coniugalis unitatis tollitur; non hic ſolvit homo, ſed ipſa lex matrimonii, quam adultera nefarie eſt transgreſſa, & ab eius obligatione ſeſe ſubtraxit. Hoc argumentum, quod tamen primarium eſt, Bellarminus non adtingit, ſed in reſp. ad obiectionem 3. adfert aliquid, quod non mediocriter illud confirmat. *Etiamſi* (inquit) *fornicatio ſpiritualis, videlicet idololatria, infidelitas &c. ſit maius peccatum abſolute, tamen magis repugnat coniugio fornicatio corporalis, & ideo ſi fornicatio ſpiritualis ſolveret vinculum, ſolveret etiam corporalis*; ex eo ſic colligimus: Quidquid ita comparatum, ut magis repugnet

II.) *Ex rationum momentis.*
1.) *ab adulterii conditione.*

pugnet coniugio quam ſpiritualis fornicatio vel ullum aliud crimen, propter illud non tantum ſeparatio quoad *thorum*, ſicut ob alia crimina, ſed etiam ſeparatio quoad *vinculum* fieri poteſt. Sed adulterium eſt ita comparatum. Ergo.

2.) *Ex multiplici ad abſurdum deductione.*

§. DLXXIII. *Altera* ratio petita eſt ex *multiplici ad abſurdum deductione*, 1.) Si parti innocenti facto propter adulterium divortio non eſſet permiſſum aliud coniugium, ipſa privaretur ſuo iure præter meritum & culpam. Conſequens eſt abſurdum, ergo & antecedens. *Connexio* probatur, quia in commiſſo adulterio tantum una pars deliquit, cuius culpam tam non poteſt nec debet luere pars innocens, quam pars iniuſte deſerta culpam deſertoris vel deſertricis, quam negat apoſtolus ſervituti eſſe ſubiectam 1 Cor VII. 15. *Adſumtum* probatur ex regula iuris canonici c. Sine culpa de reg. iuris in 6. Bellarminus excipit, *cauſam aliquam hic ſubeſſe, & quidem maximam, quia vinculum prioris manet, & quia Chriſtus prohibet, & quia fieret priori iniuria.* Sed cauſas illas eſſe vanas & fictas oſtendemus ſuo loco. 2.) ſi non liceret parti innocenti uxorem ducere, divortium, a Filio Dei conceſſum in cauſa fornicationis, nihil aliud eſſet, quam laqueus conſcientiæ coniiciens homines in uſtiones & fornicationes, adeoque in iram & iudicium Dei. Conſequens eſt abſurdum. Ergo & antecedens. *Connexio* probatur, nam forte perſona illa innocens non habebit donum continentiæ, ideo in perpetua uſtione verſabitur, quæ impedit invocationem Dei, aut etiam in fornicationes & adulteria præcipitabitur. Excipit Bellarminus: *Aut perſona innocens poteſt non dimittere coniugem, vel certe poſt dimiſſionem poteſt reconciliari, aut cogitur dimittere, nec poteſt reconciliari. Si detur primum, tum nullus conſcientiæ metuendus eſt laqueus, habet enim perſona innocens remedium paratum ſi continere non poteſt, nimirum ut coniugem non dimittat, aut dimiſſæ reconcilietur. Si non liceat aut non expediat uxorem retinere aut revocare poſt crimen admiſſum, tunc non deeſt remedium in divino auxilio, quod nemini petenti denegatur* Matth. VII. *Petite & accipietis. Et non eſſe novum, ut quis cogatur ſine ſua culpa ad perpetuum cœlibatum, oſtendit Auguſtinus de adult. coniug. cap. VIII. ut ſi forte uxor ab initio matrimonii in morbum incidat, & in eo perduret uſque ad mortem viri, ſi captiva ducatur, & viro ſciente in carcere vel alibi apud hoſtes perpetuo vivat, vel iuſti negotii cauſa multos annos in longinqua regione vir ab uxore diſiunctus maneat.* Reſp. ad *prius*: Suaderi ac conſuli poteſt viro, ut uxori adulteræ ignoſcat, ſed ut iuri ſuo renunciet, cogi nequit, qua de re ſuo loco plenius. Ad *poſterius* dicimus, eſſe rationem diſparem. In caſibus illis, quos Auguſtinus adducit, neceſſaria eſt continentia ex præcepto divino, quod vinculum matrimonii excepta fornicationis cauſa ſtatuit eſſe inſolubile, ideo preces poſſunt niti promiſſione divina. Sed in caſu adulterii Deus ipſe oſtendit, licitum eſſe divortium, ac fieri poteſtatem ducendæ alterius coniugis. Ac perquam abſurdum eſt, ſtatuere maritum vocari ad perpetuam continentiam propter uxoris adulterium. Albericus Gentilis lib. VI. de nupt. cap. X. inquit: *Cauſæ illæ & ſimiles nihil habent commune cum cauſa adulterii, proinde ut variare caſus & non variare rationem nihil eſt; ita identitare caſus & non identitare rationem, nihil eſt.* 3.) Si non liceret parti innocenti facto propter adulterium divortio novum matrimonium, Chriſtus cogeret aliquem eſſe cœlibem. Sed conſequens eſt abſurdum. Ergo & antecedens. *Connexio* probatur, quia Chriſtus in cauſa fornicationis divortium permiſit, Matth. V. 32. XIX. 9. at ſi facto

divortio non liceret aliam ducere, pars innocens cogeretur ad cœlibatum. *Adſumtum* probatur ex Matth. XIX. 12. *Qui poteſt capere, capiat.* Itemque ex illo apoſtoli 1 Cor. VII. 9. *Si non continent, nubant, melius eſt enim nubere, quam uri.* Excipit Bellarminus, *Chriſtum abſolute neminem cogere, ut ſit cœlebs, tamen cogere hominem, ut ſtet promiſſis, ex quo conſequenter ſæpe accidat, ut cogatur eſſe cœlebs. Qui enim vovit continentiam, cogitur reddere vota ſua, & ſic cogitur eſſe cœlebs, & qui duxit uxorem, promiſit ſe illa vivente nulli adhæſurum, id enim requirit vinculum matrimonii, quod eſt omnino inſolubile, ac proinde ſi a ſua continet, cogitur eſſe cœlebs. Apoſtolum,* addit, *rectiſſime dixiſſe, melius eſſe nubere, quam uri, ſed non dixiſſe, melius eſſe mœchari, quam uri, mœchari autem eum, qui vivente priore aliam ducit, docet apoſtolus Rom. VII.* Reſp. hæc omnia nihil aliud ſunt quam meræ petitiones principii. Nec Chriſtus nec apoſtolus ulli hominum continentiæ dono deſtituto imponunt cœlibatus iugum. Quid de voto cœlibatus ſtatuendum, diximus ſuperius. Promiſſio fœderis & unitatis coniugalis eſt reciproca. Ut enim maritus promiſit ſe uxore vivente nulli adhæſurum, ſic viciſſim uxor promiſit ſe vivente marito nulli adhæſuram; quod ſi ergo alterutra pars a lege fœderali per adulterium diſcedit, altera ad eam ſervandam præter ſuam voluntatem cogi nequit. De dicto apoſtolico ſuo loco agetur.

3.) *Ex hypotheſium pontificiarum conſideratione.*

§. DLXXIV. *Tertia* ratio deſumta eſt ex *hypotheſium*, quibus pontificiorum opinio nititur, *conſideratione.* Quæcunque opinio falſis hypotheſibus innititur, ea ſuſpectæ veritatis merito cenſetur, ut conſtat. Atqui pontificiorum opinio, quod facto propter adulterium divortio non ſit licitum aliud matrimonium, nititur falſis hypotheſibus. Ergo. *Adſumtum* probatur: Duæ potiſſimum ſunt hypotheſes, quibus pontificiorum adſertio nititur. Prior hæc eſt, quod *matrimonium ſit ſacramentum.* Sic enim ſcribit Bellarminus de matrim. cap. XII. §. penult. *Magnum eſt diſcrimen inter coniugia contracta in infidelitate, & coniugia contracta poſt baptiſmum. Priora enim etſi rata ſint & firma ex natura ſua, tamen ſacramenta non ſunt, & ideo deeſt illis potiſſima ratio inſolubilitatis. At poſteriora ſacramenta ſunt, & proinde duplicem habent rationem inſolubilitatis. Quod ergo apoſtolus docuit de matrimoniis in infidelitate contractis, non debet extendi ad matrimonia contracta poſt baptiſmum, & idcirco ſi alter coniugum convertatur ab hæreſi, & alter nolit cohabitare ſine iniuria creatoris, non ſolvitur matrimonium quoad vinculum, non quia hæreſis non ſit ſpecies infidelitatis, ſed quia matrimonium illud poſt baptiſmum contractum fuerat, & ea de cauſa ſacramentum erat, & ſimiliter ſi alter coniugum chriſtianorum fiat non tantum hæreticus, ſed etiam apoſtata, ethnicus, atheus, tamen nunquam ſolvitur vinculum matrimonii, quia ſacramentum eſt.* Ibidem cap. XVI. §. *accedat &c. Rationem a ſacramento ductam pro omnimoda matrimonii inſolubilitate valde urget Auguſtinus. &c.* At quid de hac hypotheſi ſtatuendum ſit, late expoſitum fuit ſuperius. Poſterior eſt, quod *ſeparatio quoad thorum tantum ſit verum divortium.* Bellarminus de matrimonio cap. XIV. in principio: *Solutio matrimonii conſummati quoad thorum & cohabitationem manente vinculo coniugali proprie dicitur divortium a theologis.* At hæc divortii definitio 1.) non poteſt probari ex ſcripturis; quæ enim pro illa ſtabilienda adferuntur ſcripturæ dicta, detorta ſunt & corrupta, ut patebit ex argumentorum examine. 2.) Pugnat cum dictis Chriſti Matth. V. 32.

XIX.

XIX. 9. & apostoli 1 Cor. VII. 15. in quibus propter adulterium & malitiosam desertionem innocenti conceditur novum matrimonium. 3.) Pugnat cum exemplis ecclesiæ Iudaicæ, quæ non novit nisi tale divortium, quod separationem quoad vinculum & potestatem novi matrimonii includit. 4.) Pugnat cum iure civili, quod divortio propter adulterium facto concedit viro, ut statim aliam possit ducere, mulierem vero iubet exspectare per annum, ne scilicet seminum confusio & de prole dubitatio sequatur. l. Consensu 8. §. Si vero causam & §. Virum. C. de repud. l. Si constante 9. eod. &c. 5.) Pugnat cum matrimonii natura & institutione. Vinculum coniugale est mutua obligatio coniugum ex mutuo consensu orta ad officia coniugii propria, quæ sunt mutuum adiutorium & prolis generatio. Atqui in separatione quoad thorum & cohabitationem tolluntur illa officia. Ergo etiam ipsum vinculum tollitur. 6.) Laborat maximis incommodis, difficultatibus & absurditatibus, introducit enim laqueos conscientiarum, privat innocentem partem suo iure sine culpa & causa, occasionem præbet adulteriis & aliis sceleribus, stabilit tyrannidem papalem &c. Posset etiam addi ratio *quarta* a *matrimonii & divortii oppositione*. Divortium est matrimonii dissolutio ac coniugum separatio eorumdem coniunctioni opposita, ut colligitur ex Matth. XIX. 6. Quam late igitur patet conjunctio, tam late etiam patet dissolutio, & quæ est ratio coniunctionis, eadem ex adverso est ratio dissolutionis, ut patet ex natura oppositorum Iam vero coniunctio respicit & thorum & vinculum coniugale, quia coniuges non tantum quoad mensam & thorum, sed etiam quoad vinculum per coniugium copulantur. Ergo etiam dissolutio eorum per divortium dissolvit eos non solum quoad thorum & mensam, sed etiam quoad vinculum.

§. DLXXV. *Tertiam* argumentorum classem desumimus ex *conciliis*, 1.) Chemnitius adducit concilium Neocæsariense, quod can. VII. *contrahentibus secundas nuptias post divortium iniungit aliquam pœnitentiam, sed non dirimit contractum matrimonium.* Censuit igitur, non esse eiusmodi coniugia prorsus damnanda, licet optaverit non fieri. Excipit Bellarminus, *concilium illud non agere de nuptiis post divortium, sed de secundis nuptiis, quæ contrahuntur mortua priore uxore, quas ob signum incontinentiæ aliqua pœnitentia notat.* Resp. Bellarminus ipse dubius est, quid *secundarum nuptiarum* nomine in illo canone intelligendum veniat; lib. II. de concil. cap. VIII. resp. ad 4. „Concilium Neocæsariense loquitur de eo, „qui duas simul uxores habet, ut recte „exponit glossa„ c. De his qui frequenter &c. 31. q. 1. „vel dici potest, non „prohiberi secundum matrimonium sed solennitatem secundi matrimonii, cui solennitati proprie convenit nomen nuptiarum, „quæque tantum semel in ecclesia fieri consuevit, nimirum quando virgines coniunguntur.„ Lib. de matrim. cap. IX. §. 13. „Canonem Neocæsariensis concilii alii „qui intelligunt de iis, qui simul plures „uxores habere volunt, alii eumdem canonem de iis intelligunt, qui sæpius nuptias contrahunt successive, atque hos „non peccare adfirmant, quod sæpius nuptias adpetant, sed quod in secundis nuptiis eam celebritatem adhiberi velint, „quæ solum in primis de more ecclesiæ „adhibenda est, & ideo pœnitentiam iniungendam illis esse a presbyteris, a quibus (legendum forte) qui ad eam celebri„tatem invitantur. Potest etiam fieri, ut „antiqui illi patres, qui aliis etiam in re„bus severiores erant, ob signum incon„tinentiæ pœnitentia aliqua notandos esse „voluerint eos, qui sæpe matrimonia con„trahunt.„ Tandem addit, „quæcunque

III.) *ex conciliorum decretis.*

„fuerit eorum patrum mens, concilium „fuit particulare &c.„ (Baronius ann. 314. n. 91. itidem accipit de digamia succeſſiva, qua poſt prioris uxoris mortem maritus uxorem ducit.) Cum ergo illam ſibi licentiam ſumat Bellarminus, ut concilii verba duplici vel etiam triplici modo exponat, ac tandem oppoſita Niceni concilii definitione penitus reiiciat, cur Chemnitium reprehendit, quod de nuptiis poſt divortium contractis illum canonem exponere voluit, ne concilii illius patres digamiam ſucceſſivam, hoc eſt, nuptias poſt mortem prioris coniugis contractas contra expreſſa ſcripturæ dicta viderentur damnaſſe? Illis, qui demortua uxore alium ducunt, non eſt imponenda pœnitentia, nec presbyter illorum nuptiis intereſſe prohibendus, niſi ſecundis nuptiis labem ac maculam adſpergere velimus. 2.) Adducit etiam Chemnitius concilium Milevitanum, cuius canone XVII. ſic habet: *Placuit, ut ſecundum evangelicam & apoſtolicam diſciplinam neque dimiſſa a marito alteri coniungatur, ſed ita maneant aut ſibimet reconcilientur. Quodſi contemſerint, ad pœnitentiam redigantur.* Canon ille non loquitur de parte innocente, quæ propter cauſam fornicationis partem peccantem dimittit, ſed loquitur de dimiſſis, hoc eſt, de parte rea, ac notabile eſt, quod concilium addit, *petendam eſſe legem imperialem in illa cauſa.* Ergo uſque ad illa tempora etiam ſub chriſtianis imperatoribus non fuit lex ſeu conſtitutio prohibens talia matrimonia. Excipit Bellarminus, *a.) ex Auguſtino, cuius autoritate huius concilii canones præcipue ſunt editi, veram illius canonis ſententiam petendam eſſe.* Reſp. verba canonis ſunt manifeſta, quod de *dimiſſa* duntaxat agat, non autem de *dimittente*, ac quidquid alibi diſputet Auguſtinus, in lib. de fid. & operib. cap. XIX. ſtatuit, *venialiter eum falli, qui uxore ob cauſam fornicationis dimiſſa aliam ducit. b.) Hoc ipſo, quod canon nullam cauſam excipit, generatim accipiendum eſſe.* Reſp. generalitas illa explicanda eſt ex verbis Chriſti Matth. V. 32. XIX. 9. & apoſtoli 1 Cor. VII. 15. ut cauſa adulterii ac malitioſæ deſertionis intelligatur excepta. *c.) Legem imperialem deſiderarunt patres, non qua declaretur illicitum eſſe novum coniugium poſt divortium, ſed qua punirentur a temporali poteſtate, qui illud crimen admitterent.* Reſp. hanc explicationem Bellarminus de ſuo adfert, quam verba concilii & hiſtoria eccleſiæ illorum temporum non admittit, ut conſtabit ex ſequentibus.

§. DLXXVI. Hiſce duobus conciliis a Chemnitio adductis addimus 3.) ſynodi Arelatenſis ſub Conſtantino imperatore circa annum 326. celebratæ canonem X. qui ſic habet: *De his, qui coniuges ſuas in adulterio deprehendunt, & itidem ſunt adoleſcentes fideles, & prohibentur nubere, placuit, ut in quantum poteſt, conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licet adulteris, alias accipiant.* Audis concilii ac cohortationis tantum, non autem coactionis ac præcepti mentionem fieri, tantum abeſt, ut matrimonia poſt divortium legitimum contracta divellat. 4.) In decret. Burchardi l. 6. adducitur canon concilii Wermacienſis, vel, ut alii codices legunt, Euermacienſis, qui ſic habet: *Si qua mulier cum aliis viris in mortem mariti conſiliata eſt, & ipſe aliquem illorum ſe defendendo occiderit, poteſt, ut nobis videtur, ipſam uxorem dimittere, & ſi voluerit, aliam uxorem accipere, ipſa autem inſidiatrix pœnitentiæ ſubiecta abſque ſpe coniugii maneat.* Eodem modo legit decretum Reginonis; ſed Gratianus lib. IV. decretalium titul. 19. cap. I. hunc canonem falſavit inſerendo tria verba, *poſt mortem uxoris.* Sed illud fraudis ac falſi crimen nimis manifeſtum eſt. Quid enim neceſſe erat ea de re canonem condi, quod poſt mortem uxoris liceat marito, cuius

vitæ

vitæ uxor insidiata fuerat, aliam ducere, cum hac de re nullum unquam exstiterit dubium? Ipsa etiam adversativa ostendit, verba illa *post mortem uxoris* esse supposititia & adiectitia; quæ enim hæc connexio: *maritus, cuius vitæ ab uxore insidiæ structæ, post mortem uxoris potest aliam uxorem accipere, sed ipsa insidiatrix pœnitentiæ subiecta absque spe coniugii maneat?* Imo vero ideo hæc gratia ducendi aliam marito conceditur, quia ipse est pars læsa, uxori denegatur, quia ipsa est pars lædens & offendens. 5.) Gratianus c. *Quædam &c.* 32. q. 7. adducit capitulum cuiusdam concilii, quod ipse non nominat, cuius decretum sic habet: *Quædam cum fratre viri sui dormivit, decretum est, ut adulteri nunquam coniugio copulentur, illi vero, cuius uxor stuprata est, licita coniugia non negentur.* Excipit Bellarminus *canonem hunc depromtum ex quodam concilio, cuius ne nomen quidem exstat, unde facile contemni possit.* Resp. Gratianus eum in ius canonicum retulit, nec expunxit in correctione sua Gregorius XIII. pontifex. Sixtus Senensis lib. VI. biblioth. sanct. adnot. 81. iudicat esse concilii Elibertini canonem. 6.) Idem Gratianus c. *Si quis &c.* caus. & quæst. iisdem adducit canonem ex concilio Triburiensi: *Si quis cum noverca sua dormierit, neuter ad coniugium potest pervenire, sed vir eius potest, si vult, aliam accipere, si se continere non potest. Similiter si quis cum filiastra sua vel cum sorore uxoris suæ dormierit, observandum est.* Excipit Bellarminus, *duos illos posteriores canones a doctoribus recte exponi de coniugio post mortem prioris coniugis*, quod probare conatur ex cap. *Hi vero &c.* caus. & quæst. iisdem. Resp. verba utriusque canonis sunt manifesta, citra ullam omnino restrictionem ac limitationem posita. Nec dubitari poterat, an mortua priore coniuge licitum sit parti innocenti aliam ducere, quia de eo non nisi hæretici contra expressos scripturæ textus unquam dubitarunt. Ex cap. *Hi vero &c.* contrarium Bellarminus nunquam probabit, quia novum non est, Gratianum canones sibi invicem repugnantes adducere, quin imo in rapsodia ista hic scopus ipsius fuit primarius, discordantium canonum conciliationem instituere, quæ omnia expendens Sixtus Senensis d. l. concedit, *patres illorum conciliorum separationem quoad vinculum adprobasse*; sed addit, *illos non generali ac perpetua sanctione, sed ad tempus idque certis nationibus ac gentibus permisisse*, quod nostræ sententiæ firmandæ sufficit.

§. DLXXVII. *Quartum* argumentorum classem petimus ex *imperatorum rescriptis.* Patres concilii Milevitani seculo quinto celebrati can. XVII. statuunt, *petendam esse legem imperialem in hac causa*, ex quo Chemnitius colligit, usque ad illa tempora etiam sub christianis imperatoribus non fuisse legem seu constitutionem prohibentem eiusmodi matrimonia. Neque vero posterioribus temporibus talem legem a christianis imperatoribus impetrarunt, ut ex codice Iustiniani manifestum est. Confer legem Theodosii & Valentiniani, christianorum imperatorum, quæ exstat libr. V. cod. tit. de repudiis &c. Duarenus de divort. probat, *Carolum magnum, Ludovicum, Lotharium &c. statuisse, quod post divortium propter adulterium factum liceat aliud matrimonium contrahere.* Addit etiam, *non esse verisimile, quod tempore Iustiniani locus evangelii, quo uno canonistæ nituntur, aliter intellectus fuerit, quam ut cum evangelio staret Iustiniani legislatio.*

IV.) *Ex imperatorum rescriptis.*

§. DLXXVIII. *Quintam* argumentorum classem complemus ex *testimoniis patrum.* Chemnitius adducit 1.) *Origenem*

V.) *Ex patrum sententiis.*

genem in Matth. XVIII. tract. 7. *In novo quoque testamento sunt quædam non secundum veram iustitiam, sed secundum duritiam cordis hominum carnalium constituta, ut puta propter duritiam cordis vestri lex data est dicens:* Bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem unusquisque propriam habeat uxorem, & unaquæque proprium virum. *Si autem hoc propter duritiam cordis nostri mandatum est, quanto magis illud propter duritiam cordis nostri est, quod alibi dicit, de viduis volentibus iterum nubere:* Quod si se non continent, nubant, melius est enim, nubere, quam uri? *Scio enim quosdam, qui præsunt ecclesiis, extra scripturam permisisse, aliquam nubere viro priore vivente, & contra scripturam quidem fecerunt dicentem:* Mulier ligata est, quanto tempore vivit vir eius. *Item:* vivente viro adultera vocabitur, si facta fuerit alteri viro. *Non tamen omnino sine causa hoc permiserunt, forsitan enim propter huiusmodi infirmitatem incontinentium hominum, peiorum comparatione, quæ mala sunt, permiserunt adversus ea, quæ ab initio fuerant scripta.* Notat Chemnitius, Origenem comparare hanc permissionem episcoporum cum permissione Paulina: *propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam, rursus convenite, ne tentet vos satanas &c.* ergo non intelligit permissionem criminis mortalis, conscientiam vastantis & gratiam effundentis &c. Excipit Bellarminus, *Origenem significare, quod episcopi illi permiserint rem malam & illicitam, ut ex duobus malis eligerent minus malum, nec comparari permissionem illam episcoporum cum permissione apostolica, nisi in eo, quod utraque sit permissio quædam concessa ob hominum infirmitatem.* Resp. matrimonium post divortium adulterii causa factum non pugnat cum scriptura recte intellecta, sed in peregrinum sensum detorta. Nobis hoc loco sufficit, quod Origenes permissionem illam comparet cum permissione apostolica ob hominum infirmitatem concessa; si enim matrimonium post divortium adulterii causa factum de novo initum pro crimine mortali habuisset, nunquam permissionem illam episcoporum probasset, nec cum apostolica permissione comparasset. Si enim peccatum mortale committit, qui uxore propter adulterium repudiata aliam ducit, male omnino Origenes episcopos illos excusavit, qui adulterium permiserunt, ut fornicationem prohiberent. Neque tamen huic Origenis testimonio multum tribuimus, tum propter *autorem*, qui apud ecclesiasticos scriptores, Epiphanium in hæresi Origenist. Hieronymum epist. 76. Bernhardum de verb. Orig. col. 387. & patres synodi sextæ Constantinopolitanæ collat. 8. can. 11. non optime audit, tum propter *ipsum dictum*, quod nititur falsa hypothesi, quasi matrimonium illud pugnet cum loco apostolico Rom. VII. 2.) *Hieronymum*, qui in epist. ad Occanum de obitu Fabiolæ memorat, *Fabiolam, quæ post legitimum divortium vivente priore marito alteri nupserat, publicam egisse pœnitentiam, eo quod esset contra rigorem evangelii, qui universam causationem nubendi, viventibus viris, fœminis amputat*; tamen addit, *illam hoc non ut peccatum mortale commisisse, nec tantum Papiniani leges secutam, sed feciſſe hoc iuxta dicta Pauli*: Melius est nubere quam uri. *Item:* volo iuniores viduas nubere, ne convertantur post satanam. Nec publica Fabiolæ pœnitentia efficit, peccatum esse simpliciter mortale & damnabile, nam & illis, qui adulteram sine divortio retinebant, duorum atque trium etiam annorum pœnitentia tunc imponebatur, & duriores omnino fuerunt veteres fœminis, ne illis post divortium alterum concederetur matrimonium. Excipit Bellarminus, *Hieronymum Fabiolæ factum pro peccato mortali & pœnitentia digno habere, quod in aliquam*

eius

eius excusationem adducuntur verba Pauli: melius est nubere quam uri, & volo iuniores viduas nubere, *ideo tantum pertinere, ut ostendat, illam partim ex infirmitate, partim ex ignorantia peccasse, existimaverat enim illa, ad se pertinere illas sententias, tum quia ignorabat rigorem evangelii, tum quia concupiscentiæ ardore se fallebat.* Resp. ex eo ipso, quod Fabiolam partim ex infirmitate partim ex ignorantia peccasse statuit, peccatum eius non coram Dei iudicio, sed tantum coram ecclesiæ iudicio mortale & pœnitentia dignum fuisse consequitur. Publica pœnitentia imposita fuit etiam illis, qui demortua priore uxore ad secundas nuptias processere, teste Bellarmino in resp. ad arg. 6. nemo tamen dixerit, eas pro peccato mortali fuisse habitas. Fatemur tamen haud inviti, Hieronymum in eo hallucinari, quod statuit, coniugium facto adulterii causa divortio contractum pugnare cum evangelii *vigore* vel (ut alii legunt) *rigore* & cum verbis apostoli: *Vxor a viro non discedat, si discesserit, manere innuptam.* Contrarium enim superius demonstratum fuit. 3.) *Ambrosium*, qui in 1 Cor. VII. sic commentatur: „Non permittitur mulieri, ut nubat, si virum suum causa fornicationis „dimiserit, aut apostasiæ, aut si illicite impellente lascivia usum quærat uxoris, „quia inferior non omnino hac lege utitur, qua potior. Et vir uxorem non „dimittat, subauditur autem excepta for„nicationis causa. Et ideo non subiecit „dicens, sicut de muliere, quod si di„scesserit manere sic, quia viro licet du„cere uxorem, si dimiserit uxorem pec„cantem, quia non ita lege constringitur „vir, sicut mulier. Caput enim mulieris „vir est.„ Ex his manifeste constat, Ambrosium viro potestatem novi matrimonii dare post divortium adulterii causa factum. Excipit Bellarminus, primo *Gratianum* 32. q. 7. & *Lombardum* lib. IV. sent. dist. 35. *contendere, ea verba inserta fuisse commentario huius autoris ab aliquo falsario.* Resp. hac exceptione elidi possent omnia, quæcunque ex patrum scriptis ab adversariis contra nos proferuntur. Stylus horum verborum ad amussim congruit cum reliqua orationis compage, ac si a falsario dicantur addita, textui apostolico commentarii vice nihil adscriptum fuisse consequetur. Secundo *alii respondent, loqui autorem illum de lege politica cæsarum, quod videlicet liceat viris, non autem fœminis, per leges cæsarum repudiata coniuge aliam ducere.* Resp. imo vero non iuris civilis, sed suam Ambrosius exponit sententiam, eamque ex textu apostolico, in quo vir dicitur *uxoris caput*, probare conatur. Quod additur, *Paulum, ne offenderet cæsarem, non voluisse expresse dicere, si vir dimiserit uxorem, maneat sic, aut uxori reconcilietur*; pugnat cum παῤῥησία apostolica, & parum abest a blasphemia. Tertio *quidam canonistæ respondent, loqui Ambrosium de casu incestuosæ fornicationis.* Quarto *alii eo abeunt, quod post mortem adulteræ viro hoc licere censeant.* Sed nihil horum in textu additur, ideo prætermissis illis omnibus Bellarminus tandem eo abit, quod *commentarii illi non sint Ambrosii, neque alicuius ex celebratis patribus.* Resp. Sixtus Senensis Ambrosio eosdem tribuit, ac eos quidem *breves esse in verbis, sed sententiarum pondere graves* pronunciat. Erasmus tantum argumenta illorum commentariorum improbat, ut quæ non sint Ambrosii, sed inepti cuiusdam consarcinatoris, in ipsis vero commentariis nihil admixtum alieni se comperisse profitetur. Illorum iudicio suum addit calculum noster b. Chemnitius in orat. de lect. patrum. *Optimus* (inquit) *labor Ambrosii, quod in omnes Pauli epistolas commentarios scripsit.* Iesuitæ, quia Ambrosii eos esse negant, de autore non consentiunt. Bellarminus in libro de script. eccle-

ecclesiasticis sub titulo *Ambrosius*, tribuit eos cuidam hæretico Luciferi sectatori, *Hilario* dicto. Maldonatus in Matth. XIX. 9. & in Iohan. III. 5. *Remigio Lugdunensi*, qui anno Domini 870. vixit, eos adsignat. Pererius libr. III. comment. in Gen. pag. 370. & in epist. Rom. disp. V. ad cap. VI. Lorinus in Actor. XV. Ambrosii esse negant, sed certum eorum autorem non nominant. Quidquid sit, nobis sufficit, esse cuiusdam autoris vetustioris. Bellarminus libr. IV. de amiss. grat. & statu peccat. cap. V. & lib. de iustificat. cap. VIII. autorem horum commentariorum fuisse *Damaso & Ambrosio* σύγχρονον colligit ex comment. 1 Timoth. III & sub *Ambrosii* nomine sæpius eosdem adlegat; eius igitur autoritatem non potest penitus repudiare, præsertim cum hæc verba relata sint a Gratiano in ius canonicum sub Ambrosii titulo c. *uxor &c.* 32. quæst. 7. unde etiam canonistæ tam operose & solicite disquirunt, quomodo eadem explicare, vel potius torquere possint, ne suæ opinioni adversentur. Sixtus Senensis libr. VI. biblioth. adnot. 81. pag. 465. victas dat manus, & Ambrosium refert in classem eorum, *qui certa & indubitata adsertione utriusque repudii quoad thorum & vinculum licentiam probarunt.* 4.) *Pollentium*, qui Augustini tempore vixit, eiusque sententiæ de illicito post divortium coniugio contradixit, ex quo adparet, non fuisse illud dogma catholicum in ecclesia habitum. Excipit Bellarminus, *Pollentium Augustino non contradixisse, sed circa quæstionem obscuram tantum consuluisse*; postea addit, *tempore Augustini non fuisse hoc dogma ab aliquo generali concilio explicatum, ideoque facilius excusari potuisse, si qui hac in re errarent.* Resp. Chemnitius ex libris Augustini ad Pollentium nihil aliud demonstrare voluit, quam quod hæc quæstio de novo post divortium matrimonio, (quod Ambrosius viro concessorat, uxori vero denegaverat) tempore Augustini horridius ac rigidius fuerit disputata ac decisa, ita ut viro quoque potestas novi matrimonii adimeretur, quodque illa Augustini durior sententia non statim fuerit ab omnibus recepta, id quod ex dubitatione & consultatione Pollentii manifeste adparet. Si enim hoc Augustini dogma fuisset ab omnibus publico ecclesiæ consensu receptum, Pollentius quæstionem de eo non movisset, nec scripturæ dicta in contrarium adduxisset. Quod Bellarminus addit, *tempore Augustini non fuisse hoc dogma ab aliquo generali concilio determinatum*, id nostram confirmat sententiam; ex eo enim evidenter colligitur, quod tum nondum fuerit pro dogmate catholico in ecclesia habitum, cui non licuerit ulla ratione contradicere. 5.) *Leonem*, qui in epist. 85. alias 87. ad episcopos Africæ cap. I. *sacerdotem, qui dimissa uxore aliam duxerat, tantum ab ordine removet, non autem matrimonium eius dirimit, aut eum ab ecclesiæ communione repellit.* Excipit Bellarminus, *Leonem non loqui de sacerdote, qui post susceptum sacrum ordinem uxorem duxerit, sed de quodam, qui, cum uxorem accepisset, priore dimissa, postea ad sacerdotium promotus fuerat, hunc Leo ab ordine removet, nihil autem addit, de matrimonio eius, ratumne an irritum esset, tum quia non erat ei proposita quæstio, nisi de ordinatione, an scilicet talis homo ad sacerdotium promoveri potuisset, tum quia ibidem addit, salva esse debere prædecessorum suorum decreta, inter quæ est decretum Innocentii I. epist. III. quo declarantur adulteri, qui priore dimissa etiam per legitimum divortium aliam ducunt.* Resp. Chemnitius ex Leonis testimonio nequaquam confirmare voluit, sacerdotem illum post susceptum sacrum ordinem uxorem duxisse, ea enim quæstio est alterius loci; sed non fuisse a Leone dissolutum matrimonium illius, qui prio-

re

re uxore ob adulterium dimissa aliam duxerat, id quod ex epistola illa efficaciter probat. Frivolum est, quod Bellarminus regerit, *non fuisse Leoni propositam quæstionem, nisi de ordinatione.* Si enim Leo iudicasset, tale matrimonium esse simpliciter improbandum, utique sacerdotem illum non tantum ab ordine sacro removisset, sed etiam matrimonium ipsum diremisset. In principio epistolæ dicit Leo, *se ex pietate & solicitudine muneris sui velle mutare & corrigere, quæ ex Potentio cognoverat, in ecclesiis Africanis illicite geri & usurpari;* quod si in eorum numero habuisset matrimonium dimissa priore coniuge adultera initum, utique etiam illud ipsum aboleviſſet, cum ex hypothesi pontificiorum legibus Christi & apostoli illud directe adversetur. Innocentii I. constitutio agit de illo divortio, quod ob quamcunque levem & non sufficientem causam fieri prohibetur, Matth. V. 32. XIX. 9. atqui aliam esse rationem divortii ob causam adulterii facti ex immotis fundamentis demonstratum fuit. Nec sufficiens fuisset generalis illa ad prædecessorum decreta ablegatio; sed in specie debuisset Leo suam de hoc matrimonio sententiam exponere, si illud dirimendum censuisset.

§. DLXXIX. Hisce a Chemnitio adductis patribus adjungimus 1.) *Tertullianum*, qui in lib. IV. adv. Marc. cap. XXXIV. in principio, explicans verba Christi Matth. XIX. ostendit, Christum non omnino & in totum, sed conditionaliter prohibuisse Mosaicum repudium, sic enim scribit: *Dico, Christum conditionaliter nunc feciſſe divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat.* Qui dimiserit, *inquit*, uxorem, & aliam duxerit, adulterium commisit, & qui a marito dimissam duxerit, æque adulter est; *ex eadem utique causa, qua non licet, dimittit, ut alia ducatur, illicite enim dimissam pro indimissa ducens adulter est, manet enim matrimonium, quod non rite diremtum est, manente matrimonio nubere adulterium est, ita si conditionaliter prohibuit ducere uxorem, non in totum prohibuit, & quod non prohibuit in totum, permisit &c. Habes itaque Christum adsertorem iustitiæ divortii.* Huius dicti tanta est evidentia, ut Sixtus Senensis libr. VI. biblioth. adnot. 81. p. 465. Tertullianum referat in classem eorum, qui *certa & indubitata adsertione utriusque repudii, hoc est, a contubernio & a connubio licentiam probarunt.* 2.) *Lactantium* libr. VI. instit. cap. XXIII. circa finem: *Adulter est, qui a marito dimissam duxerit, & is, qui præter crimen adulterii uxorem dimittit, ut aliam ducat, dissociari enim corpus & distrahi Deus noluit.* 3.) *Hilarium*, qui canon. IV. in Matth. post medium, in verba Christi Matth. V. 32. sic commentatur: „Cum lex libertatem dandi repudii ex libelli autoritate „tribuisset, nunc marito fides evangelica „non solum voluntatem pacis indixit, ve„rum etiam reatum coactæ in adulterium „uxoris imposuit, si alii ex discessionis ne„cessitate nubenda sit, nullam aliam cau„sam deficiendi a coniugio præscribens, „quam quæ virum prostitutæ uxoris so„cietate pollueret.„ Excipit Sixtus d. l. „Hilarium a concubitu & convictu coniu„gis adulteræ maritum dirimere, sed a „iure matrimonii, a fœdere nuptiarum & „a vinculo sacramenti ipsum vivente con„iuge non absolvere.„ Resp. divortium illud fictum, pictum ac imaginarium est, ut ostendimus superius. Tale divortium a Christo in causa fornicationis in lege evangelica concessum esse statuit Hilarius, quale ex alia qualibet causa in lege veteri a Mose permissum in nov. test. amplius licitum esse negat. Id vero erat divortium quoad vinculum. 4.) *Epiphanium*, qui libr. II. tom. I. hæresi LIX. contra Catharos ante medium de nuptiis post divortium contractis sic disserit: ὁ μὴ δυνηθεὶς τῇ μιᾷ ἀρκεσθῆναι τελευτησάσῃ ἕνεκεν τινὸς προφάσεως πορνείας ἢ μοιχείας ἢ κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ

ριτμῷ γενομένῃ συναφθεῖσα, δευτέρᾳ γυναικὶ ἡ γυνὴ δευτέρῳ ἀνδρὶ ἐκαίτιαται ὁ θεῖος λόγος, οὐδὲ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει, ἀλλὰ διαβασάζει διὰ τὸ ἀσθενὲς, οὐχ ἵνα δύο γυναῖκας ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἔχῃ ἔτι περίσσης τῆς μιᾶς, ἀλλ' ἀπὸ μιᾶς ἀποχεθεὶς, δευτέρᾳ εἰ τύχο ἐννόμῳ συναφθῆναι. *Qui non potuit una mortua contentus esse ob aliquam fortationem aut adulterium aut separatione ob aliquam malam causam facta, eum divina scriptura non accusat, si aut vir coniugatur fecundæ uxori, aut uxor secundo viro, neque ab ecclesia & via abdicat, sed sufert propter debilitatem, non ut duas uxores simul habeat, altera adhuc superstite, sed ut ab una separatus, secundæ, si ita contingat, copuletur, divina scriptura & sancta Dei ecclesia eius miseretur &c.* Hæc verba Epiphanii non possunt *coniunctim* accipi, quasi tum demum licitæ sint secundæ post divortium nuptiæ, si prior uxor adultera fuerit mortua; sed *divisim* sunt accipienda, quod licitum sit secundum matrimonium, si vel morte vel propter adulterium matrimonium fuerit solutum, alias verba illa: ἕνεκεν πορνείας χωρισμῷ γενομένῃ, continerent limitationem, quasi tum demum post mortem uxoris licitum sit matrimonium, si ob fornicationem facta fuisset separatio, quod sententiæ Epiphanii & ipsius scripturæ est contrarium, quippe quæ omnibus maritis, (non illis tantum, qui ab uxoribus propter adulterium separati fuere) post mortem uxoris secundarum nuptiarum potestatem facit, ex quo haud immerito quis colligeret, vel adiectum esse illud τελευτησάσῃ, vel omissam particulam ἢ disiunctivam. Neque tamen huic Epiphanii loco admodum confidimus. 5.) *Augustinum*, qui quamvis in libris de adulterinis coniugiis ad Pollentium late disputet, *tam viro quam mulieri post divortium illicitas esse alias nuptias;* tamen in libro de fid. & operibus cap. XIX. circa finem, modeste scribit: „Quisquis uxorem „in adulterio deprehensam dimiserit, & „aliam duxerit, non videtur æquandus eis, „qui excepta causa adulterii dimittunt & „ducunt.„ Et: „In ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste, cui „quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si aliam „duxerit, ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur. 9.) Chrysostomum, qui homil. XVII. in Matth. occurrens illis, qui legem divortii onerosam esse queruntur, *Christus*, inquit, „hanc „legem levem fecit ac facilem, siquidem „reliquit viro unum expulsionis modum, „dicendo,„ excepta causa fornicationis; „alioquin in eamdem rursus turpitudinem „cuncta remearent, si enim iuberet, etiam „pluribus missam retineri tamen a viro „coniugem, rursus in adulterii licentiam „negotium omne converteret.„ In homil. de repud. in 1 Cor. VII. ita repudium damnat, ut causam adulterii excipiat, inquiens: *Nam quando vir dimiserit uxorem absque causa stupri, quando alter iectam vivente viro duxerit, cum iecta illa punietur.* Excipit Sixtus Senensis d. l. *Chrysostomum concedere repudium quoad thorum, non autem quoad vinculum.* Resp. at hac ratione Christus legem divortii non fecisset levem ac facilem, quod tamen probare ibidem contendit Chrysostomus. Præterea illud divortium in causa repudii concessit Christus, quod ex quacunque causa Iudæi sibi permissum esse in lege veteri statuebant. At illud complectitur separationem quoad vinculum. Denique ex ipso verborum sono colligitur, Chrysostomum loqui de repudio quoad vinculum. *Quando*, inquit, *vir dimiserit uxorem absque causa stupri, quando alter iectam vivente viro duxerit, cum iecta punietur.* Ergo a contrario sensu si propter causam stupri dimiserit, & aliam vivente ea duxerit, non puniendus erit. 7.) *Autorem operis imperfecti* in Matthæum, quod inter Chrysostomi opera habetur, hom. XXXII. „Sic-

„ut

„ut crudelis est & iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus & iniustus, qui meretricem retinet, nam patronus turpitudinis eius est, qui crimen celat uxoris.„ Sixtus repetit suam exceptionem, „de dimissione tantum quoad thorum esse sermonem;„ nos igitur repetimus nostram responsionem, quam ex verbis sequentibus demonstramus, sic enim autor ille addit: „Imitatores ergo debemus esse Dei, ut sicut ille agit cum ecclesia, sic nos agamus cum coniuge: ille enim nunquam deserelinquet, nisi ad gentilitatem & hæresin voluntarie transierit; sic & vir meretricem quidem dimittat, alias autem male morigeratam castiget & emendet;„ ex quibus hoc modo concludimus; Deus ecclesiam sponsam ad gentilitatem & hæresin voluntarie transeuntem ea ratione dimittit, ut ex alio populo ecclesiam sibi in sponsam eligat. Ergo maritus ita potest dimittere coniugem adulteram, ut ducat aliam. 8.) *Euthymium*, Chrysostomi adbreviatorem, qui in Matth. V. sic commentatur: „Moses iussit dare libellum repudii, ne post ea alteri iam nuptam viro posset rursus adprehendere, quasi propriam, & hinc orirentur turbationes ac seditiones; Christus vero mansuetius eos instituens, iubet, ne uxorem repudient, nisi causa stupri, stuprum autem vocat hic adulterium &c.„ Sixtus eodem modo excipit, nos ergo eodem modo respondemus, quod divortium *quoad thorum* tantum pugnet cum verbis scripturæ, cum exemplis ecclesiæ Israëliticæ, & cum recta ratione, ut superius audimus. 9.) *Theophylactum* in Matth. V. „Non solvit Christus mosaica, sed corrigit exterrens virum, ut ne ἀλόγως, absque causa, odio habeat uxorem, nam si ἐυλόγως, iusta de causa, dimiserit eam, nempe fornicantem, nulli condemnatio„ni est obnoxius, quodsi absque fornicationis causa, condemnatus est, cogit enim „eam mœchari.„ In Luc. XVI. Christum sic loquentem introducit: *Ecce de solutione matrimonii lex præcepit propter cædem Iudæorum, ego ad perfectiora exercens auditores, repudium absque rationabili causa prohibeo, non illi contraria docens, sed magis voluntatem eius perficiens.* 10.) *Chromatium*, Aquileiensem episcopum, in comment. Matth. V. *Excepta causa fornicationis dicens uxorem non licere dimitti, aperte demonstrat, quam grave apud Deum damnationis crimen incurrant, qui per effrenatam libidinis voluntatem absque fornicationis causa dimissis uxoribus in alia volunt transire coniugia, sed sicut uxorem caste ac pure viventem dimittere fas non est, ita quoque adulteram dimittere permissum est, quia ipsa se mariti consortio fecit indignam, quæ in corpus suum peccando Dei templum ausa est violare.* Sixtus recurrit ad eumdem clypeum, sub quo sibi paravit aliquod latibulum, videlicet de dimissione quoad *thorum*, non autem quoad *vinculum* hæc esse accipienda; at res ipsa testatur, de tali dimissione sermonem esse, ex qua liceat in aliud transire coniugium, id enim oppositio requirit. 11.) *Theodoretum*, qui libr. IX. de cur. Græcor. adfection. tom. 2. pag. 1120. sic scribit: *Humanæ naturæ opifex, qui eam ipse effinxit, unumque ab initio virum mulieremque unam plasmavit, has dissolvi nuptias vetuit. Vnam vero copulæ huius dissolvendæ occasionem proposuit, qua penitus nuptialis distraheretur coniunctio. Inquit enim*: Omnis qui dimittit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. *Quibus sane verbis cætera uxoris vitia æquo animo ferri iubet, seu loquax sit illa, seu temulenta, seu convitiosa. Sin vero nuptiarum leges transiliat, in aliumque virum procax intendat, tunc denique copulam solvi iubet.* 12.) Denique patrum classi coniungimus consensum *ecclesiæ Græcæ*, quæ adhuc hodie nobiscum docet, licitum esse novum matrimonium facto ob causam fornicationis divor-

tio, quam sententiam dubio procul ex veteribus ecclesiæ suæ doctoribus acceperunt. *Notum est*, (scribit Bellarminus cap. XV.) *hoc tempore Græcos re ipsa matrimonia dissolvere, & coniugibus alia matrimonia ineundi potestatem facere in causa adulterii.*

VI.) *Ex ipsorum adversariorum suffragiis.*

§. DLXXX. *Sextam* & ultimam argumentorum classem deducimus ex *ipsorum adversariorum suffragiis*, ubi producimus I.) *pontificum rescripta.* 1.) Zacharias papa primus decrevit, *ut uxor repudiato marito, qui sororem constupraverat, alteri viro nuberet, si continere nollet.* Refert hoc decretum Zachariæ Gratianus c. *Concubuisti &c.* 32. q. 7. in hæc verba: *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ? si fecisti, neutram habeas, & si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit. Tu autem & adultera sine spe coniugii permaneatis, & quamdiu vixeritis, iuxta præceptum sacerdotis pœnitentiam agite.* Excipit Bellarminus satis audacter & imprudenter, *intelligendum esse coniugium, quod parti innocenti conceditur post mortem prioris coniugis.* At huius exceptionis nullum in decreto vestigium, neque ea de re Zachariæ quæstio proposita erat, neque ulla requirebat necessitas, rem ex scripturis notissimam, videlicet quod post mortem coniugis nuptiæ sint licitæ, definire. Bellarminus ipse cap. XVI. refellit Durandum, qui statuit, *Christum loqui apud Matthæum præsupposita lege veteri, quæ iubebat adulteras occidi, hac enim lege servata licebat in causa fornicationis uxorem dimittere, & aliam ducere. At*, inquit Bellarminus, *non poterat esse quæstio, an liceret uxore ob adulterium lapidata aliam ducere.* Eodem modo nos respondemus Bellarmino, non poterat esse quæstio, an liceret uxore post adulterium mortua aliam ducere. Ipsa decreti verba exceptionem Bellarmini excludunt. Quomodo enim de coniugio post mortem adulteri repetendo intelligi potest, quod conceditur parti innocenti nubere in Domino, dum adulter incestuosus manet sine spe coniugii? Num adulter manere iubetur sine spe coniugii, postquam desiit posse matrimonium contrahere in sepulcro? Consideretur etiam legis ratio; *si se continere potest, nubat.* Atqui fieri potest, ut se continere nequeat, dum adulter adhuc in vivis est. Canonistæ non ita perfricuerunt frontem, ideo aliter excipiunt, *non de adulterio simplice, sed incestuoso esse sermonem, in quo licitum sit parti innocenti aliud matrimonium, cum nulla reconciliationis spes superfit.* Atqui nihilominus firmum manet, quod aliquando vinculum matrimonii solvatur, ac proinde fundamentum opinionis adversæ, quod in absoluta vinculi indissolubilitate & sacramenti firmitate consistit, erit subrutum. Sixtus Senensis d. l. dat victas manus, ac Zachariam accusat illis, qui tale repudium *quoad vinculum permiserunt, & interdum iusserunt, promulgatis super hæc sanctionibus & decretis, non quidem generalibus & perpetuis, sed ad tempus, idque certis nationibus ac gentibus, & in incestibus tantum atque aliis quibusdam atrocibus flagitiis, ne longe peiora turpioraque perpetrarentur ab his, qui tam fœda coniugia tolerare non poterant*; pro quo liberali & ingenuo responso Senensi debitas reponimus gratias, & candorem eius præ Bellarmini impudentia commendamus. 2.) Gregorius III. in epist. ad Bonifacium *concedit secundum matrimonium cuidam viro ob ægritudinem coniugis prioris.* Ergo non iudicavit matrimonii vinculum esse penitus indissolubile. Exstat decretum c. *Quod proposuisti &c.* caus. & quæst. iisdem: „Quod proposuisti, si mulier infirmitate corpo„ris non valuerit viro debitum reddere, „quid eius faciat coniugalis? bonum est,

„set si sic permaneret, ut abstinentiæ va-
„caret, sed quia hoc magnorum est, ille
„qui non poterit se continere, nubat ma-
„gis, non tamen ei subsidii opem subtra-
„hat, quam infirmitas præpedit, non ta-
„men detestabilis culpa excludit.„ Ubi nota, nos nequaquam hanc Georgii decisionem probare, quin potius cum Gratiano dicimus, *illud sacris canonibus ac evangelicæ & apostolicæ doctrinæ penitus inveniri adversum*; sed illud tantum ex eo colligere, quod Gregorius iudicaverit, coniugii vinculum in quibusdam casibus dissolvi posse, ita ut parti innocenti, quæ se continere nequit, aliud matrimonium contrahere sit licitum. Bellarminus excipit, *doctores hunc canonem intelligere de ægritudine, quæ reddit mulierem ineptam ad coniugium, & proinde sit impedimentum dirimens contractum matrimonium.* Atqui aliud est frigiditas & inhabilitas, aliud vero infirmitas; quidquid sit, manet interim illud, Gregorium iudicasse, quod in quodam casu vinculum coniugii dissolvi possit. Libr. IV. de Rom. pontif. cap. XII. eamdem exceptionem Bellarminus repetit, quod scilicet Gregorius agat non de quacunque imbecillitate, sed de *impotentia perpetua & naturali*, per quam est inepta ad coniugium mulier. Videns autem huius responsi sui infirmitatem, statim subiicit: *Sed contra hoc est, quod Gregorius videtur iudicare, primum fuisse verum matrimonium, & non tam solvendum, quam ei secundum superaddendum, scribit enim non debere virum a priore uxore subsidium auferre, id est, debere eam adhuc ut uxorem alere & sustentare, ideo posset etiam dici cum glossa in 32. quæst. 7. pontificem dare consilium, non præceptum, ut eam, quæ videbatur fuisse uxor, adhuc sustentet, si providentia ipsius indigeat.* In prioribus editionibus additur, *Gregorium ex ignorantia hic errasse*, sed in editionibus posterioribus illud fuit omissum, ex quo adparet, Bellarmino aquam hæsisse. II.) *Conciliorum decreta* in iure canonico adprobata & canonisata. Gratianus in caus. & quæst. iisdem adducit: 1.) decretum concilii *Elibertini* permittens marito, ut abiecta uxore, quæ cum fratre mariti se commiscuit, alteram ducat. c. *Quodam &c.* 2.) Decretum concilii *Triburiensis*, vel, ut alii legunt, *Triburtini*, itidem permittens viro, qui uxorem a privigno compressam dimiserat, ut alteram accipiat coniugem, c. *Si quis &c.* Verba utriusque canonis & Bellarmini elusiones adduximus superius. 3.) Decretum concilii *Moguntinensis* c. *Si quis &c.* eiusdem omnino sententiæ esse cum prioribus statuit Sixtus Senensis. III.) *Patrum dicta* in iure canonico adprobata. c. *Uxor &c.* caus. & quæst. iisdem adducitur dictum *Ambrosii*, in quo viro permittitur post divortium legitime factum alteram ducere. Sixtus Senensis Tertulliani & Ambrosii suffragium nobis largitur ac diserte addit: *In hac sententia plerique veterum fuisse putantur.* Covarruvias multos enumerat, qui nostram amplectantur sententiam. *IV.) Scriptorum recentiorum suffragia.* 1.) *Erasmus* in adnot. ad Matth. XIX. & 1 Cor. VII. multis argumentis confirmat, propter fornicationem licere coniugi innocenti ad alias nuptias transire. 2.) *Thomas de Vio Caietanus* cardinalis in comm. Matth. XIX. „Intelligo ex hac Domini Iesu Christi lege, „licitum esse Christiano dimittere uxorem „ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, „& posse ducere aliam uxorem, salva sem-„per ecclesiæ definitione, quæ hactenus „non adparet. Nam decretales pontificiæ „de hac materia non sunt definitivæ fidei „sed iudiciales facti; profitentur autem ip-„simet pontifices, ut patet in cap. IV. de „divortiis & in cap. Licet, de sponsa „duorum &c. Romanos pontifices ali-„quando in his iudiciis matrimoniorum er-„rasse &c. nec ego sum primus, qui sic „intellexi evangelii textum, quoniam ante „annos mille b. Ambrosius sic intelligens „idem

„idem docuit.„ 3.) *Ambrosius Catharinus*, Compsæ episcopus, alias acerrime solet insectari scripta Caietani, & errores ex illis colligere; sed in hac quæstione suum ipsi præbet adsensum, quod arguit, a clara & liquida veritate ipsum fuisse victum. Scripsit integrum librum de hac quæstione, in quo inter cætera hæc leguntur: *Stat sententia Domini apud Matthæum his verbis*: Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. *Hæc una oratio, nisi vim literæ adferamus, profecto duarum orationum vim habet. Vna est adfirmativa continens huiusmodi regulam: Si quis uxorem suam absque causa fornicationis dimiserit, & aliam duxerit, mœchatur. Altera est negativa, quæ continet exceptionem a regula propter particulam illam* nisi, *& est: Si quis uxorem ob fornicationem dimiserit, & aliam duxerit, non mœchatur. Si igitur sic intelligitur hæc domini sententia, ut verba ipsa quam manifestissime videntur porrigere, iam est decisa quæstio. Cum ergo ad verba Domini hactenus non sit ulla expositio, quæ adferat quietem, si volumus sustinere, esse illicitam cum altera copulam etiam ex causa fornicationis, videtur satis iustificari Caietanus, qui putavit, ex hac Domini lege, ut litera plane sonat, licere christiano dimittere uxorem suam ex causa fornicationis, & aliam ducere, quod & aliis rationibus videtur posse persuaderi. Est inprimis magna illa ratio, quam ipse Caietanus adfert, & alii ante illum cogitaverunt, & potest cuique parum cogitanti facile occurrere, videlicet: Omnis responsio sapientis debet aptari atque interpretari ad mentem & sensum interrogantis, alias non esset respondere, sed verba dare. Quando igitur Dominus rogatus est a pharisæis, an liceat uxorem dimittere, rogatus est de dimissione perpetua ac perfecta cum licentia ducendi aliam &c.* cuiusmodi rationes plures postea subiicit. In comment. prioris epist. ad Cor. scribit, *videri sibi rem esse impendio duram & iniquam, ut vir innoxius, interim ætate virens & in Venerem proclivis nullo suo delicto, imo ex aliena culpa, & in se ipsum illata iniuria cogatur mutare statum, & perpetuo cœlibem ac luctuosam vitam ducere, libidinis incendio & orbitatis molestiæ coniunctam, cum nec sit fas cum adultera coniungi, nec adpetere alteram.* Excipit Bellarminus, *eos ecclesiæ Romanæ iudicio se subiecisse, ac proinde a reliquorum communissima sententia non esse separandos.* Resp. servilis illa subiectio, qua lucem veritatis ex scriptura refulgentis, id est, ipsam spiritus sancti sententiam ecclesiæ Romanæ, id est, pontificis iudicio subiecerunt, nequaquam efficit, eos ob id non statuisse, quod vere statuerunt, sed efficaciam erroris & antichristianam pontificis tyrannidem arguit. Sixtus Senensis excipit, *eos hanc thesin proposuisse, non ut firmæ determinationis sententiam, sed ut probabilem opinionem doctorum disputationibus excutiendam.* Resp. cur igitur Tridentini Areopagitæ ab hac modestia discedentes anathematis fulmen in diversum sentientes vibrarunt? Nobis hoc loco sufficit, quod aperta veritas clausos quorumdam adversariorum oculos perstrinxerit. 4.) *Nævizanus* sylvæ nuptialis lib. I. num. 144. itidem defendit divortium quoad vinculum, ut & 5.) *Salomonius*, iurisconsultus pontificius in repet. l. Gallus §. quidam de libr. & posth. Unde non immerito Bellarminus in hanc erupit vocem de matrim. cap. XV. §. 1. *In quæstione de solutione matrimonii consummati quoad vinculum multos habemus adversarios, Græcos, Latinos, hæreticos & catholicos.*

Antithesis pontificiorum.

§. DLXXXI. Atque hæc dicta sint de nostræ sententiæ fundamentis. Antequam vero ad pontificiorum argumentorum examen descendamus,

mus, operæ pretium erit, maculas illas, quas nostris doctoribus in cap. proxime citato Bellarminus circa hanc quæstionem adspergere conatur, paucis abstergere, quæ enim de Calvinianis & Anabaptistis addit, ad nos minime pertinent. I.) *Luthero* tribuit 1) *contradictionem*, quia in libr. de cap. Babyl. cap. de matrim. scribit, *papam errare, cum divortium concedit extra causam fornicationis, quam solam Dominus excepit, & tamen addit, optare se, ut definiatur, licere divortium facere ob absentiam diuturnam alterius conjugis. Si enim error est, divortium facere ob aliam causam quam fornicationis, ergo errorem cupit definiri, cum ob absentiam conjugis divortium esse licitum definiri cupit.* Resp. recte statuit Lutherus & nos cum ipso, unicam tantum esse justam ac legitimam divortii faciendi causam, videlicet adulterium, ac proinde errat pontifex, quando extra eam causam divortium concedit; quomodo autem cum eo conciliari debeat, quod Lutherus definiri optat, etiam ob malitiosam desertionem permittendum esse parti innocenti novum matrimonium, inferius explicabimus. 2) *Fatuitatem*, quia ibidem addit, *se nolle quidquam definiri sola papæ & episcoporum autoritate, sed si duo eruditi & boni viri in nomine Christi consentirent, & in Spiritu Christi pronunciarent, eorum judicium se conciliis prælaturum.* Ac, inquit Bellarminus, *unde sciemus, duos illos homines in nomine Christi magis consensisse, & in Spiritu sancto, qui ex diversis provinciis unum in locum legitime conveniunt ad fidem christianam explicandam?* Resp. id vero sciri potest ac debet ex diligenti examine decretorum ad normam ac regulam in verbo revelato nobis propositam. Matth. VII. 15. Act. XVII, 11. 1 Cor. II, 15. 1 Thess. V, 21. 1 Joh. IV, 1. &c. Lutherus nihil aliud dixit, quam quod ante eum Marsilius Patavinus, Panormitanus, Ioh. Gerson & Ioh. Francisc. Picus Mirandulanus dixerunt. Marsilius Patavinus in defens. pacis: *In concernentibus fidem etiam unius privati ac laici dictum præferendum est dicto papæ, si moveatur melioribus rationibus vet. ac nov. test. quam papa.* Panormitanus c. *Significasti* sc. x. de elect. *Privato homini & fideli, qui meliores rationes adfert, potius credendum est, quam toti concilio & papæ.* Gerson de exam. doctr. consid. V. *Staret, quod aliquis simplex non autorisatus esset, tam excellenter in sacris literis eruditus, quod plus esset credendum in casu doctrinali suæ adsertioni, quam papæ declarationi, est enim plus credendum evangelio, quam papæ.* Iohan. Franc. Picus Mirandulanus de fid. & ord. cred. theor. XVI. *Simplici potius rustico & infanti & aniculæ, quam & pontifici maximo & mille episcopis credendum, si contra evangelium isti, illi pro evangelio verba facerent.* Lutherus se ipsum diserte explicat, de quibus conciliis loquatur, qualia scilicet tunc solebant cogi, tantum numero & autoritate citra eruditionem & sanctimoniam jactata. 3.) *Temeritatem*, quod in comm. 1 Cor. VII. anno 1523. edit. multas ob causas matrimonium solvi & aliud iniri posse censeat, ut si *non modo ethnicus christianam, sed etiam falsus christianus christianam conjugem deserat, vel si conjux conjugem ad furtum aut aliud peccatum inducat, vel si ob frequentes rixas molesta sit cohabitatio cum priore conjuge, vel si diu absit alter conjux.* In lib. de caus. matrimon. edit. anno 1530. *Si pauper cum divite matrimonium contrahat & consummat, ac deinde pauper divitem conjugem retinere non possit, quod amici vel adfines divitis impediant, judicat Lutherus, posse pauperem ad aliud matrimonium se transferre.* Resp. Lutherus in scripto posteriore mentem suam satis perspicue explicat, quod non nisi propter adulterium & malitiosam desertionem innocenti personæ novi matrimonii potestatem concedat. Vide tom. V. Ien. Germ. libr. de causis matrimonialibus part. II. pag. 255. ubi hæc habentur: „Ich

„Ich kan und mag nicht wehren, wo ein „Gemahl die Ehe bricht, und kan bewieſet „werden œffentlich, daſs das ander Theil frey „ſey und ſich ſcheiden mœge, und mit ei„nem andern verehlichen. Wiewohl, wo „mans thun kan, daſs man ſie verſœhne und „bey einander behalte, iſts gar viel beſſer. „Wann aber das unſchuldige Theil nicht „will, ſo mags im Nahmen Gottes ſeines „Rechts gebrauchen.„ Et poſtea: Veber „diſs iſt noch ein Fall, nemlich wenn ein „Gemahl vom andern leufft, ob ſich hie „das ander mœge mit einem andern vereh„lichen? Hie antworte ich alſo, wo ſichs be„gibt, daſs ein Gemahl mit Wiſſen und Wil„len von dem andern zeucht als Kauffleut, „oder in Krieg gefordert; oder was ſonſt „für Noth und Sache ſind, daſs ſie beyde „ſolches bewilligen, hie ſoll das ander „Theil harren und ſich nicht verendern, „bis daſs es gewis werde und glaubwürdi„ge Zeugniſs habe, ſein Gemahl ſey todt &c. „Aber wenn es ein ſolcher Bube iſt, der „ein Weib nimmt, und eine zeitlang bey „ihr bleibet, darnach ohn ihr Wiſſen und „Willen heimlich wegleufft, læſſet ſie „ſchwanger oder mit Kindern ſitzen, ſchrei„bet ihr nichts, ſchicket ihr nichts, ent„beut ihr nichts, leufft ſeiner Buberey „nach &c. Da rathe ich, daſs der Pfar„herr oder Obrigkeit dem Weib rathe und „helfe, den Buben zu ſuchen wo ſie kan „und ſich zu finden verſihet, und fordern „auff beſtimte Zeit, komt er nicht, daſs „man an die Kirchen oder Rahthaus œffen„tlich anſchlage und fordere ihn auch alſo „œffentlich dazu mit Bedræuung, man wol„le ihn ausſchlieſſen und das Weib frey „ſprechen. Komt er alsdenn nicht, ſo ſoll „er nimmermehr kommen.„ In his duobus duntaxat caſibus perſonæ innocenti jus novi matrimonii concedit, de reliquis vero modeſte addit: „Es ſind noch vielmehr Fælle, „als wo man Gifft oder Mord beſorgt, item „wo ein Weib zu ſtehlen oder zu ſchændlicher „Unzucht gezwungen würde vom Mann, „aber da kœnnen Obrigkeit und vernünfftige Leute ihnen wol rahten, denn man „kan niemand zur Sünde zwingen. So „muſs ein Gemahl ſeine Fahr wagen des „Giffts oder Mordts halben, ſonderlich wo „es heimlich vorgenommen wird, offenbarlichem Vornehmen kan die Obrigkeit oder „Freunde ſteuren und wehren.„ Plura de cauſis divortii apud Lutherum non occurrunt, ex quo adparet, qua fide Bellarminus ejus ſententiam adleget. 4) *Credulitatem*, quod *ab Eraſmo in hac quæſtione ſe paſſus fuerit ſeduci, qui adnotationes ſuas anno 1515. in publicum ediderat.* Reſp. Lutherus ex manifeſtis Chriſti verbis ſententiam ſuam probavit, & miſeris conſcientiis, pontificiarum legum vinculis irretitus conſulere voluit. Fatetur Bellarminus, *Græcos jamdum concilii Florentini tempore idem docuiſſe cum Luthero*; cur ergo non Græcorum potius quam Eraſmi autoritatem ſecutus dicitur? Qualis fuerit Eraſmi erga Lutherum animus ex hyperaſpiſtæ diatriba de libero arbitrio cuivis conſtat. II.) *Philippo Melanchthoni* tribuit, quod *non innocenti tantum parti ſed etiam nocenti aliud conjugium permittat* in adnot. ad Matth. V. Reſp. quid hac de re ſtatuendum ſit, ſuo diſpicietur loco. III.) *De Brentio* commemorat, quod *in confeſſione Wirtenbergica cap. de conjug. ſcribat, ſperare ſe, pios epiſcopos & principes conceſſuros jus contrahendi aliud matrimonium iis, qui ob adulterium alterius conjugis juſto divortio ſeparati ſunt.* Reſp. ſpereverant id ipſum Eraſmus, Cajetanus, Catharinus, ſed fruſtra. Nihil quidquam in his Brentii verbis occurrit, quod vel ſcripturæ ſacræ vel reliquorum noſtræ partis theologorum ſententiæ repugnet. IV.) *Chemnitii* ſententiam ſic recitat, *quod duos tantum caſus eſſe voluerit, in quibus liceret aliud matrimonium inire, nimirum adulterium alterius conjugis & deſertionem infidelis, ita ut per infidelem non intelligatur quilibet injuſtus deſertor, ut Lutherus & Philippus intelligunt*,

gunt, sed solum is, qui christianus non est, sed gentilis, ac se ipsum explicat quod loquatur tantum de parte innocente, cum aliud matrimonium, ob adulterium concedit, ex quo colligit Bellarminus, quod nec Philippus cum Luthero, nec Chemnitius cum Luthero aut Philippo in sententia conveniat. Resp. *Qui suorum & maxime domesticorum curam non agit, fidem abnegavit & est infideli deterior* 1 Tim. V. 8. quod ergo de infideli, qui & re & professione talis est, Chemnitius adserit, id ipsum de malitioso desertore, qui re ipsa, licet non professione talis est, intellectum voluit. Innocentis duntaxat partis mentionem facit, quia de ea potissimum inter nos & pontificios quæstio versatur, quid de nocente statuendum, si magistratus in officio suo negligens sit, ibidem non determinat, ac proinde nec Luthero nec Philippo in hac quæstione Chemnitius contradicit.

Argumenta Bellarmini: I.) ex scriptura.

1) *Matth. V, 32. Omnis qui dimiserit uxorem &c.*

§. DLXXXII. Restat, ut Bellarmini argumenta expendamus. Classes eorum constituit tres. Prima petita est ex *scriptura.* Altera ex *traditione.* Tertia ex *ratione.* Scripturæ dicta producit quatuor: 1) Matth. V. 32 *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Verba illa:* & qui dimissam duxerit, *vel universe sunt accipienda, vel cum exceptione, nisi ob fornicationem. Si universe, ergo qui dimissam duxerit, etiam ob fornicationem, mœchatur, ergo non fuerat dimissa quoad vinculum, sed solum quoad thorum, non enim mœcharetur, qui illam ducit, nisi esset viro adligata. Si cum exceptione, ergo qui fornicariam a viro dimissam duxerit, non mœchatur. Ergo melior est conditio fornicariæ quam innocentis & castæ, nam fornicaria libera est, & nubere potest; innocens autem injuste dimissa nec priorem virum habere potest, nec alteri nubere. Atqui hoc absurdissimum est, ut lex Christi justissima dimissam juste meliori loco esse velit, quam dimissam injuste.* Resp. 1). Verba Christi non *universe* sed cum *exceptione* accipienda esse ex ipsis textus viscribus & antiquissimorum patrum interpretationibus ostendimus superius. 2). Scopus Christi est docere, quod is, qui uxorem ob aliam quamcunque causam dimiserit, nisi ipsa adulterium commiserit, & hac ratione conjugale fœdus nefarie fregerit, faciat eamdem mœchari, quia in causa est, ut ipsa alteri nubendo adulterium committat, & qui sic dimissam ducit, illum itidem dicit fieri mœchum, nimirum quia uxorem illegitime dimissam ducit, quæ alteri adhuc indivulso conjugii vinculo est adligata. Ulterius Christus hoc loco non progreditur, an vero etiam nocenti parti concedendum sit novum matrimonium, si magistratus in officio suo negligens sit, suo loco videbimus. 3) Demus ex hypothesi, adulteram juste dimissam posse nubere, innocentem injuste dimissam non habere potestatem alteri nubendi; ex eo tamen lex Christi justissima non poterit injustitiæ adcusari, quia injuste dimissa habet jus suum maritum repetendi, cum conjugale vinculum nondum sit solutum, sed adultera, juste dimissa, non habet jus maritum suum repetendi, cum conjugii vinculum sit solutum: quod si ergo continere nequeat, ac magistratus officium suum in puniendo adulterio negligat, potestas novi matrimonii ipsi datur. Pontificiorum sententia injustitiæ adcusari majori specie potest, quod æquali pœna juste & injuste dimissam adficiunt, dum utrique aditum ad nuptias intercludunt. 4) Falsum igitur est, quod Bellarminus in suo argumento præsupponit, *injuste dimissam nec priorem virum habere posse, nec alteri nubere.* Posterius concedimus, sed prius negamus. Potest enim judicium magistratus implorare & jus restitutionis urgere. Quod si vero maritus pertinaciter recuset, injuste dimissam recipere, sit malitiosus desertor, & sic injuste dimissa accipit novi matrimonii potestatem. 1 Cor. VII 15. 5) Distinguendum inter id, quod descen-

descendit ex regula stricti juris, & quod ex ἐπιεικείᾳ & συγγνώμῃ conceditur. Adulteræ juste dimissæ si novi matrimonii potestas datur, id fit ex ἐπιεικείᾳ, ratione habita conscientiæ & periculorum. 6) Causa melioris conditionis, qua frui videtur adultera præ innocente injuste dimissa, non pendet ex lege Christi, hoc est, ex doctrina Christi, qua ad primam conjugii institutionem nos revocavit, quia lex divina, quæ etiam Christi lex est, Levit. XX. 10. Deut. XXII. 22. adulteram capitali supplicio adfici jubet, sed ex præpostera magistratus indulgentia ac conniventia. 7) Virgo, quæ perpetuam continentiam vovit, ex hypothesi Bellarmini non potest nubere, quæ voto continentiæ nondum est adstricta, potest nubere. Ergone Bellarminus dicet, priorem ex lege Christi deterioris esse conditionis quam posteriorem? hac ratione una litura delebit, quæ de votivi cœlibatus dignitate ac meritis coram Deo libr. II. de monachis per aliquot capita disputavit. 8). Πρῶτον ψεῦδος illationis Bellarminianæ in eo consistit, quod existimat, Christum *Joh. VIII. sustuliſſe legem moſaicam de adulteris capitaliter puniendis* libr. de matrim. cap. XVI. §. 4. ex eo enim color aliquis argumento accedit, quod juxta legem Christi melior sit conditio adulteræ, quam castæ injuste dimissæ. Sed falsitas illius hypotheseos suo loco demonstratur.

§. DLXXXIII. II.) Marc. X. 11. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.* v. 12. *Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Similia habentur Luc. XVI. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur. Hæc verba univerſaliter docent, nunquam ita diſſolvi matrimonium inter fideles contractum & conſummatum, ut liceat ad alias nuptias tranſire.* Respondet

II.) Marc. X. 11. Quicunque dimiſerit.

Chemnitius, *esse universalem ac necessariam regulam in evangelistis*, (quam Augustinus in libr. de consens. evang. sæpius repetit,) quod *vera interpretatio & sententia quærenda ac desumenda sit ex collatione descriptionum, quæ exstant apud reliquos evangelistas, ita enim mutuas operas tradiderunt, ut, quod unus brevius & obscurius posuit, illud alter suppleat, & clarius explicet.* Conferenda igitur est etiam Matthæi descriptio; quæ testatur, non semel, sed duobus locis Christum, diversis temporibus, quando materiam divortii tractavit, diserte addidisse exceptionem de casu fornicationis Matth. V. 32. XIX. 9. Non itaque simpliciter universales sunt sententiæ illæ Christi in Marco & Luca, sed cum illa exceptione accipiendæ, quam Matthæus Apostolus, qui illis concionibus Christi interfuit, duobus in locis addit. Huic solidæ & immotæ responsioni Bellarminus non erubescit obstrepere hoc modo „Evangelistæ omittunt quidem interdum aliquid, „aut addunt, quod alii evangelistæ non omiserunt, aut non addiderunt, sed nunquam „ita omittunt, ut sententia reddatur falsa; „nam alioquin evangelistæ homines decepissent, quibus evangelia sua tradiderunt, „nulla mentione facta reliquorum evangelistarum. Oportet igitur vera esse absolute, quæ Marcus & Lucas dicunt, neque „pendere a verbis Matthæi, nisi velimus deceptos fuisse eos, qui sine Matthæo Marcum aut Lucam legebant.„ *Resp.* 1) Qua fronte collationem illam evangelistarum hoc loco Bellarminus rejicit, cum eadem ipse utatur libr. I. de purgatorio cap. IV. § penult. „Non debet (inquit) exponi Matthæus per Marcum, sed potius Marcus per „Matthæum, cum Matthæus pluribus verbis utatur, & constet, Matthæum copiosius scripsisse, & Marcum fecisse quasi „compendium ex evangelio Matthæi. Et „postea: Si Christus protulit illa verba „*non remittetur* &c. ut habet Marcus, quam-

quam

„quam id non est probabile, tunc Matthæus „duce Spiritu sancto exposuit verba Christi, „& nisi inepte exposuerit, indicavit, in alio „seculo dimitti aliqua peccata.„ Id ipsum per omnia ad hanc quæstionem adplicare possumus. De collatione locorum scripturæ parallelorum (qua in his ipsis Christi dictis Matth. XIX. 32. & Luc. XVI. 18. Tertullianus lib. IV. adv. Marc. cap. XXXIV. utitur) in tract. de interp. script. late egimus. 2) Marcus & Lucas post Matthæum scripserunt; Marcus teste Hieronymo in catal. illustr. *epitomen evangelii a Matthæo scripti* confecit, æquum igitur est, ut ex Matthæi evangelio limitatio & exceptio illa addatur, quam cum a Matthæo reliqui evangelistæ vidissent additam, eam addere non judicarunt necessarium. 3) Nec Marcus, nec Lucas, sed Matthæus Christi concionibus interfuit, ex quo Bellarminus nos colligere docuit, Christum hæc verba ita prolocutum esse, ut exstant apud Matthæum. 4) Nec falsum scripsit vel Marcus vel Lucas, sed verissimam Christi responsionem ad pharisæorum quæstionem uterque consignavit, quod scilicet ex illa causa, de qua pharisæi quærebant, non liceat divortium facere. Exceptionem de *casu fornicationis* addidit Matthæus, quia Judæi negligebant legem divinam de adulteris interficiendis Joh. VIII. 1. & seqq quæ si in viridi observantia mansissent, non fuisset in populo Dei opus illa quæstione, an propter adulterium divortium facere liceat. *Exceptio non tollit regulam, sed eam firmat in cæteris.* Eadem ratione dicere possem, Matthæum imperfecte verba Christi descripsisse, vel ipsum Christum doctrinam de divortio imperfecte tradidisse, propterea quod non faciat mentionem desertionis ab infideli institutæ, quam exceptionem Paulus adjicit 1 Cor. VII. 15. 5) Ipsa necessitas nos cogit, ut in verbis Marci & Lucæ subintelligatur illa exceptio, nisi velimus statuere, quod Marcus & Lucas pugnent cum Matthæo. Ex verbis enim Matthæi colligitur hæc propositio: *Non omnis, qui dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mœchatur*; quia qui ob fornicationem dimiserit uxorem, & aliam duxerit, non mœchatur. Quod si Marci & Lucæ verba tam absolute & generaliter velimus accipere, quasi omnis omnino, qui dimiserit uxorem, & aliam duxerit. etiamsi ob fornicationem dimittat, mœchetur, contradicent verbis Matthæi. Regerit Bellarminus, *non debere ex verbis Matthæi hoc inferri, cum negative, non autem exceptive intelligenda sint.* Sed miserum istud effugium supra satis fuit refutatum, hoc loco notamus illud, quod Bellarminus non inveniat, ubi pedem figat, id quod ex prolixo illius discursu manifestum. „Cur id non debeat inferri, (inquit) „cum plane sequi videatur, (notetur hoc, quod lux veritatis ipsi expressit) „multæ causæ reddi solent. Durandus dicit, Christum loqui apud Matthæum præ„supposita lege veteri, quæ jubebat adul„teras occidi, hac enim lege servata, lice„bat in causa fornicationis uxorem dimit„tere, & aliam ducere, quia nimirum pro„pter adulteræ supplicium extremum diri„mebatur vinculum conjugii. Hæc solutio „mihi non probatur &c. Et postea: Hac „ergo solutione omissa, aliqui dicunt, ver„bum, *mœchatur*, referendum esse divi„sim ad utramque partem sententiæ hoc mo„do: Quicunque dimiserit uxorem suam, „nisi ob fornicationem, mœchatur, & qui „aliam duxerit, mœchatur; bis enim mœ„chatur, qui uxorem ducit priore dimissa „extra casum fornicationis, semel quidem „adulterio uxoris, cujus ipse causa fuit per „injustam dimissionem, & semel adulterio „proprio per novæ uxoris vivente priore „conjunctionem. Alii dicunt, nec minus „probabiliter, illud *nisi ob fornicationem* „non pertinere nisi ad dimissionem, cum „qua immediate conjungitur, & esse per„renthesin pronunciandum, & aliquid sub„intelligendum hoc modo: Quicunque di„miserit uxorem, quod non licet, nisi ob „fornicationem, & aliam duxerit, mœcha„tur.

„tur. Sunt & aliæ explicationes minus pro„babiles, quas Abulensis, Alphonsus de „Castro & alii excogitarunt, sed optima est „Augustini lib. I. de adul. conjug. cap. IX. „ubi docet, illud *nisi ob fornicationem* ac„cipiendum esse negative, non exceptive. Hæc omnia Bellarminus, quæ irritum eorum conatum, qui a proprietate & perspicuitate literæ discedentes peregrinas explicationes quærunt, satis manifeste comprobant. Pii ac moderati animi est, non operose quærere, quomodo scriptura variis modis torqueri possit, sed quæ sit propria & genuina cujusque loci sententia. 6) Si Christus causam fornicationis noluisset a generali prohibitione divortii excipere, frustra & supervacanee addidisset, *nisi ob fornicationem*; potuisset enim generatim & facilius dicere: Omnis, qui dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mœchatur. Regerit Bellarminus, *Dominum hoc solum dicere voluisse, quod non liceat dimittere non fornicariam, & alteram ducere, utrum autem liceat aliam ducere, Dominum tunc aperte dicere noluisse, quia hoc altius erat, quam ut ab auditoribus tunc capi posset.* Resp. imo vero Christus in suo responso, prout apud Matthæum describitur, utrumque complexus est, videlicet tum negativam thesin, pharisæorum quæstioni directe oppositam, quod non liceat dimittere uxorem, & aliam ducere quacunque levi de causa, tum affirmativam thesin, quam occasione neglectæ in populo Judaico legis de adulteris interficiendis addidit, quod ob fornicationem liceat uxorem dimittere, & aliam ducere. Somnium suum narrat nobis Bellarminus, quod *auditores non fuerint capaces hujus doctrinæ*, neque enim ulla probabili saltim ratione illud demonstrat.

§. DLXXXIV. III.) Rom. VII. 1. *An ignoratis fratres, scientibus enim legem loquor, quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit?* v. 2. *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro adligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir, liberata est a lege viri.* v. 3. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Similis locus habetur 1 Cor. VII. 39. *Ex his locis colligimus,* (inquit Bellarminus) *nunquam solvi vinculum conjugale nisi per mortem, & quia non solvitur, manere etiam post divortium quacunque de causa factum.* Resp. aliud est loqui de matrimonio *in se* ac *per se* accepto, quale est ex primæva institutione, aliud loqui de eodem, quale est ob *vitium aliquod superveniens*, quod per *accidens* illi contingit. Aliud est loqui de eis, quæ *regulariter & ordinarie* fiunt, ac juxta legem institutionis etiam fieri debent in conjugio, aliud vero loqui de *casu exceptionis extraordinario.* Cajetanus illud sic effert, *verba apostoli esse accipienda regulariter, non autem in casu*, ut sit sensus, vinculum viri cum uxore ordinarie & regulariter, nisi scilicet aliunde solvatur, durare usque ad mortem & tunc demum solvi. Hanc responsionem multis probare possumus argumentis. 1) Chemnitius urget apostolici textus *scopum. Paulus* (inquit) *in illo loco non tractat ex professo doctrinam de divortiis, sed ex institutione conjugii, quod sit individua conjunctio, similitudinem, quatenus propositio suo congruit, adsumit.* Matrimonium per se juxta divinam institutionem est indissolubilis conjunctio, quæ non nisi morte dissolvitur, & hactenus similitudo illa serviebat Pauli proposito; alia vero quæstio est de divortio, cujus similitudinem Paulus non attexuit, quia ad id, quod in illo loco agebat, ea non erat opus. Apostolus non tam contendit, vinculum permanere usque ad mortem, quam non durare post mortem, id enim tantum requirebat scopus, ut ostenderet, post mortem conjugis liberum esse alterum conjugem, sive ad mortem usque vinculum illud permanserit, sive non permanserit. 2) Urgeri potest *consequens absurdum.* Si apostolus absolute ac simpliciter statuisset, vinculum con-

III.) *Rom. VII. 1. An ignoratis.*

conjugii ita esse insolubile, ut nec propter fornicationem posset solvi, sustulisset vel abrogasset exceptionem Christi de casu fornicationis, quod absurdum. *Connexio* probatur, quia Christus in propria hujus doctrinæ sede Matth. V. & XIX. conjugii vinculum ex primæva ejusdem institutione ita insolubile esse docet, ut tamen adjungat exceptionem de divortio ob causam fornicationis facto. Ac si vel maxime negare velint pontificii, Christum in casu fornicationis concedere divortium quoad *vinculum*, non tamen negant, Christum eo in casu concedere divortium quoad *cohabitationem & thorum*. Atqui si quis verbis Pauli vim facere vellet, eademque citra omnem plane exceptionem ac limitationem accipere, posset ex illis inferre, quod ne quidem dimittere adulteram marito liceat. 3) Quin & sibi ipsi contradixisset apostolus, cum in casu malitiosæ desertionis partem innocentem servitute eximat, & in libertatem a lege conjugis infidelis adhuc viventis vindicet; utique ergo nequaquam absolutam conjugalis vinculi insolubilitatem statuere judicandus. 4) Urgemus *singulorum verborum emphasin. Scientibus legem loquor*, inquit. Atqui ex lege constat, post divortium aliud matrimonium fuisse licitum, ut superius ostendimus. 5) Loquitur apostolus de muliere, quæ est ὕπανδρος ac matrimonio adhuc constante juxta conjugii leges marito cohabitat. Sed repudiata ob adulterium non amplius est ὕπανδρος, sed potius, ut sic loquar, ἄπανδρος. 6) Denique cum hæc sit quædam *similitudo aut parabola*, non necesse est, eam per omnia quadrare; alias possem ex ea inferre, quod quemadmodum Christus ecclesiam suam nunquam ne minima quidem in re deserit, sic maritum non posse nec debere uxorem, quam semel sibi adsociavit, ulla in re deserere, ne quidem quoad thorum & habitationem, quod tamen pontificii quibusdam in casibus licitum esse statuunt.

§. DLXXXV. Hisce nostræ expositionis fundamentis antequam Bellarminus respondeat, in genere tria contra eam profert: 1) *Verba apostoli plana sunt & perspicua, ac mirum esset, apostolum nunquam addidisse exceptionem, si ea addenda esset, cum tam sæpe hæc repetiverit & inculcaverit.* Resp. exceptionem illam subintelligendam esse ex verbis Christi & ipsius apostoli, in confirmatione nostræ sententiæ demonstravimus. Hoc ipso in loco eamdem addi non erat necessarium, quia scopus apostoli, ob quem similitudinem ab indissolubilitate matrimonii adducebat, id minime requirebat. 2) *Interpretes Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, Primasius, Anselmus & alii eodem modo exponunt.* Resp. ex ipsis patribus pro nostræ sententiæ confirmatione suo loco quædam adduximus. 3) „Ratio similitudinis „id ipsum requirit. Volebat apostolus pro„bare, legem veterem obligasse usque ad „Christum, sed jam non amplius obligare, „ad quod probandum utitur similitudine du„cta a matrimonio. Quemadmodum enim „vir & uxor tamdiu sibi invicem obligan„tur, donec alter eorum vel uterque moria„tur, sic etiam tamdiu homines legi sunt „subjecti, donec vel ipsa lex abrogetur, & „sic quodammodo moriatur, vel homines „translati in alium statum a lege eximan„tur, & eo modo legi moriantur, quorum „utrumque per Christi mortem est factum„. „Hæc similitudo Pauli omnino requirit, ut „vir & uxor nullo divortio aut repudio, „sed sola morte liberari queant a vinculo „conjugii. Nam quam diu lex vetus vigebat, „nunquam poterant Judæi ejus jugum a se „excutere, etiamsi illi repudium dare, & „ab ea divortium facere conarentur, forni„cando cum variis legibus falsorum Deorum, „ergo eodem modo, quanto tempore mari„tus vivit, nunquam potest uxor a vinculo „conjugii liberari, quamvis cum multis „aliis viris fornicetur.„ *Resp.* apostolus illud tantum hac similitudine declarare voluit, quod quemadmodum uxor per mortem mariti liberetur a lege & vinculo conjugii, sic per mortem Christi lex sit abroga[illegible] &

quasi mortua, & nos hac ratione a legali servitute liberati & in libertatem restituti simus. Ulterius non progreditur apostolus, nec extra illum scopum similitudo apostoli est extendenda. Quod si vel maxime extra illum scopum similitudinem adductam quis extendere velit, nihil aliud ex eo inferre poterit, quam illud, quod quemadmodum Judæi non potuerint spirituali sua fornicatione jugum legis excutere, ita adultera non possit jugum conjugii per fornicationem corporalem excutere. At non quæritur hoc loco, an adultera possit vel debeat excutere partem innocentem, sed an pars innocens abs se excutere possit adulteram? id quod fieri posse ac licitum esse eadem similitudine a spirituali conjugio deducta demonstrari potest. Quemadmodum enim Christus, ecclesiæ suæ sponsus, synagogæ Judaicæ, quæ quondam erat ipsius sponsa & uxor, Jer. III. 1. Ezech. XVI. 8. &c. libellum repudii dedit, ut non amplius fuerit ejus uxor, Os. II. 2. sed aliam ex gentibus sponsam sibi elegerit, & quemadmodum adhuc hodie particulares ecclesias propter adulterium spirituale a se abdicat, & alias in spiritualem sponsam sibi eligit: sic maritus uxorem adulteram a se poterit ejicere & aliam ducere.

§. DLXXXVI. In specie contra nostræ explicationis fundamenta regerit: 1) *Apostolum voluisse ostendere, non solum conjugii vinculum non durare post mortem, sed etiam durare toto tempore vitæ alterius conjugis. Nam illud non durare post mortem apertissimum erat, nec fuisset opus ad id persuadendum adlegare legem.* Resp. scopum apostolicæ disputationis iam ante monstravimus, ad quem sufficit, si conjugii vinculum morte dissolvi, & non ultra mortem durare statuatur. Quod si vel maxime etiam eo extendatur similitudo, quod vinculum conjugii duret toto tempore vitæ alterius conjugis, tamen nihil aliud inferri poterit, quam quod matrimonium in se & sua natura consideratum sit vinculum indissolubile, cui per accidens contingit, ut ob superveniens adulterii crimen dissolvatur. Sic jurisconsulti matrimonium definiunt, quod sit *individuæ vitæ societas & conjunctio*, nihilo tamen minus propter adulterium divortium fieri posse concedunt. Legem propterea apostolus adducit, quia Judæi erant perquam *νομοφίλοι*, ac doctrinam de libertate christiana in legem mosaicam injuriam & contumeliosam esse existimabant, inde peculiari consilio apostolus similitudinem ex ipsa lege petitam adducere voluit. 2) „Conclusio apostoli non erat solum, non obligari christianos ad legem, sed etiam obligari ad non recipiendam ullam aliam: „sicut etiam Hebræi obligabantur, legem „Mosis servare toto tempore, quo ea vive„bat, nec poterant ullo prætextu eam de„serere„. *Resp.* si Christiani obligantur ad non recipiendam ullam aliam legem, cur igitur pontifici romano tribuunt potestatem promulgandi leges conscientiam obligantes, per universam ecclesiam observandas? cur traditionum humanarum jugum contra libertatem tam caro pretio a Christo partam hominibus imponunt? Sed de his alibi, hoc loco monemus, Bellarminum apostolicam similitudinem ultra scopum & ultra comparationis tertium extendere, quin & *πρότασιν* similitudinis penitus invertere. Apostolus enim legem comparat viro, ut ex verbis ipsius manifestissime liquet; *lex*, inquit, *homini dominatur, quanto tempore vivit*; at dominari est mariti, non uxoris. Bellarminus contra legem videtur comparare uxori, quia ex hac similitudine demonstrare cupit, quod quidem Judæi non potuerint ullo prætextu legem deserere, donec moreretur per abrogationem, sic maritum non posse ullo prætextu uxorem deserere, donec moriatur. 3) *Nec in Christi nec in apostoli verbis divortium quoad vinculum habet fundamentum.* Sed hac de re ex antea dictis judicium fieri potest. 4) *Illud apostoli*, scientibus legem loquer, *a Theodoreto & Ambrosio exponitur de lege naturæ vel evan-*

evangelica, non de lege veteri. Resp. imo vero loquitur de tali lege, quæ peculiariter nota erat Judaico populo, ut emphasis verborum ostendit. In toto illo cap. VII. nomen *legis* absolute positum non nisi de mosaica lege accipitur, nec ulla ratione probabile est, apostolum in principio statim cap. æquivocationibus ludere voluisse. Præterea insolubilitas illa matrimonii, quam Bellarminus ex loco apostolico evincere conatur, non descendit ex lege naturæ, sed ex lege evangelica de indissolubili matrimonii sacramento, ita enim docet cap. 12. §. penult. Quomodo igitur verba apostoli de *lege naturæ* explicare potest, ut sibi non aperte contradicat? Sed nec novam aliquam legem evangelicam de matrimonii firmitate atque indissolubilitate Christus tulit, de qua verba apostoli intelligi possint, sed ad primævam duntaxat conjugii institutionem nos revocavit, ut ex Matth. XIX. 6. sole clarius constat. „At, inquit Bellarminus, aut „repudium in lege veteri solvebat revera „vinculum conjugii, aut non solvebat. Si „non solvebat, & tantum permittebatur, ut „minus malum, non autem ut licitum, ut „habet communior opinio doctorum, tum „parum refert, de qua lege apostolus loqua„tur. Si vero solvebat vinculum, & per„mittebatur ut licitum, tum non potest „Pauli locus de lege Mosis intelligi, quia „falsum esset, quod Paulus dicit, vivente „viro vocabitur adultera, si fuerit cum al„tero viro, neque enim vocabatur adulte„ra, quæ vivente viro erat cum altero vi„ro, si repudium licitum erat, & conjugii „vinculum dissolvebat.„ *Resp.* an in vet. test. facto divortio novum conjugium fuerit permissum ut minus malum, an vero ut licitum, postea videbimus, hoc loco utimur in versione. Bellarminus cap. XVII. seq. in resp. ad object. 14. *probabilissimam* statuit *opinionem eam, quod in lege veteri per repudium vinculum conjugii ita fuerit solutum, ut novum matrimonium non tantum ut minus malum, sed etiam ut licitum Judæis fuerit permissum.* Ergo non potest nec debet verba apostoli tam late & generaliter accipere, quod nulla plane ratione, ac ne quidem in casu fornicationis vinculum conjugii inter conjuges adhuc viventes dissolvatur. Certum omnino est, apud Judæos usitata fuisse divortia non solum quoad *thorum*, sed etiam quoad *vinculum*, ut ex forma libelli repudii suo loco adparebit, nec potest Bellarminus hoc reddere dubium & controversum confusione distinctarum quæstionum; aliud enim est quærere de *foro conscientiæ*, aliud de *consuetudine politiæ Judaicæ.* Ad Bellarmini igitur argumentum respondemus, plus subsumi in consequente, quam antecedens permittit. Ex eo enim, quod in lege veteri ob repudium solutum fuit matrimonii vinculum, non potest inferri, quod Pauli locus non possit de lege mosaica intelligi; sed illud tantum sequitur, quod Pauli locus non possit tam generaliter & late intelligi, ut loquatur de matrimonio per divortium soluto, sed tantum de matrimonio adhuc constante. 5) *Mulier non minus post divortium quam ante divortium est ὕπανδρος, si divortium non solvit conjugii vinculum, unde etiam apostolus generalem conclusionem infert, & 1 Cor. VII. generatim dicit*: Mulier adligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. *Resp.* petitur principium. Etsi enim adhuc superstes est is, qui ante divortium fuit vir ejus, tamen post divortium in casu fornicationis factum non amplius est ejus vir, nec potest adultera simul esse cara mariti & adulteri. Generalis conclusio apostolica ex ipsa propositione, ex scopo & emphasi verborum est explicanda. Quomodo enim universalior potest esse conclusio quam propositio, cum de uno & eodem subjecto utrobique agatur, de tali scilicet muliere, quæ in propositione descripta & circumscripta fuit per vocem ὕπανδρος? 6) *Similia non quidem in omnibus sunt similia, tamen debent similia esse in eo, in quo est vis argumenti ex illa similitudine ducti. Requirit autem vis argumenti*

ti Paulini, ut ſicut vinculum legis nullo modo diſrumpi poteſt quacunque prævaricatione intercedente, donec ea lex vivit, ita vinculum conjugii perſeveret, quacunque interveniente ſcortatione, donec maritus aut uxor vivit. Reſp. contrarium demonſtravimus ſuperius.

§. DLXXXVII. IV.) 1 Cor. VII. 10. „His, qui matrimo„nio juncti ſunt, præcipio non „ego, ſed Dominus, uxorem „a viro non diſcedere, quod „ſi diſceſſerit, manere innup„tam, aut viro ſuo reconci„liari.„ Ex hoc loco, dicit Bellarminus, „argumentum plane inſolubile colligi. Nam „vel mulier, de qua dicitur, *ſi diſceſſerit* „*&c.* diſceſſit ex juſta cauſa divortii, ut „fornicationis, hæreſis & quæcunque ſit „alia, vel ſine tali aliqua cauſa. Poſterius „dici non poteſt, nam Paulus non diceret „de tali fœmina, maneat innupta, aut viro „ſuo reconcilietur, ſed diceret, maneat in„nupta, donec viro ſuo reconcilietur, & „omnino ad virum ſuum redeat, non enim „poterat Paulus permittere injuſtum divor„tium contra expreſſum Domini præceptum. „Etſi in eodem capite Paulus non permittit „conjuges abſtinere a carnali commercio ob „orationem & ad tempus, niſi ex conſen„ſu, quomodo permitteret conjugem invi„to marito ſine ulla cauſa juſti divortii ſe„paratam a viro manere? Loquitur ergo ſi„ne ullo dubio de muliere, quæ diſceſſit ob „juſtam aliam divortii cauſam. Atqui iſta „non poteſt alteri nubere, ut Paulus aper„tiſſime dicit. Ergo etiam cauſa divortii „non ſolvit vinculum conjugii, neque licet „conjugibus juſto divortio ſeparatis ad alia „tranſire conjugia.„ Reſp. 1) Apoſtolus expreſſe præmittit, ſe repetere præceptum Domini de divortiis. In illo præcepto Chriſtus duo complectitur. *Primo* propter quas cauſas non ſit licitum divortium, ita ut legitime poſſit aliud matrimonium contrahi. *Secundo* addit exceptionem de cauſa fornicationis. Hujus præcepti partem duntaxat priorem, non autem poſteriorem apoſtolus repetit, id quod ſuperius quatuor argumentis fuit demonſtratum, & contra Bellarminianas ἐνστάσεις adſertum. 2) Proinde non agit hic apoſtolus de tali diſceſſione, quæ fit ob caſum fornicationis, in ea enim vinculum matrimonii diſſolvi, & parti innocenti jus novi matrimonii a Chriſto concedi, invictis argumentis fuit demonſtratum; ſed loquitur de diſſidiis, quæ extra caſum fornicationis inter conjuges oriuntur, adeo ut interdum pars una ab altera diſcedat, quibus diſſidiis ac ſimultatibus nequaquam ſolvitur conjugale vinculum, nec licet vel utrique vel alterutri parti novum matrimonium contrahere. 3) Nec poteſt ullo veritatis robore contrarium ex textu apoſtolico probari. Quod enim apoſtolus *disjunctive* de ea, quæ ſine juſta divortii cauſa diſcedit, inquit: *maneat innupta, aut viro ſuo reconcilietur*; ex eo inferri nequit, quod injuſtum divortium adprobet, quia apoſtolus loquitur non de jure, ſed de facto, nec *abſolute*, ſed *comparate*, hoc ſenſu, ſi conjux ex alia quavis cauſa præter adulterii crimen diſcedit, videlicet propter quamdam contumaciam & malam converſationem mariti, ac nolit vel non poſſit illi reconciliari, tum a novo conjugio abſtineat, cum per illas cauſas politicas vel œconomicas vinculum prioris conjugii coram Deo & in conſcientia non ſit ſolutum. Non ergo dat apoſtolus parti ex injuſta cauſa diſcedenti optionem, ut *aut innupta maneat, aut conjugi reconcilietur*, ut Bellarminus cap. XIV. præced. ſuſpicatur; ſed potius revocat eam ad reconciliationem, quia non tam *adprobationis* vel *permiſſionis* quam *territionis* ac *comminationis* vox eſt: *maneat innupta, aut viro reconcilietur*, id eſt, talis deſertrix fruſtra poteſtatem ac ſpem novi matrimonii ſibi ſomniat, quinimo ſciat, ſibi in perpetuo cœlibatu vivendum eſſe, niſi viro ſuo velit reconciliari. Quo pertinet, quod Tarnovius libr. III. de matrim. cap. IX. & XXVIII. ex Suida & aliis

IV.) 1 *Cor. VII.* 10. *His, qui matrimonio juncti ſunt &c.*

aliis autoribus demonstrat, particulam ἢ non esse perpetuo διαζευκτικὴν *disjunctivam*, sed quandoque διασαφητικὴν, præsertim in comparationibus. Vid. tract. de euchar. §. 40. 4) Si apostolus loqueretur de discessione ob fornicationem, diserte contradiceret Christo, qui Matth. V. 32. & XIX. 9. ob fornicationem discessionem concedit. Ac si vel maxime pontificii excipere velint, *Christum duntaxat quoad thorum, non autem quoad vinculum divortium fieri permisisse;* nondum tamen contradictio erit sublata, quia apostolus diserte de discessione loquitur: *Uxor non discedat a viro, maritus non dimittat uxorem.* Apostolus loquitur vel de discessione quoad *vinculum*, vel de discessione quoad *thorum*. Si prius, probatum erit divortium quoad vinculum. Si posterius, falso provocat ad verba Christi, qui cum de divortio Judæorum interrogaretur, de iisdem respondit, jam vero Judæis discessiones quoad thorum tantum incognitæ fuerunt. 5) Perquam absurdum est, quo Bellarminus cap. XIV. disputat, *apostolum non loqui de eadem discessione* v. 10. *& 11. in priore enim ipsum agere de discessione injusta, in posteriore de discessione justa.* At quæ per Deum immortalem hæc est συνάφεια & συνέχεια in textu apostolico? *Præcipio uxorem non discedere a viro* extra causam fornicationis, *si autem discesserit* ob fornicationem, *maneat innupta*? quin imo utrumque membrum de una eademque discessione extra causam justam, videlicet fornicationis, agit, ac primo quidem apostolus prohibet non debere talem discessionem fieri, postea ostendit remedium reconciliationis, si de facto talis discessio contingat, ac comminationem perpetui cœlibatus addit, si pars injuste discedens reconciliationem admittere nolit. Adversativa idem re adsumit, quod in præcedenti sententia fuit præmissum, alias adversativa non erit.

§. DLXXXVIII. *Alteram* argumentorum classem deducit Bellarminus ex *traditione*, ubi per singula secula discurrendo producit Clementem Rom. in canonibus apostolorum can. XLVIII. Justinum & Athenagoram in apol. pro Christ. & ad Antonin. Clementem Alexandrum, libr. II. stromat. Tertullianum libr. IV. adv. Marcion. Origenem tractat. VII. in Matth. concilium Elibertinum can. IX. Ambrosium in cap. XVI. Luc. Hieronymum in epist. ad Oceanum, Chrysostomum homil. XVII. in Matth. concilium Milevitan. can. XVII. Africanum can. LXIX. Innocentium I. in epist. III. ad Exuperium, Augustinum in libr. de adult. conjug. Primasium 1 Cor. VII. Isidorum libr. II. de offic. div. cap. XIX. Bedam in Marc. X. concilium Forojulienſe can. X. Theophylactum in Matth. XIX. & in 1 Cor. VII. concilium Nannetense can. XII. Anshelmum in cap. V. & X. ſex Matt. Alexandrum III. pontificem in c. XI parte X. de sponsi. & matrimon. Innocentium III. c. Gaudemus de divortiis, doctores scholasticos, concilium Florentinum in instruct. Armen. ac tandem etiam concilium Trident. sess. XXIV. can. 7. Resp. I.) In *genere*: 1) Unica doctrinæ cœlestis regula verbum est. Ex uno Domini verbo sapientia vera. „Spiritus sancti doctrina est, quæ „canonicis literis est prædita, contra quam „si quid statuant concilia, nefas duco, ait „Hieronymus in Galat. I. Ego solis illis „scripturarum libris, qui jam canonici adpellantur, hunc honorem & timorem dideri deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse firmissime credam, „alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed „quia mihi vel per illos autores vel probabili aliqua ratione, quod a veritate non „abhorreat, persuadere potuerunt,„ inquit Augustinus epist. XIX. ad Hieron. quam esse catholicam omnium vere catholicorum doctorum sententiam, suo loco demonstravimus. 2) Ipsi pontificii in conciliis & patribus errores quosdam agnoscunt, nec eorum autoritatem recipiunt, nisi quatenus Ro-

II) Ex traditione.

mani pontificis sententiæ per omnia consentiunt; relinquant igitur nobis illam libertatem, ut Spiritus sancti in scriptura ad nos loquentis sententiæ eamdem subjiciamus, & juxta verbi normam de illorum decretis & effatis judicemus. 3) Ad unanimem ecclesiæ consensum demonstrandum non sufficit *quorumdam* duntaxat patrum sententiam adferre, sed requiritur, ut *omnes* uno ore illud adfirmasse ostendatur. 4) Quorumdam ex antiquitate & Græcæ cumprimis ecclesiæ in hac quæstione suffragium ipsimet pontificii nobis largiuntur. Alciatus, Covarruvias, Sixtus Senensis, Erasmus, Catharinus, Cajetanus &c. non diffitentur, quosdam ex patribus vetustissimis nostræ sententiæ ὁμοψήφους esse. 5) Quædam testimonia sunt a quæstione aliena, quædam ambigua, quædam, utpote recentiora, sunt suspecta, ut ex speciali singulorum examine adparebit.

§. DLXXXIX. II) In *specie*. 1) *Canones apostolicos* a Clemente Romano editos esse apocryphos, & falso tribui apostolis, in patrologia demonstrabimus ex styli ratione, temporis collatione, contentorum examinatione, adeoque ex ipsorum adversariorum confessione. Consulat interim Bellarminus judicium Gelasii pontificis c. *Sancta Romana* sc. distinct. 15. imo audiat se ipsum libr. I. de verbo Dei cap. XX. *Non sine causa Gelasius posuit inter apocrypha canones apostolorum, quod propter aliquos vel corruptos vel abditos ab hæreticis fecisse videtur.* Atqui ex instrumento corrupto & falsato quænam potest peti probatio? Adde quod can. XLVIII. ad quem Bellarminus provocat, nullam divortii ob adulterium facti mentionem continet, sed simpliciter dicit: *Si quis, cum suam a se uxorem abjicit, aliam duxerit, aut ab alio dimissam, a communione segregator.* Temerariis igitur repudiis, non autem justo divortio hic canon est oppositus, sicut & Balsamon commentator ejus in not. exponit: *Qui suam uxorem præter rationem ejicit, aut qui liberam non accepit, sed ἀπολελυμένην, quæ non ex lege a suo marito est separata, a communione segregetur.* 2) *Iustinus, Athenagoras & Clemens Alexandrinus* itidem de temerariis duntaxat divortiis proprio arbitrio circa fornicationis causam expressa Christi voce Matth. V. & XIX. prohibitis agunt. Quod secundas nuptias post mortem prioris uxoris contractas Athenagoras ἐυπρεπῆ μοιχείαν vocat, id manifestum facit, quantum ejus autoritati tribuendum sit. 3) De *Tertulliano & Origene* diximus superius. Tertullianum Sixtus Senensis pontificius numerat inter eos, qui *certa & indubitata adsertione utriusque repudii, hoc est, a contubernio & connubio licentiam adprobarunt;* Bellarminus eum pro sua adducit sententia. Conciliet hæc, qui potest. 4) Ex *concilio Eliberino* sive *Elibertino* Gratianus caus. 32. q. 7. adducit quemdam canonem, qui marito permittit, ut abjecta uxore, quæ cum fratre mariti se miscuerat, ducat aliam. 5) *Ambrosius* loquitur de *dimissione, quæ fit sine crimine*, ut se ipsum disertis verbis explicat, quod enim in causa divortii propter adulterium legitime factum marito jus novi matrimonii concedat, ostendimus superius, nec potuit Sixtus Senensis inficiari. 6) *Hieronymi* sententiam vidimus superius. Fuit is in secundas nuptias post mortem etiam prioris conjugis iniitas perquam injurius, quin & primis parum æquus, ut ex ipsorum adversariorum confessione suo loco ostendimus, quid ergo mirum, quod nuptias post divortium adulterii causa factum ex perverso verborum Christi & apostoli intellectu improbet? 7) *Chrysostomus* contra divortia temeraria disputat, prohibiti post divortium legitimum matrimonii nullam omnino mentionem facit, ac nostræ potius sententiæ ipsum accedere, ostendimus superius. 8) *Concilium Milevitanum*, cujus canonem concilium *Africanum* repetit, vidimus superius. *Innocentius* III. de eo divortio loquitur, quod Christus Matth. V. 32. prohibuit. 9) *Augustini* ætate hanc quæstionem fuisse rigidius dispu-

ſputari cœptam, cum Chemnitio fatemur, ſed non poteſt Bellarminus Auguſtini autoritate in hac quæſtione nos premere, tum quia ab Auguſtini moderatione diſcedit, anathema diverſum ſentienti cum concilio Trid. dicens, cum Auguſtinus *venialiter duntaxat eum falli* exiſtimat, *qui contrarium defendit* lib. de fide & operib. cap. XIX. tum quia Auguſtini ſententiam in hac quæſtione de divortio ipſe ex parte deſerit, ſic enim ſcribit lib. de matrim. cap. XIV. §. 16. „Cur dimiſſionem ob crimen Dominus di„xerit non poſſe fieri, niſi cauſa fornicatio„nis, cum tamen poſſit fieri etiam ob alia cri„mina? Auguſtinus dicit, rationem eſſe, „quia nomine mœchiæ intelligi poſſunt om„nia crimina. Nam etiam idololatria & om„nis ſuperſtitio eſt fornicatio quædam ſpiri„tualis cum falſis diis &c. ſed ad literam „non eſt dubium, quin Dominus loquatur „de ſola fornicatione ſpirituali, & prætе„rea falſum eſt, ob quodlibet crimen poſſe „dirimi matrimonia etiam quoad thorum.„ 10) De *Primaſio* diximus ſuperius in explicatione dicti apoſtolici 1 Cor. VII. Poſteriores non moramur. In concilio *Florentino cum Græci a Latinis adcuſarentur, quod propter adulterium matrimonia diſſolverent, reſponderunt illi, ſe ſuas rationes habere*, ſcribit Bellarminus de matr. cap. XV. §. 2. illis ex manifeſtis Chriſti verbis deductis rationibus Latini debuiſſent adquieſcere. Tridentinum concilium quale fuerit, expoſuimus in tract. de magiſtratu politico.

§. DXC. *Tertiam*, eamque ultimam argumentorum claſſem complet Bellarminus quinque *rationibus*. Prima petita eſt *ex conjugii natura*. „Ma„trimonium fidelium ſignum „eſt conjunctionis Chriſti cum „eccleſia Eph. V. at illa unio indiſſolubilis „eſt, igitur & vinculum conjugale eſt in„diſſolubile. Et quamvis tota ſimul eccleſia „a Deo fornicari non poterit, tamen aliquæ „partes eccleſiæ, nonnulli videlicet fideles „fornicentur interdum ſpiritualiter & divor„tium faciunt, ſed non propterea licet illis „mutare Deum, aut Deus ita illos abjicit, „ut nolit reconciliari, imo ſemper horta„tur ad reconciliationem. Tale igitur de„bet eſſe conjugium Chriſtianorum, ut nun„quam tale divortium fiat, quin ſpes ma„neat reconciliationis.„ Reſp. 1) Præcipua omnimodæ inſolubilitatis ratio conſtituitur in eo, quod matrimonium fidelium ſit *ſacramentum* vere & proprie ſic dictum; at quid de hac hypotheſi ſit ſtatuendum, expoſuimus ſuo loco. 2) Eraſmus in adnot. in Matth. XIX. argumento ſic reſpondet: *Non protinus tollitur matrimonii ſacramentum, ſi in paucis conjugium male initum bene dirimitur, quamquam hanc rationem de ſacramento nullus veterum, quod ſciam, adduxit, cum tamen ſuper his crebra ac prolixa ſit diſputatio, præſertim Auguſtino & Hieronymo.* 3) Spirituale conjugium Chriſti & eccleſiæ non diſſolvitur per mortem Oſeæ II. 19. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*; poſſet igitur juxta Bellarmini topicam colligi, quod per mortem etiam non ſolvatur fidelium matrimonium. Chriſtus eccleſiam ſuam non deſerit, nec præſentiam ſuam ullo tempore ei ſubtrahit; vi igitur Bellarminiani argumenti divortium etiam quoad *thorum & menſam* erit illicitum. 4) Jerem. III. 1. Dominus Deus noſter ſe ipſum cum marito uxorem adulteram dimittente impariter confert, ac diverſitatem inter ſuum cum eccleſia & conjugum inter ſe fœdus conſtituit. *Vulgo dicitur: Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta & contaminata erit terra illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Quomodo igitur tanquam ſimpliciter & abſolute paria ea conferre poſſumus? 5) Non negamus, ſerio monendos & exhortandos eſſe maritos, ut conjuges adulteras, ſi veram ac ſeriam pœnitentiam agant, & certam ſpem emendationis præ-

III) Ex rationibus. I) Ab unionis ſpiritualis indiſſolubilitate.

beant, patiantur sibi reconciliari, perpendentes illud, quod fœdus spiritualis conjugii inter nos & Christum spirituali fornicatione a nobis violetur, interim tamen nolint Christum secum tam duriter agere, ut propterea sine spe reconciliationis in æternum eos a se projiciat, quam rationem Augustinus valde urget; sed quid si apud maritos talibus admonitionibus nihil proficiatur? certe non propterea privari possunt suo jure. 6) Sacramentum matrimonii sæpius dissolvitur per dispensationem papæ, ut suo loco videbimus, quanto magis statuendum, quod propter adulterium dissolvi possit, cum vox Christi Matth. V. & XIX. voci pontificis sit longissime præferenda. 7) Invertimus argumentum: Deus ipse synagogam Judaicam eo modo abjecit, ut aliam ex gentibus sponsam elegerit. Ecclesia Christo sponso ea lege conjungitur, ut ipsius vocem in verbo sonantem audiat & sequatur, qua spreta, si spiritualiter per idololatriam, hæreses & peccata contra conscientiam fuerit fornicata, & in apostasia ac peccatis sine pœnitentia perseveret, a Christo abjicitur. Apoc. II. 5. Quamvis enim tota ecclesia catholica non deficiat penitus, tamen ecclesiæ particulares, quæ itidem sunt Christi sponsæ, & quædam ex fidelibus animabus, quæ prius erant Christi sponsæ, deficiunt, & a Christo ita abdicantur, ut aliam sibi sponsam quærat. Eodem igitur modo maritus cum uxore adultera agere poterit. 8) Christus humanam naturam personalium nuptiarum fœdere & ecclesiam spirituali conjugio sibi copulavit, hanc carnem suam sanctissimam & ecclesiam vera fide sibi adhærentem nunquam repudiat vel abjicit: sic & maritus uxorem castam & fidelem non repudiet; sed quæstio hic est de marito, qui prostibulum inquinatissimum abjicit, ac de adultera, quæ se ipsam deposuit, quando alteri nefarie sese conjunxit. 9) Πρῶτον ψεῦδος consistit in eo, quod confunditur conjugium ex se & sua natura juxta leges primævæ institutionis consideratum cum vitio ex accidente superveniente. Etiamsi per accidens per adulterium rumpatur conjugii vinculum, non tamen desinit propterea esse ex sua natura indissolubile.

§. DXCI. II) *Si licitum esset aliud matrimonium, injuria adficeretur proles; nam filiis jam natis male consuleretur, qui pro patre vitricum, pro matre novercam habere inciperent.* Resp. 1) Satius est habere novercam piam & honestam, quam matrem adulteram. 2) Nec major habenda ratio prolis, quam mariti, ne ille injuria adficiatur, dum adulteram secum in thori consortio retinere cogitur. 3) Adultera potius insigni injuria prolem adficit, dum alienos, id est, ex adulterio conceptos filios familiæ infert. 4) Num parcendum etiam dicemus homicidis, ne liberi priventur suis parentibus? 5) Num etiam Deum adcusabimus, qui per mortem conjugia dissolvit, ut liberi alterutro parente orbati vitricum vel novercam sortiantur, utroque autem orbati tutoribus subesse cogantur? 6) Nec in omni conjugio nati sunt liberi, ergo ad minimum, quando non adest proles, ob adulterium separatio fieri poterit, quia tunc ratio adlata cessat? 7) *Qui utitur jure suo, nulli facit injuriam*, dicunt jurisconsulti. Sed maritus adulteram abjiciens & aliam ducens, utitur suo jure.

II) A liberorum incommoditate.

§. DXCII. III) „Si esset „licitum ejusmodi conjugium „vivente altero conjuge, ape„riretur aditus infinitis repudiis „etiam injustis. Nunc enim, „quia sciunt fideles debere se aut cœlibes „vivere, aut priori conjugi reconciliari, „non facile ad divortium adducuntur, at si „scirent, mox repudiata uxore posse aliam „duci, facilime divortia fierent, & quæ„rerent occasiones aliquando dissidiorum & „criminum.„ Resp. 1) Hæc ratio de divortiis temerariis privato arbitrio absque cognitione judicis levissima quacunque de cau-

III) A consequente repudiorum varietate.

causa alterius conjugis desiderio factis recte opponitur; hic vero quæstio est de divortio ob adulterium publice notorium facto, extra & præter quam causam nullam aliam legitimam ac licitam esse dicimus. 2) Ex nostra igitur sententia inferri nequit, quod aditus per eam detur infinitis divortiis, nisi præsupponatur, quod in ecclesia locus detur infinitis adulteriis, quod absit. 3) In nostris ecclesiis licitum est novum matrimonium divortio propter adulterium facto, nec tamen infinitis repudiis aditum esse patefactum videmus. 4) In divortio propter adulterium instituendo non agendum est nudis præsumtionibus, sed justis ac sufficientibus probationibus, *ac vera adulterii adcusatio ostendi debet*, ut præcipit imperator nov. 117. & pontifex II. de præsumtionibus. 5) Nec privato arbitrio & ausu quidquam statuendum, sed publica intervenire debet autoritas & legitima coram competente judice causæ cognitio.

IV) Ab absurditate.

§. DXCIII. IV) „Si post „divortium in causa fornica„tionis liceret parti innocenti „aliud matrimonium inire, „vel id liceret etiam nocenti, vel non liceret. Si liceret, ergo commodum ex pecato suo adulter reportaret, & sæpe etiam „viri dedita opera adulterium committerent, „ut possent ab uxore liberari & aliam uxorem ducere. Si non liceret, quæro inprimis quare? nam cum ea persona sit a vinculo prioris conjugii soluta, neque ulli „faciat injuriam, quare non potest matrimonium contrahere? Dices, quia lex prohibet. Sed ubi est lex prohibens? Neque „enim ulla exstat lex, quod sciam, quæ soli innocenti nuptias concedat. Deinde „cur prohiberet lex conjugari hominem solutum & proclivem ad vitia, quando nulla restat amplius spes reconciliationis cum „conjuge priore?„ Resp. 1) Magistratus juxta legem divinam animadvertat in adulteros, & res erit expedita. Conniventiæ magistratus haud mediocrem dedit occasionem impudentiæ Alexandri III. pontificis, qui adulterium numerat *inter crimina leviora*. c. *Clerici* &c. x. de judiciis. 2) An & quatenus nocenti parti matrimonium concedendum sit, inferius disputabimus. 3) Qui parti nocenti omnem novi matrimonii potestatem derogant, respondent, *in pœnam præcedentis delicti* illud fieri. Sic in jure civili diremto matrimonio conjugium negatur ei, quæ temere divertit, ac jus aliarum nuptiarum in quibusdam casibus post mortem viri quandoque denegari, constat ex c. *Literis* &c. 12. de præsumt. Bellarminus ipse cap seq. adducit cap. *Hi vero* &c. 32. q. 7. ubi statuitur, *ut mortua conjuge adultera vir ejus ducat, quam voluerit, mulier vero adultera, ne marito quidem mortuo nubere possit*, quod intelligendum esse dicit *de adultera, quæ cum propinquo aliquo suo peccaverit, & ideo simul incestuosa sit.* Thomas part. III. q. 59. art. 5. conjugi, qui ethnicam religionem retinet, secundas nuptias denegat, alteri autem evangelium amplexanti dat divortii & aliarum nuptiarum potestatem.

V) Ab ethnicorum exemplorum conformitate.

§. DXCIV. V) *Etiam apud ethnicos, ubi morum disciplina vigebat, nulla fiebant repudia. Scribit enim Tertullianus in apol. c. VI. Romæ per annos ferme sexcentos ab urbe condita nullum scriptum fuisse repudium: deinde autem eversa disciplina cum aliis vitiis etiam repudia introducta.* Resp. 1) Injuria nos adficit Bellarminus, dum ea, quæ contra *temeraria repudia* extra fornicationis casum facta recte dicuntur, nostræ sententiæ opponit; eo ipso enim tacite nobis tribuit, quod temeraria repudia adprobemus. 2) Adulteriis Christianis merito opponuntur exempla fidei & castitatis conjugalis in quibusdam gentilibus proposita, ac magistratui christiano recte inculcantur honestæ leges & pœnæ perquam graves in adulteros a sanioribus ethnicis statutæ; sed ex eo nulla veritatis specie inferri potest, marito non licere uxorem adulteram repudiare,

diare, atque aliam ducere, sed potius contrarium. Quia enim adultera tam tetro crimine sese contaminavit, ideo maritus a conjugali vinculo merito absolvitur. 3) Expendat Bellarminus fructus coacti cœlibatus in regno pontificio, ac definet nobis objicere, quod clarissima Christi verba secuti post legitimum divortium novas nuptias contrahendi potestatem innocenti parti concedimus. 4) Si de legitimis divortiis Bellarminus loquitur, quod ea fuerint ethnicis ignota & inusitata, ac proinde etiam a Christianis penitus exsulare debeant; negamus argumenti connexionem, quia non ex ethnicorum moribus, sed ex divinis legibus norma faciendorum nobis unice petenda est. Atque hæc sunt quinque illæ rationes Bellarmini. Hieronymus in comm. Matth. XIX. & habetur c. *Dixit Dominus* &c. 32. q. 1. aliam rationem adfert, quam Bellarminus prætermisit. *Quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptialem veteri culpæ crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut prima vivente secundam non habeat.* Resp. non ex præsumtionibus nec privata autoritate hic agendum esse dicimus, sed vel confessionem nocentis vel probationes sufficientes requirimus, & publicam magistratus autoritatem intercedere oportere dicimus.

MEMBRVM II.

DE CAVSSIS DIVORTII.

§. DXCV.

De causis divortii. I.) Ex historia politiæ Iudaicæ.

De *causis divortii* differemus 1.) ex *historia politiæ Iudaicæ*, 2.) *aliarum gentium*, 3.) *Romanæ*, 4.) ex *jure civili* & 5.) *canonico*; 6.) veram ex *Dei verbo* sententiam & ἐπίκρισιν subjungemus. I.) In *politia Iudaica* usitatum fuisse *κατὰ πᾶσαν αἰτίαν*, *quacunque ex causa*, uxorem dimittere, colligitur ex Josepho lib. IV. antiq. c. 8. ubi inter leges Mosis hanc recitat: *Qui a conjuge quacunque de causa, ut sæpe hominibus usu venit, disjungi postulat, scripto ei securitatem faciat, quod eam nolit amplius repetere, sic enim habebit potestatem alterius conjugis quærendæ, alioquin divortium non permittitur*; & ex quæstione, quam pharisæi Matth. XIX. 3. Christo proponunt. Abutebantur hanc in rem lege mosaica Deut. XXIV. 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manum illius, & dimittit eam de domo sua.* Hanc legem sic accipiebant pharisæi, quod bona conscientia etiam coram Deo quacunque levissima ex causa marito licitum sit uxorem repudiare, ac tum repudiantem tum repudiatam vivente priore conjuge aliud matrimonium contrahere posse statuebant. Proinde, si cui erat uxor vel sterilis, vel deformis, vel rixosa, vel morosa, illi judicabant licitum esse, eamdem repudiare & aliam ducere. Eccles. XXV. 34. *Si uxor non ambulat secundum manum tuam, a carnibus tuis abscinde illam*, δὸς καὶ ἀπόλυσον, da scilicet libellum repudii, *& dimitte.* Dabat enim maritus repudiatæ schedam sive libellum, cujus formulam ex Rabbi Mose de Chozi in lib. præceptorum describunt Fagius in adnot. ad targum Deuter. XXIV. & Andr. Osiander in adnot. ad harm. lib. III. c. XXIII. qua adhuc hodie Judæi utuntur, quæ in hunc fere modum sese habet. *In quarta sabbati* (id est, hebdomadæ) *in vigesima mensis Sivan* (Maii) *anno quinquies millesimo, &c. a creatione mundi hic & in hac civitate*

ego

ego Rabbi Iacob sic cognominatus filius Rabbi Iiz hac volui ex animo, atque citra ullam coactionem dimisi & ejeci hanc, quae hactenus fuit uxor mea, filia illius Rabbi, & concedo illi licentiam & potestatem, ut pro libitu suo vadat, quo voluerit, ducique possit ab omni viro, nec eam quisquam prohibere praesumat, in cujus rei testimonium dedi ei ספר כריתות, *libellum repuaij & schedam dimissionis atque signaculum divortii juxta constitutionem Mosis & Israelis.* Hebræa qui desiderat, is Fagium adire poterit. Drusius lib. XIV. observat. c. 10. miratur, *quod in hac formula desit securitas, quam maritus uxori de non repetendis ejus nuptiis fecerit,* cum Josephus testatum reliquerit, eam in veteri libello fuisse expressam. Sed securitas illa implicite continetur in verbis illis, quibus novarum nuptiarum potestatem ei facit; constabat enim ex lege, quod repudiatam alteri nuptam repetere non liceret. Cæterum Christus ab hac lege mosaica revocat pharisæos, a quibus quæstio de divortio ipsi proponebatur, ad primam conjugii institutionem, & temeraria illa divortia quacunque ex causa instituta cum ea pugnare demonstrat. *Ab initio creationis* (inquit) *non erat sic.* Solam autem fornicationis causam excipit, ob quam divortium licitum sit, quia illa directe pugnat cum natura matrimonii & contra ejus substantialia, proinde etiam vinculum conjugale dissolvit. Ad legem mosaicam a pharisæis sibi objectam respondet: *Moses πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἐπέτρεψεν, propter duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras,* distinguit igitur inter *forum conscientiae* ac *forum politicum*, inter *praecepta moralia* & *forenses promissiones*, quæ ob evitandum aliquod majus malum aliquid concedunt, quod cum lege morali & proximi caritate non usquequaque congruit. Etenim quia Judæi erant *populus durae cervicis*, Exod. XXXII. 9. XXXIII. 3. atque uxores suas, contra quas odium conceperant, tanta inhumanitate & truculentia tractabant, ut uxoricidium metuendum esset: ideo Moses, tanquam politicus legislator, divortium ipsis permisit, non quod esset res per se bona & primæ conjugii institutioni conformis, sed ut gravius malum in politica vitæ humanæ consociatione evitaretur.

Quatenus divortium in vet. test. fuerit concessum.

§. DXCVI. Quidam ex scholasticis, Thomas, Scotus, Durandus & Paludanus in lib. IV. sent. dist. 33. ac recentiores quidam pontificii scriptores, puta Abulensis in c. XIX. Matth. Cajetanus ibid. Eccius hom. LXXIV. de sacram. Petrus a Soto lect. XIII. de matrim. & Bellarminus de matrim. cap. 17. resp. ad object. 14. statuunt, *Iudaeis concessum fuisse repudium, non ut minus malum, sed ut aliquid per se coram Deo licitum.* Quo fine illud statuant, facile cuivis adparet, nimirum ut obtineant, *Christum esse novum legislatorem*, qui divortium in vet. test. licitum abrogaverit, ac novam legem tulerit, qua matrimonii vinculum penitus indissolubile fecerit. Sed redarguuntur illi a suis complicibus, Innocentio in c. *Gaudemus.* de divort. Azorio lib. VI. instit. moral. c. 13. quæst. 3. Covarruvia part. II. de matrimon. cap. 7. §. 4. Lombardo lib. IV. sent. dist. Bonaventura, Richardo, Paludano, Dominico a Soto atque aliis, qui temerarium illud divortium, extra casum fornicationis, perpetuo ac semper illicitum fuisse, a Mose vero tantum evitandi majoris mali causa permissum adserunt, hoc est, divortium esse ex eorum *numero, quae ignoscuntur quidem, sed non praecipiuntur nec probantur*, ut dicitur in c. *Nervi.* &c. dist. 13. quorum sententiam etiam nos amplectimur. Opponimus igitur Bellarmino. 1) *Ipsam conjugii institutionem*, quam & Christus con-

tra pharisæos urgebat: *Qui hominem ab initio creavit, masculum & faeminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhaerebit sive adglutinabitur uxori suae, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Magna in singulis verbis est emphasis. Deus ab initio non creavit unum masculum & plures fœminas, sed marem unum & fœminam unam, & duos illos conjugio copulavit. Ergo conjugium debet esse unius viri & unius fœminæ, non autem unius viri & multarum fœminarum consortium. Deus primam fœminam ex viro creavit, ut duo primi conjuges ex uno homine in duorum sexuum discrimine subsisterent. Ergo conjuges non debent temere divelli. Vir uxori suæ, non autem pluribus uxoribus adglutinari dicitur. Ergo non debent per divortium disjecari. *Erunt duo in carnem unam*, quasi unus homo & persona una. Ergo unitas illa non debet per divortium divelli. *Deus conjunxit*, συνέζευξεν, sub unum jugum copulavit conjuges. Ergo homo eos non debet separare. Hæc omnia manifeste ostendunt, divortia pugnare cum prima conjugii institutione, quam Moses abrogare nec voluit nec potuit, sed ea perpetuo ac semper legitimi conjugii etiam in vet. test. regula fuit. Hanc divinæ institutionis normam ut antiquissimam ita sanctissimam sequi debuerunt, ac secuti etiam sunt, quotquot conscientiæ suæ rationem habuerunt, ea enim clarissime ostendit, temeraria divortia cum natura conjugii pugnare, & id, quod divinitus conjunctum est, nefarie dissolvere. 2) *Propheticam redargutionem. Mirum esset*, inquit Bellarminus, *neque Mosen neque prophetas, qui alia vitia populi reprehendebant, nunquam palam reprehendisse ista adulteria, quae fiebant cum repudiatis.* At primæva illa conjugii institutio perpetuo in ecclesia Israelitica sonunt, quæ turpem illam uxores temere repudiandi licentiam satis superque redarguit, quin imo Malachias, ultimus vet. test. propheta, manifeste testatur, Deum temerariis illis Judæorum repudiis offensum fuisse, quando cap. II. 13. dicit: *Etiam hoc facitis, operiebatis lacrimis altare Domini fletu & gemitibus, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra.* v. 14. *Et dixistis: Quam ob causam? Quia Dominus testificatus est inter te & uxorem pubertatis tuae, quam tu despexisti, & haec socia tua & uxor fœderis tui.* v. 15. *Cavete ergo a spiritu vestro & uxorem adolescentiae tuae noli despicere.* v. 16. *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel, & operiat maritus violentiam supra vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum, cavete a spiritu vestro & nolite despicere.* Monentur mariti, ut potius, quam justas suas uxores superinductis aliis crudeliter adfligant, dent illis libellum repudii, ex quo adparet, non nisi majoris mali evitandi causa id permissum fuisse. Permittit quidem propheta repudium, sed non ut rem per se bonam & Deo gratam, quia diserte dicit, Deum propterea nolle ad ipsorum sacrificia respicere, quod despiciant & repudient uxores pubertatis suæ & uxorem fœderis, inter quam & ipsos Deus sit testificatus. Ergo non nisi ad evitandum majus malum permittit, ne scilicet irreconciliabile odium maritorum in cædem uxorum tandem desineret. 3) *Ipsius mosaicae legis considerationem.* Quod si enim legem mosaicam, qua Judæi unice nitebantur, exactius intueamur, adparebit, Mosen nequaquam præcipere vel adprobare divortia illa temeraria, sed frena potius ac remoras Judæis injicere, ne juxta aliarum gentium exemplum tam facile ad divortia properarent. *Primo* enim non *qualibet ex causa*, ut pharisæi in sua quæstione dicunt, divortium fieri permittit, sed

sed *propter fœditatem* in uxore deprehensam. In Hebræo est עֶרְוָה quod proprie significat nuditatem. Burgensis in addit. ad Lyran. Deut. XXIV. Drusius libr. XIV. observat. cap. 10. Gentilis lib. VI. de nupt. cap. 11. fœditatem non nisi de *adulterio* accipiendam putant; sed Christus non tantum ad adulterium, verum ad omnem σκληροκαρδίαν causam divortii a Mose permissi revocat, nec potuisset Moses a prima institutione conjugii quiddam diversum concessisse dici, sed tantum propter adulterium divortia fieri permisisset. Deut. XXIII. 14. usurpatur de turpitudine & immundicie quorumvis peccatorum: *Sancta erunt castra tua, ne Dominus in te videat æliquam nuditatem.* Targum reddidit עַבְרַת פִּתְגָם, *transgressionem rei, rem fœdam ac turpem.* Intelligitur ergo per fœditatem sive nuditatem grave aliquod delictum, quod tamen publicis legibus non erat capitale. *Secundo* non conceditur marito, ut uxorem protinus, ac libuerit, a domo exturbet, sed prius *repudii libellus* erat conscribendus. Fagius d. l. refert *marito* sua manu fuisse hunc libellum conscribendum, sed Augustinus libr. XIX. contra Faustum c. 26. refert, *solis scribis* hasce literas formare licitum fuisse. Illi ergo poterant reconciliationem prius tentare, ac propositis incommodis maritum a repudio dehortari, cumque in conficiendo repudii libello interdum mora satis longa fuerit injecta, ideo hac occasione multa divortia fuerunt impedita, hac de re Augustinus d. l. sic disserit: *Non dicit lex: Qui voluerit, dimittat uxorem suam, cui esset contrarium non dimittere, sed utique nolebat dimitti uxorem a viro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus praeceps libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset uxorem dimittere cogitaret.* *Tertio* Moses non utitur verbo *jubendi* vel *præcipiendi*, sed in futuro dicit, *scribet libellum repudii, & dabit ei in manus ejus.* Quamvis vero *futurum* apud Hebræos sæpe ponatur pro *imperativo*, tamen pro ratione subjectæ materiæ etiam *permissive* explicari potest, ut sit sensus: si aliter uxori prospici nequit, scribat vel scribi curet ejus maritus libellum repudii, & dimittat eam. *Quarto* talis libellus vocatur *liber excidii vel excisionis*, quia nihil facultatis vel spei relictum erat viro mulierem istam posthac reducendi sive revocandi, unde diserte additur v. 4. *Si repudiata alteri nupserit, non poterit prior ejus maritus eam recipere, ut sit ei in uxorem, postquam est polluta, quia abominatio est coram Domino.* Idem repetitur Jer. III. 1. mariti igitur illi, in quibus adhuc mica quædam pietatis & æquitatis, cogitatione perpetui illius excidii & exclusæ omnis spei de uxore revocanda a divortio abstrahi potuerunt. *Quinto* in illo repudii libello *nomen* repudiantis exprimebatur, ac *testes*, quibus præsentibus animum repudiandi expresserat, illi inserebantur, sic ergo publice apud omnes suam profitebatur morositatem, ac suæ existimationis jacturam non mediocrem faciebat. *Sexto* in illa ipsa lege mosaica *polluta* dicitur mulier, quæ in duplici coniugio ante & post repudium vixit, quo ipso viro dimittenti occasio pollutionis non obscure adscribitur, & divortiorum frequentiam Deo non probari intelligendum relinquitur. *Septimo* illud quoque observationem meretur, quod divortia leves ob causas facta a sapientioribus Hebræis nunquam fuerint probata. Nam de *Ben Sina*, quem putant fuisse *nepotem Ieremiae, prophetae*, commemoratur, *quod cum interrogatus esset a quodam, qui malam uxorem habebat, an eam dimittere deberet,* παροιμιακῶς *illi responderit: Os, quod cecidit in sorte tua rode, id est, uxorem, quam nactus es, sive bona fuerit sive mala, retine.* Sic enim hanc sententiam interpretaturis, qui scholia Hebraica in illum autorem edidit.

Tot circumſtantiis, inquit Fagius d. l. *repudium oneratur, ut maritus alicujus ſpei facile admoneretur primae inſtitutionis ac mutandae de repudio voluntatis.* 4) *Ipſius Chriſti declaratione.m. Moſes*, inquit, *propter duritiem cordis veſtri permiſit vobis repudiare.* Apud Marcum conceſſionem moſaicam vocat ἐντολὴν, *praeceptum*, ſed illud nomen generaliter hic uſurpari pro politica quadam conceſſione colligitur ex Matthæo, apud quem vocatur permiſſio. Ambroſius lib. VIII. in Luc. c. VI. *Moſes permiſit*, (inquit Chriſtus) *non Deus juſſit.* Exprimit etiam Chriſtus cauſam illius permiſſionis, videlicet σκληροκαρδίαν Judaicam; illa *cordis duritie*, de qua toties Deus ipſe conqueritur, extorſit Moſi hanc legem, qua evitandi majoris mali cauſa repudium Judæis conceſſit, & ut Chryſoſtomus loquitur, *dimidium mali permiſit, ne totum bonum perderet. Moſes* (verba ſunt ejusdem Chryſoſtomi in 1. Cor. VII.) *non ſimpliciter hanc legem tulit, ſed coactus fuit ſeſe adtemperare eorum, quibus legem dabat, infirmitati. Nam quoniam ad caedes promti erant, & domus cognato replebant ſanguine, & neque ſuis neque alienis parcebant, ne intus occiderent uxores, quae ingratae erant, praecepit foras mittendas, quo gravius malum, nempe homicidiorum facilitas, tolleretur.* (*) Theophylactus in Matth. V. *Moſes praecepit, ſi quis odio haberet uxorem, dimittere eam, ἵνα μὴ χεῖρον τι γένηται μισουμένη γὰρ ἴσως ἂν καὶ ἐφονεύθη.* Lutherus tom. II. Jen. Germ. lib. de vita conjugali f. 155. *In lege Moſis duplicia proponuntur praecepta ſpiritualia, quae pietatem & juſtitiam coram Deo docebant, qui ea obſervabant, non repudiabant uxores: civilia propter eos, qui ſpiritualia non obſervabant, ut terminus illorum improbitati ſtatueretur. Ad haec poſteriora pertinet praeceptum de libello repudii, quo permittebatur maritis uxores repudiare, ne eas occiderent.* Quæ omnia expendens Chemnitius in harm. evang. c. 51. p. 557. ſcribit: *Politicae conſtitutiones etiam in illa republica, quam Deus ipſe latis peculiariter per Moſen forenſibus legibus inſtituit, pro circumſtantiis locorum, temporum & perſonarum κατὰ τὸ δύνατον & ad rationem politicae conſociationis adtemperatae ſunt, in quibus multa, quae cum lege decalogi & cum caritate proximi non usquequaque congruunt, permittuntur, ne ſtatus publicus perturbetur, utque majora mala evitentur.*

II) *Ex hiſtoria aliarum gentium.*

§. DXCVII. II) Ex politia *Iudaica* temeraria divortiorum licentia ad *alias* quoque *gentes* dimanavit. Solon Athenienſium nomotheta lege conſtituit, *ut, qui uxorem exturbaſſet, dotem illi reſtitueret, alioquin inter uſurium ſesquidrachmale ob moram ſolvere cogebatur.* Alexander ab Alex. lib. IV. genial. dier. c. 8. qui ibidem addit: *Apud Athenienſes libello repudii porrecto a viro vel uxore, an concedi debeat, magiſtratus decernit.* Charondæ lex dabat mulieribus facultatem *quacunque de cauſa* a viris divertendi. Diodorus Siculus lib. XII. bibliothec. Apud *Thurios* ea conditione permiſſum fuit divortium, ut neutri cum juniore reſponſa aut viro conjugium poſtea inire liceret, ne libidine aut illecebra voluptatis magis, quam prolis cauſa divertiſſe videantur. *Turca* pluribus de cauſis, quas viris comminiſci facile eſt, divortia faciunt, mulieres vero ægrius a viris divertunt. In cauſis, quibus id eis permiſſum, hæ continentur, *ſi mariti debitis alimentis eas fraudent, ſi praeter naturae praeſcriptum eis abuti conentur.* Aug. Busbequius epiſt. III. Quinimo quidam populi eo levitatis fuere

(*) Idem hom. XXXII. op. imperf. *Propterea benedixit; quod Moſes hoc permiſit, non praecepit. Quod enim praecipimus, ſemper volumus; quod autem permittimus, nolentes indulgemus, quia malam voluntatem ad plenum prohibere non poſſumus.*

fuere progressi, ut uxores inter se permutarent, & commodato invicem darent. Lycurgus indulsit *Lacedaemoniis*, ut amicis petentibus uxores locarent. Plutarchus in Lyc. Solon lege lata taxavit invidiam maritorum, qui strenuis viris uxorum suarum copiam facere recusarent. Plutarchus in Solon. *Germanos* odiosas uxores vel pretio distraxisse, vel commutasse, ex Julio Cæsare de bell. Gall. colligitur, quæ omnia non solum cum prima conjugii institutione, sed etiam cum mosaica constitutione pugnant, in qua abominationis loco habetur, si maritus uxorem semel abdicatam & alteri nuptam postliminii quasi jure in domum & thorum recipiat.

§. DXCVIII. III) Apud *Romanos* itidem magna fuit divortiorum licentia, sed diversis temporibus aliquando major, aliquando minor. Lege XII. tabularum de divortiis cautum aliquod fuisse intelligi potest ex Cicerone Philipp. II. ubi de Antonio dicit, *eum Volumniam Mimam res suas habere jussisse, ex duodecim tabularum legibus claves ademisse, exegisse hoc uno spectatum civem, quod cum Mima fecerit divortium.* Hotomannus part. III. comm. ad XII. tabulas. De Romulo Plutarchus memorat, quod viro jus dederit, γυναῖκα ἐκβάλλειν ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων ἢ κλειδῶν ὑποβολῇ καὶ μοιχευθεῖσαν. Numa permisit Romanis, ut uxores amicis locarent, & commodato darent. Idem in Numa. Quod ergo Tertullianus in apologet. cap. 6. dicit, *per annos ferme sexcentos ab urbe condita nullam domum repudium scripsisse:* & in lib. de monogam. cap. 9. circa finem: *adeo repudium a primordio non fuisse, ut apud Romanos post annum sexcentesimum urbis conditae id genus duritiae, commissum denotetur;* vel ut Junius in not. ad Tertullianum & Gentilis lib. VI. de nupt. c. 8. propter Sp. Carvilii repudium anno 522. ab urbe condita factum limitant, *post quingentesimum ab urbe condita annum divortia fieri cœpisse* dicuntur, id eo sensu accipiendum, quod ob reverentiam matrimonii concessa per leges licentia non fuerint usi, quodque non tam crebra quacunque ex causa facta fuerint divortia. Cum vero Carvilius, vel ut alii eum vocant, Carbilius sterilitatis causa uxorem dimittens (postquam apud censores juraverat, se liberorum quærendorum gratia aliam uxorem ducturum) initium temerarii divortii faceret, multi alii exemplum ejus certatim sunt secuti, qui leviss imis ex causis uxores odiosas a se abdicarunt, adeo ut Seneca de suorum temporum moribus scribat libr. III. de benef. cap. 16. *Numquid jam ulla repudio erubescit, postquam illustres quaedam ac nobiles fœminae non consulum numero, sed maritorum annos suos computant, & exeunt matrimonii causa, nubunt repudii?* ac Tertullianus in apol. c. 6. scribit: *Repudium jam & votum est, quasi matrimonii fructus.* Q. Antistius uxorem, quod cum libertina eam fabulari viderat, repudiavit. Valerius lib. VI. c. 3. C. Sulpitius, quod invelato capite foras prodiisset. Plutarchus in probl. Rom. P. Sempronius, quod ludos se inscio spectasset, uxori repudium misit. Sylla Cæciliam ob prætextum sterilitatis abdicavit. Plutarchus in Syll. Augustus Scriboniæ nihil aliud objicere poterat, quam quod pertæsus esset morum ejus. Suetonius in August. Mecœnas inconstantiæ taxatur, quod cum ab uxore semel divertisset, illamque reconciliata gratia paulo post reduxisset, iterum ac tertio cum ea simultate exorta repudium fecit, & mox in gratiam venit, quare millies eum duxisse uxorem ferebatur, cum unam haberet. Paulus Æmilius, cum argueretur, quod post longum tempus uxorem Papiriam fœcundam & formosam dimisisset, respondit, *neminem scire, qua in parte calceus,*

III) *ex historia Romana.*

ceus, licet speciosus foret, suos premeret digitos. Plutarchus in Æmil. Vide Alexandrum ab Alex. lib. IV. gen. dier. cap. 8. & Tiraquellum in not. ibid. Cœlium Rodiginum lib. XV. lect. antiq. cap. 16. Arnisæum de jure connub. cap. 6. sect. 3. ubi plura hujusmodi exempla adducunt. Utebantur autem in divortiis hac formula: *Tuas res tibi agito, tuas res tibi habeto;* sed in sponsalibus dissolvendis dicere solebant: *Conditione tua non utor.* Nec a permutatione uxorum & repudiatarum ad se receptione abhorrebant. Cœl. Rhodiginius d. lib. c. 17. *In Romanorum moribus illud perabsurde servatum quoque novimus, quod cum liberorum satis suscepisse viderentur, alterius, qui filiis indigeret, suasionibus uxore, cujus dedendae recipiendaeque jus haberet, cedebant.* Cato uxorem Martiam, ex qua filios genuerat, eamque gravidam, sub arctioris amicitiæ prætextu Hortensio concessit, & cum hic moriens illam heredem scripsisset, denuo eamdem ad se recepit. Plutarchus in Cat. min. quem hoc nomine graviter infectantur Hieronymus lib. II. contra Jovin. Augustinus de bon. conjug. cap. 18.

IV.) *Ex iure civili.*

§. DXCIX. IV) Effusam illam divortiorum licentiam ut *christiani imperatores* coercerent, certas quasdam causas latis in hanc rem peculiaribus legibus expresserunt, propter quas divortium fieri sit permissum. Theodosius & Valentinianus I. Consensu 8. C. de repudiis. & I. Iubemus. eod. enumerant has causas, propter quas uxor virum possit repudiare: 1.) *Adulterium*, 2.) *homicidium*, 2.) *veneficium*, 4.) *molitio contra imperium non indicata*, 5.) *si crimine falsi damnatus*, 6.) *sepulcrorum dissolutio*, 7.) *sacrilegium*, 8.) *si sit latro vel latronum susceptor vel abactor vel plagiarius*, 9.) *si familia vel uxore inspiciente cum impudicis mulieribus catum inerit*, 10.) *si uxoris vitae insidiatus fuerit, vel insidiari volentes sciens non indicaverit, nec ulcisci secundum leges statuerit*, 11.) *si verberibus ingenua indignis uxorem adfecerit.* Justinus Nov. 117. Ut liceat matri, &c. addit has causas: 12.) *si uxoris castitati insidiatus aliis eamdem adulterandam tradere tentaverit*, 13.) *si adulterii intentatam actionem non probaverit.* Viro vicissim tribuunt has causas uxoris repudiandæ: 1.) *Adulterium*, 2.) *veneficium*, 3.) *homicidium*, 4.) *plagium*, 5.) *sepulcrorum violatio*, 6.) *sacrilegium*, 7.) *si latronum fautrix*, 8.) *si viro ignorante vel nolente convivia extraneorum adpetierit*, 9.) *si eo ignorante sine iusta causa foris pernoctarit*, 10.) *si extra viri voluntatem ludis & spectaculis inhaeserit*, 11.) *si vitae mariti insidiata sit, aut insidiantes sciens non indicaverit*, 12.) *si adversus imperium molita*, 13.) *crimen falsi*, 14.) *si manus audaces viro iniecit*, 15.) *si abortum sponte fecerit*, 16.) *si cum viris voluptatis occasione lavetur*, 17.) *si vivo marito cum aliis de suis nuptiis sit locuta.* Leo novell. 30. 31. quasdam alias causas addit, videlicet *mariti prodigalitatem, religionis diversitatem, & si quae promissa sunt, non solvantur etiam ob inopiam.* Confer. novell. 22. Justiniani cap. 15. ubi eædem fere causæ repudiorum enumerantur. Cum vero constitutio illa Theodosii & Valentiniani non solum intercidisset, sed etiam ab imperatore Anastasio abrogata fuisset. I. Si constante. 9. eodem: *Si constante matrimonio communi consensu tam viri quam mulieris repudium sit missum, quo nulla causa continetur, quae consultissimae constitutioni divae memoriae Theodosii & Valentiniani inserta est, licebit mulieri non quinquennium exspectare, sed post annum ad secundas nuptias convolare.* Justinianus novell. 117. divortia ex mutuo consensu penitus sustulit. Fiebat autem divortium aliud *bona gratia*, l. 32. §. 10. l. 62. de donat. inter vir. & uxor. (quod imperator novell. 22. cap. 14. vocat *mitiorem matrimonii*

nii solutionem, Tertullianus libr. de monogam. *amicabilem separationem*, Ambrosius lib. II. de Abraham. c. 6. *dimissionem cum bona venia*) & hoc rursus fiebat, vel *communi consensu*, idque vel *absque causa ulla*. l. 9. C. de repud. vel *certa ex causa*, l. 60. §. 1. cum ll. seqq. de donat. inter vir. & uxor. vel fiebat *unius voluntate ex iustis & legitimis fere causis*; l. 10. C. de repud. aliud vero divortium fiebat *cum ira & offensa*, ut cum mulier vel diverteret vel repudio dimitteretur. l. 14. §. 2. qui & a quibus manumiss. lib. unde post divortium maritus *mulieris inimicus* dicitur. l. 78. §. 2. de iure dot. De quibus omnibus late tractant legum civilium interpretes. Vid. Meierus in colleg. pandect. lib. XXIV. tit. 2.

V.) *ex iure canonico.* §. DC. V.) *Ius canonicum* loco veri divortii, quod est separatio quoad thorum & vinculum, introduxit separationem tantum quoad thorum & cohabitationem, quam propter plures causas, quam ob adulterium permittit. Causæ illæ sunt *haeresis*, c. *Quaesivit* &c. 2. de divortiis. c. *Simili modo* &c. 28. q. 1. *votum continentiae & religionis*, c. Unico de voto &c. in 6. *deportatio coniugis*, c. Si quis &c. 33. q. 2. *impotentia coniugis, frigiditas, sterilitas*, c. 1. de frigidis & maleficiatis, *diutina coniugis absentia*, c. Perlatum &c. 8. Qui filii sint legitimi; *sententia iudicis pronunciantis divortium*. c. 1. cum seq. 35. q. 9. Possumus autem distinctius canonistarum sententiam proponere hoc modo: Quædam causæ dirimere dicuntur *matrimonium contractum*, non quasi matrimonium verum dirimant, sed quia *matrimonium de facto, non de iure contractum*, irritum reddunt. Atque hæ sunt ipsi essentiæ matrimonii contrariæ, adeo ut necessario aliquid essentiale matrimonio desit, proinde nec sit verum matrimonium, si cum eo impedimento fuerit celebratum. Impedimenta huius generis numerant duodecim, quæ continentur his versiculis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis adfinis, si forte coire nequibis;
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Quorum ordinem & explicationem proposuimus superius cap. V. Quædam causæ dirimunt matrimonium contractum, *quod ab initio fuit ratum & firmum ac de iure contractum*. Atque hic monent aliud iudicium esse debere de *coniugio fidelium*, & de coniugio *infidelium*: & rursus aliud de coniugio fidelium *rato & non consummato*, aliud de coniugio fidelium *rato & consummato*: denique aliud de coniugio fidelium consummato quoad *divortium*, (id est, separationem quoad thorum & cohabitationem manente vinculo coniugali) aliud quoad *repudium*. (id est, solutionem quoad vinculum) Quod adtinet coniugium infidelium, illud solvi posse adserunt etiam quoad vinculum, *si alter coniugum convertatur ad fidem, & alter nolit ei cohabitare sine iniuria creatoris*. Matrimonium fidelium ratum non consummatum solvi etiam quoad vinculum dicunt *per ingressum in religionem*, id est per monasticos professionem. Matrimonium fidelium consummatum quoad thorum & cohabitationem (non autem quoad vinculum) solvi quoad thorum & cohabitationem duabus de causis: 1.) *ex consensu propter majorem atque altiorem statum adquirendum, ut si uterque coniugum continentiam perpetuam voveat, & ad religionem transeat.* 2.) *Sine consensu ob crimen, idque triplex. Primum est, adulterium alterius coniugis. Deinde, si alter coniugum a fide catholica recedat. Denique si alter coniugum impellat alterum ad pecca-*

peccatum, ita ut non possit alter cum eo cohabitare, sine periculo Deum offendendi. Hæc omnia in decretis ecclesiæ in titulo de divortiis haberi adserit Bellarminus libr. de matrim. c. 14.

VI.) *ex verbo Dei.* §. DCI. VI.) Nostræ ecclesiæ clarissimum Salvatoris Christi pronunciatum secutæ, non nisi unicam veri & proprie sic dicti divortii causam agnoscunt, videlicet *adulterium*, quam sententiam antequam confirmemus, quatuor sunt notanda. 1.) Non esse hoc loco quæstionem de solutione vinculi coniugalis per *mortem*; sed de solutione matrimonii coniuge utroque adhuc superstite per divortium. Morte solvi matrimoniale vinculum constat ex manifestis apostoli verbis Rom. VII. 1. 2. 3. 1 Cor. VII. 39. Unde Lyranus in adnot. Rom. VII. scribit: *Si vir resurgeret, non teneretur mulier eum recipere, nisi de condecentia & cum superveniente novo consensu*, (de quo tamen Lyrani pronunciato dubitari posset, si vir ad hanc vitam iterum suscitaretur, neque statim acciperet corpus glorificatum, sed hic cum iurisconsultis dicimus. *Si casus evenerit, respondebimus.*) Atque ex hoc fundamento demonstravimus superius, secundas nuptias a morte prioris coniugis esse licitas, quæ illegitimæ ac illicitæ essent, nisi per mortem prioris coniugii vinculum fuisset penitus solutum. 2.) Non esse hoc loco quæstionem de separatione eorum, *inter quos nunquam fuit verum & ratum matrimonium*; sed de separatione eorum, inter quos ratum ac consummatum matrimonium exstitit, quæ proprie & specifice loquendo dicitur divortium. Sic propter naturalem inhabilitatem ad usum coniugii personæ, quæ sub mariti & uxoris nomine cohabitarunt, separantur; sed illa separatio proprie non est divortium, id est, vinculi matrimonialis solutio, quippe quod inter tales personas nunquam exstitit. Qui in gradibus lege divina prohibitis contraxerunt, ab invicem separantur, sed illorum separatio proprie loquendo non est divortium, quia cohabitatio & coniunctio istarum personarum non fuit verum matrimonium, sed incestuosa commixtio. 3.) Non esse hoc loco quæstionem de divortio a parte nocente temerarie & iniuste facto, sed de divortio a parte innocente iusta ex causa faciendo. In casu malitiosæ desertionis parti innocenti ac desertæ concedit apostolus potestatem novi matrimonii ineundi, quia pars nocens ac deserens temere & de facto divortium propria autoritate sine causa sufficiente & iusta fecit; sed quando Christus unicam divortii causam adsignat, loquitur de divortio a parte innocente iusta ex causa faciendo, qua de re infra plenius. 4.) Non esse hoc loco quæstionem de separatione quoad *thorum & mensam*, sive *cohabitationem*, sed de divortio proprie sic dicto, id est, de separatione non solum quoad thorum & mensam, sed etiam quoad *vinculum*. Non improbamus, si in lepra & aliis morbis contagiosis, in sævitia & insidiis vitæ structis separatio quoad thorum & mensam autoritate magistratus fiat, donec pia reconciliatio sequatur; sed hæc separatio non est divortium proprie & adcurate loquendo sic dictum, de quo unice hoc loco quærimus.

Vnica tantum est divortii causa, scilicet adulterium.

§. DCII. Hisce de vero quæstionis statu præmissis demonstrandum restat *unam tantum esse divortii causam*, videlicet adulterium. Probamus id 1.) Ex *propria sede*, videlicet ex *Christi* Salvatoris nostri *institutione*. Matth. 5. 32. *Quisquis demiserit uxorem suam, παρεκτὸς λόγου πορνείας, facit, ut illa mœchetur.* Matth. 19. 9. *Ego dico vobis, si quis uxorem repudiaverit, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, nisi ob*

ob adulterium, mœchatur, ex quibus sic inferimus: Quam causam unicam & solam in divortio faciendo Christus statuit, ea unica & sola in christiana ecclesia ad vocem Christi adligata, in divortio faciendo adtendi & observari debet. Atqui adulterium unicam & solam divortii faciendi causam Christus statuit. Ergo. *Adsumtum* probatur *primo* ex *dicti occasione.* Matth. V. 32. opponit Christus suum pronunciatum pharisæorum inveteratæ opinioni, & Matth. XIX. 9. eorumdem quæstioni, qua mosaicam legem de divortio sic pervertebant, quod *quacunque ex causa*, etiam in conscientiæ foro, coram Deo licitum sit divortium; sed Christus præcise & in genere negat, temeraria divortia esse licita, & ex prima coniugii institutione suam adsertionem probat, excipit vero unicam duntaxat causam, propter quam licitum sit divortium, videlicet casum adulterii. Si adhuc plures essent divortii causæ, Christus in responso suo eas non præteriisset, quia de omnibus erat interrogatus, quod si ergo aliquam præteriisset, propositæ quæstioni non satisfeciisset, quod absit. *Secundo* ex *particularum exceptivarum significatione.* Particulæ παρεκτὸς καὶ εἰ μὴ sunt exclusivæ & exceptivæ, ut superius demonstratum fuit; earum igitur nativa significatio causam adulterii ea ratione ponit, ut reliquas omnes excludat. Quemadmodum si quis dicat: Quisquis furatur, excepto necessitatis extremæ casu, is peccat contra septimum præceptum, ex eo recte inferri poterit, quod solus & unicus necessitatis casus excipiatur, in quo quis furtum committendo non peccet contra septimum præceptum; sic quando Christus pronunciat: *Quisquis uxorem dimittit, excepta fornicationis causa, is adulterium committit*, recte ex eo infertur, quod solus & unicus adulterii casus excipiatur, in quo quis divortium faciendo non committat adulterium. Huc referri possunt iurisconsultorum regulæ. *Statutum exceptive loquens non extenditur ad casus alios. Ubi exceptio fit per numerum & non per qualitates, nunquam alius excipitur casus ratione alicuius similitudinis. Exceptiones, quia deviant a regulis iuris, non sunt extendendae, &c. Tertio* ex *Christi scopo & intentione.* Scopus Christi est, temerariis divortiis in Iudaica politia receptis aditum obstruere, & ad primævam coniugii institutionem, quæ ostendit vinculum illud esse insolubile, nos revocare. Atqui si præter adulterium etiam aliæ causæ in faciendo divortio admittuntur, discreditur a *Christi* scopo, & non rimula, sed lata fenestra divortiis aperitur.

§. DCIII. II.) Ex *vinculi conjugalis obligatione. Quod Deus coniunxit*, inquit Salvator, *homo non separet*, addita ratione, quia coniuges, divinitus vinculo matrimonii connexi, non amplius *sunt duo, sed una caro.* Matth. XIX. 5. & 6. De firmitate igitur ac solubilitate matrimonii, utpote divinæ coniunctionis, non nisi ex solo Dei verbo, divinæ voluntatis norma unica iudicium fieri potest ac debet. Possunt quidem adferri rationes satis probabiles, quod propter alias etiam causas, quam propter adulterium, in quibusdam casibus faciendum sit divortium; sed conscientiæ, quæ ad solum & unicum Dei verbum respicit, iisdem satisfieri nequit, illa semper regerit, divinam coniunctionem, non nisi ob causam a Deo ipso expressam dissolvi posse, ut hac ratione Deus ipse separet, quod prius coniunxit. III.) Ex *adulterii conditione.* Solum & unicum adulterium cum vinculi matrimonialis natura directe pugnat, atque unitatem carnis, fidem coniugalem & substantialia matrimonii nefarie dissolvit. Per coniugium duo fiunt *una caro*; Gen. II. 24. sed adulterium unitatem illam carnis disrumpit,

pit, qui enim relicta coniuge adhæret scorto, fit una caro cum ipso, 1 Cor. VI. 16. ac proinde non amplius est una caro cum coniuge. Tale quidpiam in reliquis casibus & causis monstrari nequit, proinde nulla hic est similitudo vel æqualitas adulterii & aliarum causarum respectu ad coniugium eidemque oppositum divortium habito. IV.) Ex *sufficienti enumeratione.* Nulla potest ex scripturis sacris produci causa alia, propter quam divortium fieri Christus vel apostoli concesserint: æquum igitur est, ut contenti simus ea, quam Christus ipse expressit, ne obnoxii reddamur pœnæ, quam addenti quidpiam ad verba Christi & apostolorum Spiritus sanctus comminatur. Apoc. XXII. 18. V.) Ex *veterum testificatione.* Veteris ecclesiæ doctores multis in locis causam divortii faciendi adulterium esse ita docent, ut reliquas omnes excludant. Dicta ipsorum adducta sunt superius memb. I.

Antithesis I.) *Quorundam hæreticorum.*

§. DCIV. Contra hanc sententiam nostram pugnat: I.) Quod quidam hæretici quamvis causam ad divortium instituendum sufficere docuerunt. *Bogomili* statuerunt, *ex quacunque causa coniugia dissolvi posse*, adnotante Eutymio part. II. panopl. (Idem dogma repetiverunt *Libertini*, teste Bullingero de Anabapt. lib. II. de cap. 1.) *Montanus de solvendis dirimendisque coniugiis legem tulit.* Nicephorus lib. IV. cap. 22. *Cataphryges & Pepuziani* similiter *dissolverunt coniugia*, sic a Montano edocti. Eusebius lib. V. cap. 15. & 18. Nicephorus lib. IV. cap. 22. *Ebionitae alteris nuptiis disiunctis alteris copulabantur, usque ad secundas & tertias nuptias.* Epiphanius hæres. XXX. *Messaliani* legitima coniugia *passim & sine delectu* dirimebant. Socrates lib. IV. c. 31. Græcis imputatur a Gabriele Pratcolo de hær. p. 203. & Possevino in c. de dissid. Græc. & Ruth. quod doceant, *nuptiarum fœdus atque vinculum posse pro coniugum arbitrio dissolvi.* Id ipsum in concilio Florent. sess. ult. Eugenius papa eis obiicit. (Sed videtur hæc adcusatio Græcorum sententiam latius, quam par est, extendere, quasi ob quamvis causam coniugia dissolvi posse censeant, cum ob adulterium ipsum coniugii vinculum dirimi, & aditum ad novas nuptias licitum fieri statuant, quod Romanæ ecclesiæ non probatur.)

II.) Quod quidam *canones* iuris pontificii *προνσίαν*, quam Christus divortii causam constituit, tam late extendunt, ut alias etiam causas faciendi divortii complectatur. c. *Idololatra* &c. 28. qu. 1. *Idololatria, quam sequuntur infideles, & quaelibet noxia superstitio, fornicatio est.* Item, *si infidelitas fornicatio est & idololatria, infidelitas & avaritia idololatria est, non est dubitandum, & avaritiam fornicationem esse. Quis ergo iam quamlibet illicitam concupiscentiam potest recte a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quae in stupris cum alienis viris aut fœminis committuntur, sed omnino propter quaslibet, quae animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, & perniciose turpiterque corrumpi possit sine crimine, & vir uxorem suam dimittere, & uxor virum, quia exceptam Dominus facit causam fornicationis, quam fornicationem & universalem intelligere cogimur.* Cap. *Non solum* &c. caus. & quæst. iisdem: *Non solum mœchatio est illius, quae carnem suam coinquinat, sed etiam quae simulacrum facit, mœchatur.* Quibus merito opponuntur alii canones, qui coniugii ac divortii respectu aliam rationem esse statuunt adulterii & aliquorum criminum, ac propter solam fornicationem divortium fieri posse statuunt. Cap. *Sunt qui* &c. 27. q. 2. *Sunt, qui dicunt,*

II.) *Quorundam canonum*

dicunt, religionis gratia coniugia debere dissolvi, verum sciendum est, quod lex divina id prohibuit, veritas enim dicit: non licet dimittere uxorem excepta causa fornicationis. Cap. *Nisi* &c. eadem: *Nisi fornicationis causa viro uxorem dimittere nulla ratione conceditur.* Cap. *Dixit* &c. 32. q. 1. *Sola fornicatio est, quae uxoris vincit adfectum, imo cum illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione a marito separaverit, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat.* Cap. *In coniugio* &c. caus. & quæst. iisdem: *In coniugio quis positus quaecunque peccata fecerit, non propriam infuscant coniugem, sed fornicatio uxorem coinquinat, ut iam non sit viro suo licita, sed adultera.* Cap. *Si uxorem* &c. caus. eadem q. 5. *Si uxorem quis habeat sterilem, sive corpore deformem, sive debilem membris, &c. & quidquid excepta fornicationis causa cogitari potest, vehementer horribile pro societate fideque sustineat.* Cap. *Praeceptum* &c. ibidem ex concilio Toletano: *Quicunque extra culpam fornicationis uxorem suam quacunque occasione reliquerit, ab ecclesiastica communione privetur.* Cap. *Quid in omnibus* &c. 32. quæst. 7. *Quid in omnibus peccatis adulterio est gravius.* Cap. *Uxor* &c. caus. & quæst. iisdem: *Uxor a viro non discedat, nisi causa fornicationis.* Cumprimis huc pertinet reſcriptum Innocentii cap. *Discretionem* &c. x̂. de eo, qui cogn. consangv. uxor. *Secundum evangelicam veritatem numquam, nisi propter fornicationis causam, aut vir uxorem, aut uxor virum potest dimittere.*

III.) *Quorundam theologorum & ICtorum.*

§. DCV. Sed & III.) quidam *theologi* ac *iurisconsulti*, Romanæ ecclesiæ minime addicti, permittunt magistratui, ut ad causam divortii in verbo Dei unice expressam, videlicet *adulterium*, plures addat. Philippus Melanchthon in exam. pag. 759. Hemmingius de coniug. p. 172. Martyrius in comm. 1. Cor. VII. Bucerus in Matth. XIX. Wesenbecius in paratitl. Alciatus lib. VI. parerg. c. 29. &c. Argumentis utuntur fere eiusmodi: I.) *a magistratus autoritate.* Quæ magistratus ordinat ac facit, Deo autore ordinantur ac fiunt. Ergo licitum est magistratui causas alias addere. Exclusiva Christi divortiis privata autoritate factis recte interim opponitur. Resp. 1.) Aliud est *ius fori*, aliud *ius poli.* Constitutiones politicæ non possunt conscientiam pacare, nisi adsit Dei verbum. 2.) Christus expresse pronunciat: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, adulterium committit*, eius contrarium magistratus statuere nec potest nec debet. Statueret autem, si alias divortii causas introduceret, quia hæc duo contradictorie sibi invicem sunt opposita. Omnis, qui extra fornicationis causam uxorem dimittit, & aliam ducit, adulterium committit. Non omnis, qui extra fornicationis causam uxorem dimittit, & aliam ducit, adulterium committit. 3.) Particulæ *πᾶς καὶ ὃς*, *omnis & quicunque*, cum prior sit universalis, posterior distributiva, non nisi per violentam detorsionem cum exceptione magistratus intelligi possunt ac debent, quia ut magistratus non potest propter causam aliam, quam quæ in verbis Christi expressa est, divortium facere, ita quoque non potest aliam divortii faciendi causam præter eam, quæ a Christo expressa est, suis sanctionibus introducere. 4.) Nec privatos tantum, sed etiam in publico magistratus officio constitutos dictum Christi adtinet, quia temeraria divortia ita a Christo prohibentur, ut tantum causa fornicationis divortium fieri permittatur. Atqui in divortio ob adulterium faciendo publicam magistratus

An magistratus possit alias divortii causas statuere.

autoritatem intercedere omnino oportet, ut in membro III. demonstrabimus; ergo si essent aliæ causæ, propter quas magistratus autoritate interveniente divortium fieri posset, Christus easdem minime prætermisisset. 5.) Magistratus non est maiore quodam iure præditus, quam fuit Moses legislator. Atqui Christus aperte pronunciat, eum, qui mulierem extra casum adulterii separatam ducit, adulterium committere, cum tamen mosaica constitutio adhuc vigeret; multo igitur minus magistratus dispensatio contra Christi dictum locum habere poterit. 6.) Denique negamus, posse adferri causas alias, quæ respectu ad coniugium & divortium habito, cum adulterio sint eiusdem qualitatis ac ponderis.

§. DCVI. II.) Ex *verborum Christi generalitate. Christus* Matth. V. 32. *non simpliciter dicit, qui excepta fornicatione dimiserit uxorem, sed* παρεκτὸς λόγου πορνείας *exceptа causa fornicationis.* Λόγος *autem in genere significat proportionem, ergo non solum crimen adulterii, sed etiam alia huic crimini aequalia, vel eodem etiam maiora flagitia divortii causas constituit.* Resp. 1.) Matth. XIX. 9. simpliciter & absolute dicitur, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ. 2.) Neve quis regerat, *posteriorem locum ex priore ampliandum*, repetimus argumenta pro nostræ sententiæ confirmatione adducta, quæ probant, solam fornicationem a generali prohibitione divortii hic excipi. 3.) Quamvis igitur in uno vel altero scripturæ loco λόγος proportionem significet, tamen in hac *exceptiva* & *exclusiva* Christi locutione non potest eo modo accipi, cum & occasio dicendorum & dicti scopus & ipsa verborum emphasis contrarium testentur. 4.) Λόγος in plurimis scripturæ locis pro re & causa, sive probatione rei accipitur, quæ duæ significationes in explicatione huius dicti optime coniungi possunt, ut innuatur, non solum rem sive factum adulterii esse causam divortii, sed requiri etiam, ut coram iudice competente idoneis testibus illud probetur, hæc enim duo necessario coniungi debent. 5.) Proponitur Christo quæstio, an κατὰ πᾶσαν αἰτίαν liceat uxorem dimittere: respondens Christus ad hanc quæstionem non dicit, ex *quavis causa* licere, nec dicit ex *nulla causa* licere, sed solam fornicationis causam excipit, ex reliquis vero causis vinculum matrimonii non dissolvi dicit, sed potius adulterium committi, si commixtio cum persona ex alia causa iniuste dimissa fiat. Finge πορνείας nomine comprehendi causas alias, consequens fuerit, nec directe & sufficienter a Christo esse responsum, nec particulam exceptivam & exclusivam recte additam, nec scopum & intentionem suam Christum fuisse adsecutum; posset enim quilibet fingere, hanc vel illam causam esse adulterio æqualem, sicque loco unius causæ exceptæ plures substituerentur. 6.) Coram Deo etiam is adulterii reus est, qui aliam mulierem *adspicit ad concupiscendam eam*, Matth. V. 28. ac spiritualiter *fornicari post deos alienos* dicuntur, qui relicto vero Deo idola colunt, Deut. XXXI. 16. &c. quod si ergo a proprietate literæ hic velimus discedere, & per πορνείαν intelligere non solum illud crimen, quo alteruter coniux sciens ac volens cum alia persona per illicitum congressum commiscetur, sed etiam alia delicta, quæ coram Deo habentur pro adulterio, ut idololatria, quæ est spiritualis fornicatio, & quælibet contra conscientiam delicta graviora, infinitis repudiis locus dabitur. 7.) Alia quædam crimina esse adulterio æqualia vel graviora duplici modo intelligi potest, vel respectu *legis divinae*, cum cuius norma & regula pugnant, vel respectu *coniugii*, cuius vinculum dirimere debent. Si priori modo æqualitas & gravitas delictorum

ctorum æstimatur, negamus eam hic esse adtendendam, quia de gravitate peccati respectu ad coniugium habito unice hic agitur. Si posteriori modo æqualitas & gravitas flagitiorum æstimatur, concedimus propter crimina adulterio vel æqualia vel graviora licitum esse divortium, utpote ob incestum, sodomiam, bestialitatem. 8.) Syrus textum Matthæi V. 32. reddidit, לְבַר מִן מִלְּתָא דְזָנְיוּתָא, *excepto sermone fornicationis, vel extra accusationem fornicationis*, cuius phraseos sensus manifestius exponitur XIX. 9. *Qui dimiserit uxorem*, דְלָא זָנְרָא, *quae non commisit adulterium.* 9.) Denique coniungantur explicationes veterum, in quibus sola & unica divortii causa statuitur adulterium, sicque per λόγον πορνείας nihil aliud quam πορνείαν intelligendam esse præsupponitur. Vide præced. membr. I.

§. DCVII. III.) Ex *apostolicae additionis claritate. Divus apostolus causae divortii a Christo expressae addidit aliam, videlicet desertionem*, 1. Cor. VII. 15. *Ergo adulterium non est sola & unica divortii causa.* Resp. variis modis apostolus cum Christo in quæstione de causa divortii conciliatur. Quidam in verbis *Christi*, quidam in verbis *apostoli*, quidam in limitatione utriusque loci fundamentum conciliationis quærunt, ut ex speciali enumeratione adparebit. 1.) Augustinus libr. I. de adulterinis coniugiis ad Pollentium cap. 1. & 2. existimat, *Christum loqui de matrimonio inter fideles, Paulum de matrimonio contracto inter infideles.* Cum enim dixisset apostolus: *Praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*, subiungit: *Caeteris autem ego dico, non Dominus: Si quis habet uxorem infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam; ubi per caeteros videtur intelligere eos, qui matrimonium ante fidem contraxerunt, de quibus Dominus nihil praeceperat, de his ergo Paulus consilium dat, ut vir non dimittat uxorem infidelem, si ea velit cohabitare sine iniuria creatoris. Sed quia hoc est consilium, non praeceptum, ideo licet etiam dimittere uxorem infidelem, & tunc maxime, si nolit cohabitare.* Hanc Augustini sententiam cupide amplectitur Bellarminus, & ex hoc fundamento docet, *coniugium infidelium solvi posse etiam quoad vinculum, si alter coniugum convertatur ad fidem, & alter ei nolit cohabitare sine iniuria creatoris, coniugia vero fidelium post baptismum contracta non posse solvi quoad vinculum, etiamsi alter convertatur ab haeresi, & alter nolit cohabitare sine iniuria creatoris.* Rationem diversitatis adsignat hanc, quod *priora, etsi rata & firma sint ex natura sua, tamen non sint sacramenta, ac proinde potissima insolubilitatis ratio ipsis desit; posteriora vero sunt sacramenta, ac proinde duplicem habeant insolubilitatis rationem.* Sed hæc conciliatio nititur falsa hypothesi, quod infidelium conjugia inde atque ideo solvi possint quoad *vinculum*, quia non sint sacramenta, qua de re suo loco plenius. 2.) Huic conciliationi adfine est illud, quod quidam censent, *Christum de coniugiis Iudaeorum, hoc est, inter fidelem utramque personam contractis interrogatum de iisdem respondisse, neque ipsius responso ab apostolo quidquam esse additum, de impari vero coniugio Christum nec interrogatum esse, neque quidquam profecto respondisse.* Beza de rep. & divort. pag. 190. Bucanus loco XIII. pag. 124. Atqui non solum in coniugio *impari*, id est, inter fidelem & infidelem contracto, sed etiam in coniugio *pari*, id est, inter personas fideles contracto ob malitiosam desertionem parti innocenti novas nuptias concedendas esse, suo loco demonstrabimus, & Christi responsum, quod non sit faciendum divortium, nisi ob fornicationem, non Iudæorum tantum, sed in genere omnia rata & vera coniugia concernit. 3.) Cajetanus in

comment. 1. Cor. VII. respondet, *Christum dedisse libertatem solis viris dimittendi causa fornicationis uxores, non autem uxoribus dimittendi viros. Paulum autem locutum esse de causa, quae sit communis viro & uxori, & hanc esse voluisse conversionem alterius coniugis ab infidelitate.* Sed haec conciliatio nec pontificiis, nec nobis probari potest. Non illis, quia statuunt Christum loqui de dimissione quoad *thorum*, non quoad *vinculum*, qua in re pares sint vir & uxor, & vir uxorem adulteram, & uxor virum adulterum relinquere possit. Non nobis, quia in divortio causa adulterii etiam quoad vinculum faciendo parem potestatem viri & uxoris agnoscimus, conversionem vero alterius coniugis ab infidelitate esse sufficientem divortii causam negamus. 4.) Quidam vocem πορνείας in verbis Christi συνεκδοχικῶς accipiunt, ut quodcunque aliud flagitium adulterio vel aequale vel gravius hoc nomine comprehendatur, tum quia, Christus non simpliciter dicit παρεκτὸς πορνείας, sed παρεκτὸς λόγου πορνείας, tum quia Hebraeis usitatum est, exempli loco unum aliquid proponere, & diserte exprimere, sub quo reliqua, quae sunt eiusdem generis, comprehenduntur. Quia igitur malitiosa desertio aeque grave delictum est ac adulterium, ideo hanc causam ab apostolo addi potuisse censent. Sed quid de conciliationis huius hypothesi statuendum sit, ex illis, quae paulo ante diximus, constare potest. 5.) Quidam particulas exceptivas & exclusivas παρεκτὸς, εἰ μὴ, oppositas statuunt non divortiis publica magistratus autoritate ob causas alias quam alterutrius coniugis adulterium factis, sed divortiis Iudaeorum ex privata temeritate ob causas oppido leviſſimas institutis. Atqui ostendimus superius, fornicationem pro causa divortii a Christo ita poni, ut reliquae omnes excludantur, ac in Iudaeorum divortiis etiam magistratus autoritatem intervenire oportuisse. 6.) Quidam respondent, *apostolo Spiritu Dei praedito licuisse Christi sententiae aliquid adiicere, quod non tam apostolus quam Christus ipse per os apostoli loquens facere videatur.* Rom. XV. 18. Sed si vel maxime potestati & autoritati apostolicae hoc concedatur, nondum tamen satisfit exclusivae locutioni Christi, quae vim suam amittit, si alia divortii causa in eodem quaestionis statu admittatur. 7.) Albericus Gentilis libr. VI. de nupt. cap. 14. discessionem sic explicat, ut novas desertoris vel desertricis nuptias, & sic adulterium includat. *Omnino*, inquit, *puto apostolum loqui de eo infideli, qui se separaverit a fideli per divortium, & ius aliarum nuptiarum sibi fecerit, ut proinde discedere etiam fidelis possit, & alias contrahere nuptias, si infidelis discedit, scilicet a matrimonio per alias nuptias, ita enim verbum relinquendi accipitur* Siracid. XXIII. 32. *Mulier καταλείπουσα, relinquens virum suum* v. 33. *in fornicatione adulteravit. Non disceditur a matrimonio, nisi per divortiam, quod est matrimonii dissolutio, ut discedi ab emtione dicitur, cum emtio contracta dissolvitur. Quin & ipse apostolus* v. 10. voce χωρίζειν *utitur pro discessione cum coniugii solutione coniuncta. Ac temporis circumstantia aliquid monere potest: vivebant Christiani illius temporis inter Iudaeos & ethnicos, quibus per leges mosaicas & romanas licitum erat petere libellum repudii, & separari a christiano coniuge, iam vero libellus repudii etiam includebat potestatem ducendi aliam.* Atque haec omnia recte probant in casu malitiosae desertionis cum novo matrimonio coniunctae parti innocenti concedendas esse alias nuptias; sed ostendemus inferius in casu desertionis, etiamsi non constet de novo desertoris vel desertricis matrimonio, vigore huius textus apostolici novum matrimonium parti desertae innocenti concedendum, sic

sic ergo redit quæsitum. 8.) Quidam respondent, *per desertionem illam, de qua apostolus loquitur, non solvi vinculum coniugale, idcoque nomine* servitutis *in textu apostolico intelligunt uxoris vel mariti officia, quae persona fidelis deserta desertrici praestare non teneatur, imo nec maritum teneri desertricem infidelem sequi, quod alioquin uxor eius facere teneatur, ac proinde non effici ex hoc loco, quod matrimonium per desertionem sive discessionem alterutrius partis solvatur.* Sed suo loco postea demonstrabimus, ob malitiosam desertionem parti desertæ concedendas esse novas nuptias, nec potest ab officiis illis excipi illud, quod pene unum meretur nomen *servitutis*, videlicet, quod qui in coniugio est, non habet corporis sui potestatem. 1. Cor. VII. 4. 9.) Quidam respondent, *Christum loqui de fornicatione corporali, Paulum de fornicatione spirituali, videlicet infidelitate.* Sed Paulus nequaquam dicit, propter infidelitatem faciendum esse divortium, sicut propter fornicationem illud fieri posse Christus concedit, ac diversam esse fornicationis corporalis & spiritualis (respectu coniugii ac divortii) conditionem, ostendimus superius. 10.) Amplectimur igitur Chemnitii, Mentzeri & aliorum nostræ partis theologorum conciliationem ex ipsis visceribus textus erutam. Christus loquitur *de divortio a parte innocente iusta ex causa faciendo.* Paulus *de divortio a parte nocente temerarie & iniuste facto.* Quando quæstio de divortio faciendo proponitur, sensus eius est, propter quas causas vir sive mulier possit a se repudiare & abiicere sive uxorem sive maritum legitime coniunctum, ad hanc quæstionem recte respondetur per exclusivam Christi, quod propter solum adulterium illud liceat. Neque enim apostolus præter unicam illam Christi exceptionem fideli concedit, ut propter infidelitatem seu disparitatem religionis infidelem repudiet, quin potius expresse addit, si infidelis consentit habitare, fidelis eam non dimittat, sed si fidelis ab infideli iniuste deseratur & abiiciatur, in hoc malitiosæ desertionis casu, si infidelis adduci nequit, ut cohabitet, & fidelis continere nequit, pronunciat apostolus, fidem non esse desertori servili-ter adligatam, sed liberam. Occasio & scopus utriusque responsi a Christo & apostolo dati rem omnem expedit. Pharisæi quærunt, an quacunque ex causa liceat viro dimittere uxorem; respondet Christus, ex nulla causa licere, nisi ob scortationem, nullam ergo agnoscit aliam divortii faciendi causam præter adulterium. Corinthii quærebant, an ob infidelitatem faciendum sit divortium; negat apostolus, & hac negatione responsum Christi non infirmat, sed confirmat: quærebant ulterius, vel quærere poterant, si persona infidelis de facto discedat, & fideli cohabitare nolit, sed repudium mittat, quid fideli faciendum; respondet apostolus, partem iniuste desertam non esse sub servitute detinendam propter illegitimum infidelis factum; non ergo de eadem quæstione, de causis scilicet divortii faciendi agit, sed præsuppositio illegitimo infidelis divortio personæ innocentis & fidelis conscientiæ consulit. Deserta persona tantum abest, ut separari se primario ac directe petat, ut contra potius desertricem repetat, & ad coniugalia officia revocari eam flagitet. Si dicas: *Paulus innocenti desertae parti novum matrimonium concedit, prioris ergo vinculum oportet esse solutum, alias novum matrimonium ab apostolo concedi non posset, duas igitur esse divortiorum causas, adulterium & desertionem, praesupponit.* Resp. nos hoc libenter concedimus, interim exclusivæ Christi, quæ solum adulterium unicam divortii causam ponit, nihil decedit, quia non de una eademque quæstione, nec de

de uno eodemque casu cum apostolo agit; sed Christus ostendit causam divortii faciendi, apostolus causam divortii patiendi, ac liberationem ob iniustam desertionem obtinendi, Christus loquitur de divortium faciente, apostolus de divortium patiente; Christus loquitur de eo, qui a coniuge divertit, Paulus de eo, a quo coniux divertit. Christus loquitur de separatione voluntaria, Paulus de separatione invita. Multo minus ex apostolico textu evinci potest, magistratum posse alias divortii faciendi causas introducere, quia Paulus immediato Spiritus sancti adflatu impulsus, quem in aliis hominibus non agnoscimus, nec ullum potest adferre crimen, quod coniugii subsantiam ita adtingat, ut adulterium. Unde quidam ex nostris theologis unam duntaxat divortii causam constituunt, quidam vero duas numerant absque ulla omnino contradictione, ut ex antea dictis liquet.

§. DCVIII. IV.) Ex *rationis paritate*, & quidem multiplici: I.) Respectu *causae efficientis*. Primo *leges magistratus de contractibus valent, & in conscientia hominem liberum reddunt. Ergo etiam leges magistratus de causis divortii valere debent, & in conscientia hominem liberum reddent.* Resp. coniugium non est contractus mere civilis, sed divina coniunctio, indissolubile vinculum introducens; quod ergo *Deus ipse coniunxit, homo separare non debet*, ex alia quadam causa, quam quæ in verbo Dei est manifeste expressa. Si de coniugio tanquam contractu mere civili iudicandum, posset aliquis inferre, ut mutuo consensu illud contrahitur, ita quoque mutuo dissensu iuxta leges reliquorum contractuum dissolvi posse, *nihil enim tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est*; l. Nihil tam naturale. l. Omnia. d. R. J. *ac nudi consensus obligationem contrario dissensu tolli statuitur.* §. fin. instit. quib. mod. toll. oblig. At consequens in christiana republica intolerabile est & absurdum, cum matrimonialis coniunctio non pendeat ex nuda contrahentium voluntate, sed ex ipsius Dei eosdem coniungentis autoritate, ex quo fundamento pronunciat apostolus: *Illis, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere debere.* Secundo: *Si Moses divortia concessit Iudaeis ob cordis duritiem, cur non idem liceat magistratui in casu simili, hoc est, si quidam coniuges non minus duri sint & contumaces?* Resp. quidquid sit de Iudæorum divortiis, sive ea fuerint in foro conscientiæ illicita ob primam coniugii institutionem, & in foro duntaxat politico licita ob mosaicam concessionem, sive tam in conscientiæ quam in politico foro licita fuerint, manifestum est ex Matth. V. 32. XIX. 19. Marc. X. 11. Luc. XVI. 18. 1. Cor. VII. 10. Christum & apostolos ad primævam coniugii institutionem nos revocasse, & ob solam adulterii causam divortia concessisse. Maior & uberior est Dei gratia in test. nov. quam veteri, quippe ad quod peculiariter pertinent illæ promissiones: *Scribam legem meam in corde eorum, auferam cor lapideum & dabo nobis cor carneum*, Jer. XXXI. 33. Ezech. XXXVI. 26. Unde apostolus populum vet. test. confert *parvulo*, qui est adhuc sub tutoribus, Gal. III. 24. quia in illo multa tolerabantur, quæ in Christianis sub nov. test. non ferenda; ac si vel maxime duri illi & contumaces gratiæ illius evangelicæ actu non sint participes, tamen propter illorum duritiem nihil quidquam pio magistratui agendum est contra divinas coniugii leges, alias tota lex moralis, quæ contumacibus ac refractariis dura est, abolenda fuerit, sed contumaces illi vel pœnis coercendi, vel ex christiana republica excludendi, & iniuste dimissæ parti consulendum. Ambro-

brosius libr. VIII. in Luc. XVI. recitat similem obiectionem, sed addit: *Qui hoc dicit, Iudaeus est, qui hoc dicit, Christianus non est, & ideo, qui hoc obiicit, quod obiectum est Domino, respondeat ei Dominus: Ab initio non fuit sic.*

§. DCIX. II) Respectu *causae permittentis sive non prohibentis. Veteris ecclesiae episcopi non opposuerunt se imperatoriis illis legibus, in quibus a christianis imperatoribus propter causas alias quam ob fornicationem concessa erant divortia. Ergo etiam hodie theologi magistratui potestatem illam liberam & intactam permittant.* Resp. 1.) Non omnia veteris ecclesiae, episcoporum ac doctorum dicta ac facta in historiae tabulas sunt relata, proinde ab autoritate illorum non potest argumentum duci negative. 2.) Adde, quod norma verborum Christi perpetuo maneat stabilis ac immota, quicunque *excepta fornicationis causa uxorem dimittit, & aliam ducit, adulterium committit*, cui normae quosdam ex ipsis arcte adhaesisse, ex ipsorum dictis superius adlatis conspicuum est. 3.) Ambrosio, qui vixit sub Valentiniano, Gratiano, Theodosio & Honorio circa annum Christi 374. non fuit ignota Theodosii & Valentiniani constitutio l. Consensu. §. C. de repudiis, in qua plures divortii causas concedunt, ut saevitiam, veneficia, insidias vitae structas, &c. sed quod nihilominus in foro conscientiae divortia, ob causas illas facta, illicita iudicaverit, adparet ex illis, quae lib. VIII. in Luc. XVI. commentatur: *Noli* (inquit) *uxorem dimittere, ne Deum tuae copulae diffitearis auctorem. Si alienos, multo magis uxorios debes tolerare & emendare mores, &c. Dimittis ergo uxorem, quasi iure sine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, sed divina prohibet. Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam, qui leges ferunt:* Quae Deus coniunxit, homo non separet. *Sed non solum hic caeleste praeceptum, sed quoddam etiam opus Dei solvitur, &c.* 4.) Quid quod Augustinus & alii ex veteribus ne quidem ob adulterium divortium quoad vinculum fieri posse voluerunt, equis igitur sibi persuaderi patietur, eos divortia ex aliis causis, quae non aeque ut adulterium unitatem carnis & firmitatem vinculi coniugalis tollunt, adprobasse?

§. DCX. III.) Respectu *obiecti. Flagitia illa, propter quae imperatores christiani divortium concesserunt, vel fuerunt capitalia vel damnatione ad metalla ac deportatione, quae morti aequiparantur, vindicata. Cum ergo morte solvantur matrimonia, aequum est, ut ob flagitia illa itidem dissolvi censeantur. Pius & honestus maritus* (scribit Hemmingius de coniug. pag. 71.) *non minus tristatur ex veneficio, parricidio & sacrilegio uxoris, quam ex adulterio.* Resp. 1.) Si capitalis poena nocenti parti pro merito irrogetur, quaestio erit decisa; sed si magistratus in officio suo negligens sit, non propterea coniugium ipsum dissolvi potest, nisi adsit causa a Deo ipso in verbo expressa. 2.) Distinguendum est inter mortem *naturalem* ac *civilem.* Mors naturalis, non autem civilis solvit matrimoniale vinculum. Civiliter mortui dicuntur deportati, banniti ac similes, sed ob mariti deportationem uxor non liberatur a vinculo coniugali, verum tenetur maritum deportatum vel bannitum sequi. *Quid tam humanum est*, inquit Ulpianus l. Si cum dotem. 22. §. Si maritus 7. ff. Soluto matrimonio, &c. *quam fortuitis casibus mulieris maritum vel uxorem viri participem esse?* quod de negata matrimonii ob furorem alterius partis solutione dictum, etiam ad causam deportationis & similes adplicari potest. 3.) Denique semper repetimus, quod praeter adulterium nulla pro-

proferri causa possit, quæ æquali omnino ratione ipsam matrimonii substantiam labefactet, fidem coniugalem enervet, ac unitatem carnis discindat. Ex quibus omnibus manifestum evadit, solum & unicum adulterium divortii faciendi causam a Christo constitui, cui quo sensu & respectu apostolus malitiosam desertionem addat, iam ante fuit expositum. Duæ istæ divortii causæ a Christo & apostolo adsignatæ excludunt reliquas omnes, quæ quovis prætextu ab hominibus adiunguntur. Cæterum ut doctrina de causis divortii sit illustrior, paulo latius tractabimus 1.) de *adulterio*, 2.) de *desertione*, 3.) de *reliquis causis*, quæ adulterio & desertioni in hac de divortio quæstione coniungendæ ab aliis censentur.

THEMA I.

DE ADVLTERIO.

Adulterium.

§. DCXI. *Adulterium* esse iusti ac legitimi divortii causam, ex Matth. V. 32. XIX. 9. demonstratum fuit superius. De iure igitur *divino* nulla amplius supereſt dubitatio. Ius *civile* inter causas divortii itidem numerat adulterium. l. consensu. l. 8. C. de repud. Iure *canonico* licitum est propter adulterium separationem instituere, sed tantum quoad thorum & cohabitationem, non autem quoad vinculum, neque enim innocenti ad secundas nuptias vivente adultero vel adultera transire fas est. Quæritur autem I.) *Quid adulterii nomine proprie intelligatur, quando illud inter causas faciendi divortii numeratur?*

I.) *Quid per illud proprie intelligatur.*

In iure civili adulterii nomen nimis *stricte* usurpatur pro violatione thori alieni, unde Festus lib. I. orig. illud dictum putat, *quasi ad alterius thorum fit accessio.* Tryphoninus in l. fugitivus. 225. ff. de V. S. adulterum definit, *qui alienam matrem familias corrumpit.* Papinianus l. inter liberas. 6. §. 1. ff. ad l. Iul. de adult. *Lex stuprum & adulterium promiscue & καταχρηστικότερον*, id est, *abusive appellat, sed proprie adulterium in nupta committitur propter partum ex altero conceptum composito nomine, stuprum vero in virginem viduamve committitur*, quod Græci φθορὰν, id est, *corruptionem appellant, modo scilicet* sit libera, ac honeste *& non more meretricio vivant.* l. stuprum. 34. ff. eodem. l. inter stuprum. 101. ff. de V. S. Ergo secundum ius civile adulterium nunquam committitur respectu viri, sive coniugatus sit, sive cœlebs, sed tantum respectu uxoris. Si enim coniugatus rem habet cum virgine, vel vidua, vel meretrice, proprie secundum ius civile non committit adulterium, tum quia ad alterius thorum non accedit, (siquidem thorus soli viro adscribitur, perinde ut domicilium l. Mulierem. 5. ff. de rit. nupt.) tum quia non corrumpit alienam matrem familias, tum quia partum ex altero conceptum non supponit. Si vero cum maritata rem habet, tum demum adulterium committere dicitur. Sed enim quamvis gravius peccet coniugatus, qui cum maritata, quam qui cum soluta rem habet, tum quia iniuriam facit maritatæ viro, tum quia mulieri causam præbet non simplicis fornicationis, sed adulterii, tum quia alienum partum supponit, unde delictum illud vocatur *adulterium duplex*, *Oberhurerey*; quamvis etiam gravius peccet maritata, quæ cum coniugato, quam quæ cum cœlibe consuescit, ob causas easdem modo enumeratas, tamen adulterii nomine censenda est *omnis illicita commixtio personae coniu-*

coniugatae cum alia, sive cœlebs ea sit, sive coniugata. 1.) Quia scriptura adulterium definit violationem fidei & pacti coniugalis, nefariam solutionem eorum, qui in unam carnem divinitus coniuncti, illegitimam commixtionem eorum, qui non habent corporis sui potestatem. Matth. V. 32. XIX. 9. Marc. X. 11. Luc. XVI. 18. 1. Cor. VII. 4. Iam vero maritus cum soluta consuescens fidem & pactum coniugale violat, unitatem carnis, in quam cum uxore coaluit, nefarie solvit, eum scorto fit unum corpus, 1. Cor. VI. 16. & corpus suum, cuius potestatem non habet, alteri tradit. Merito igitur cum Hieronymo in epist. ad Ocean. hic aliquis dixerit: *Aliae sunt leges caesarum, aliae Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit.* 2.) Atque huic sententiæ, quod adulterium etiam a marito, si cum cœlibe consuescat, committatur, unanimi consensu suffragantur pii veteres, quorum dicta quædam in ius canonicum sunt relata. Lactantius lib. VI. div. inst. c. 23. *Non tantum alienis thoris, quae adtingere non licet, verum etiam publicis vulgatisque corporibus abstinendum Deus praecepit, docetque nos, cum duo inter se corpora fuerint copulata, unum corpus efficere.* Et postea: *Deus castitatem praescripto lectuli terminavit, ut cum quis habeat uxorem, neque liberam neque servam insuper habere velit, sed matrimonio fidem servet. Non enim, sicut iuris publici ratio est, sola mulier adultera est, quae habet alium, maritus autem, etiam si plures habeat, a crimine adulterii solutus est. Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum, pari iure coniungit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diversa traxerit.* Nazianzenus in orat. ad virg. *Non suscipio legislationem talem*, (qua vir ob scortationem uxori nequaquam est obnoxius) *viri erant, qui legem tulere, ac ideo contra mulieres lex est lata. Quomodo in corpore aequali leges fers inaequales, &c.* Hieronymus ad Ocean. de obitu Fabiolæ, & habetur cap. *Praecepit* &c. 32. q. 5. *Quidquid viris praecipitur, hoc consequenter redundat ad fœminas. Apud nos quod non licet fœminis, aeque non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur.* Ambrosius lib. I. de Abrah. c. 4. & habetur cap. *Nemo* &c. 32. q. 4. *Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quae ab uxore debetur, castimonia. Quidquid in ea, quae non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur.* Augustinus in lib. de bon. conj. cap. 4. *Adulterium est fidei coniugalis violatio, seu concubitus contra pactum coniugale;* ex quo infert: *cum vir ad alienam accedit uxorem, sive libera sit, sive coniuncta, adulterium committitur ab eo, qui maritus est.* Idem lib. II. de adult. conj. c. 13. & habetur cap. *Puto* &c. 32. q. 5. *Puto Christianum neminem reluctari, illum adulterum esse, qui vel diu languente vel diu absente, vel continenter vivere cupiente uxore sua alteri commixtus est fœminae.* Innocentius I. epist. III. ad Exuperium, & habetur cap. *christiana* &c. 32. q. 5. *Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat.* Isidorus super Exod. & habetur cap. *Non mœchaberis* &c. 32. q. 5. *Non mœchaberis, id est, ne quisquam praeter matrimonii fœdera aliis fœminis admisceatur ad libidinem explendam.* 3.) Quo respiciens constitutis eccles. electoris Augusti in cap. de causis matrimonialibus tit. de pœna stupri & adulterii. p. 117. adulterii nomine indigitat, ac pœnæ adulterii subiicit mariti cum soluta commixtionem. *Da einer eines andern Eheweib beschläfft, er sey gleich ein Eheman oder lediger Geselle, so sollen sie beyde mit dem Schwerd vom Leben zum Tode gestrafft werden, und mit dieser Straffe, soll auch ein Eheman, welcher in stehender Ehe eine le-*

dige Weibsperſon beſchläfft, beleget, die ledige Dirne aber auf ſolchen Fall mit Staupenſchlagen des Landes verwieſen werden. Rectius igitur adulterium dictum iudicatur, quod ſit mariti ad *alteram*, vel uxoris ad *alterum*, quam ad alterius thorum acceſſio, ut hac ratione etiam illicitæ commixtioni mariti cum ſoluta conveniat. Germanis dicitur *Ehebruch*, id eſt, violatio & fractio fidei cnniugalis, quæ a marito committitur, ſi cum ſoluta rem habet. Leges civiles quod adtinet, illæ in adulterio definiendo & pœnis coercendo non conſiderant vinculi coniugalis diruptionem, ſed alieni partus ſubſtitutionem, ex quo confuſio familiarum oritur.

§. DCXII. Nimis *late* adulterii nomen accipitur 1.) pro *immoderato uxoris propriae amore eiusdemque ad libidinem & laſciviam abuſu.* Hieronymus libr. I. contra Jovinianum. c. 5. adducit dictum Xyſti, philoſophi pythagorici: *Adulter eſt in ſuam uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor turpis eſt, in ſuam nimius. Sapiens iudicio debet amare coniugem, non adfectu, non regnet in eo voluptatis impetus, nec praeceps feratur ad coitum. Nihil enim eſt fœdius quam uxorem amare quaſi adulteram*, quod Hieronymi dictum citatur in iure canonico cap. *Origo* &c. 32. q. 4. Ambroſius in libr. de philoſoph. ſcribit, *uxoris adulterum eſſe, qui in uſu coniugali verecundiae, temperantiae & honeſtatis nullam rationem habet*, citante Auguſtino lib. II. contr. Julianum Pelagianum tom. VII. col. 977. Sed quilibet videt, illos *improprie & metaphorice* loqui, neque quidquam aliud velle, quam quod adultero ſimilis ſit maritus uxoris ſuæ amator ardentior. Quod ſi enim adcurate & proprie loqui velimus, tam non poteſt in *propriam uxorem* committi *adulterium*, *quam in res proprias furtum.* Ariſtoteles libr. V. ethicor. c. 11. μοιχεύει ὁ δεὶς τὴν ἑαυτῦ, ὁ δὲ τοιχωρυχεῖ τὸν ἑαυτῦ τοῖχον, ὁ δὲ κλέπτει τὰ ἑαυτῦ. Nec ad uſum, ſed ad alterius thorum acceſſio eſt adulterium. Inde Lutherus in comment. 1. Cor. VII. tom. II. Jen. Germ. p. 296. ſententiam illam vocat *ethnicam*, & auctorem eius dicit eſſe hominem ethnicum, ideoque *ſe illam parum curare, imo adſerere non eſſe veram.* Piſtorius in anatomia Lutheri in ſpiritu primo, quem vocat *fornicatorium*, Azoar. I. ſent. 43. hoc nomine Lutherum peſſime traducit, cum ſententiæ illius autores ſint quidam ex patribus, cumque eadem conſentanea ſit non ethniciſmo ſed chriſtianiſmo, quia quisquis non tam ad neceſſitatem utitur, quam ad libidinem & voluptatem, coniuge abutitur, non tam habet uxorem, quam ab ea habetur. Reſp. Hieronymus diſertis verbis huius ſententiæ autorem nominat Xyſtum, non epiſcopum illum Romanum, ſed philoſophum pythagoricum. Quamvis vero amator uxoris ardentior in amore & voluptate coniugali modum excedens peccet, non tamen adulterium committit, quia aliud eſt in re licita modum excedere, aliud rem illicitam contrectare; in priore reſpectus habetur ad rei modum, in poſteriore ad aliud obiectum. Vid. theologos Haſſienſes in reſp. oppoſita Piſtorio p. 79. Tarnovium lib. III. de matrim. c. 35. Alium vero caſum proponit Lutherus tom. V. Jen. Germ. libr. de cauſ. matrim. fol. 251. in quo quis poſſit cum propria uxore adulterium exercere, ſi quis ſcilicet alteram conduxerit, & illius loco uxor clanculum ſeſe marito ſubiiciat. 2.) Quamvis coram Dei iudicio vere ſit adulter, *qui alterius uxorem deſpicit ad concupiſcendam eam*, iuxta infallibile pronunciatum Salvatoris Matth. V. 28. tamen internum illud adulterium, quod coram Dei iudicio tale eſt, nondum ſufficit ad divortium inſtituendum, alias coniugia fere

quævis

quævis dissolvenda essent, sed externum adulterium, quod coram iudicio etiam humano tale est, hic intelligendum venit, quando de divortii causis agitur. Tryphoninus I. Fugitivus. 225. ff. de V. S. *Furem adulterum aleatorem quamquam aliqua significatione ex animi propositione cuiusque sola quis dicere posset, ut etiam is, qui nunquam alienam rem invito domino subtraxerit, nunquam alienam matremfamilias corruperit, si modo eius mentis sit, ut occasione data id commissurus sit, tamen oportet eadem haec crimina adsumto actu intelligi.* Cum enim unitas coniugalis, non tantum in adfectu, sed etiam in mutua corporum potestate, adeoque, ut Christus loquitur, *in carnis unitate* consistat, ideo ad solvendum matrimoniale vinculum non sufficit adulter animus vel adulter oculus, sed carnis unitatem dissolvens externus adulterii actus. 3.) Quamvis mollities, onaniticum scelus, mutum peccatum sive voluntaria feminis profusio coram Dei iudicio sit longe gravius delictum, quam scortatio vel adulterium, tamen cum per eam persona coniugata non disrumpat matrimonialis unitatis vinculum, ideo nec illa ad divortium faciendum sufficiens est causa, quod ipsum de præposteris & præternaturalibus cum coniuge congressibus statuendum; alia vero ratio est sodomiæ, bestialitatis & incestus, per quæ flagitia coniux corpus suum, cuius potestatem non habet, alteri tradit, & unitatem carnis, qua coniugi adglutinatur, nefarie disrumpit: 1. Cor. VI. 16. *Qui adhaeret scorto, efficitur unum corpus cum eo.* Idem statuendum de nefandis cum masculis ac bestiis congressibus temporalibus & infernalibus flammis iure vindicandis. 4.) Denique quando adulterium divortii sufficiens & iusta causa statuitur, adulterium voluntarium ac spontaneum, nequaquam vero violentum coniugis stuprum intelligitur. Ex animo enim non ex actu æstimanda sunt delicta. *Vbi deest adsensus, ibi & reatus, nec vere vitiata censeri potest, cui per vim illatum est vitium;* cap. *Quod autem* &c. 32. q. 5. *Pudicitia est virtus animi, quae violentiam non sentit. Corpori namque vis infertur, non animo. Vnde quamvis corpus violenter corrumpatur, si pudicitia mentis servetur illaesa, tamen castitas duplicatur, sicut b. Lucia fertur dixisse Paschasio: Si invitam me feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam, non enim inquinatur corpus, nisi de consensu mentis;* Ambrosius lib. II. de virg. & habetur cap. *Tolerabilius* &c. caus. & quæst. iisdem. *Virgo prostitui potest, adulterari non potest;* Idem libr. ad virg. lapsam. c. 4. & habetur cap. *Revera* &c. ibidem: *Revera non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta.* Augustinus lib. I. de civ. Dei. c. 18. & habetur cap. *Ita ne* &c. ib. *Ita ne aliquem polluat aliena libido, metuitur? non polluet, si aliena erit. Si autem polluet, non erit aliena. Sed cum pudicitia sit virtus animi, comitemque habeat fortitudinem, potius quaelibet mala tolerare decernat, quam malo consentire. Nullus autem magnanimus & pudicus in potestate habet, quid de sua carne fiat, sed tantum quid adnuat vel mente renuat. Quis tandem sana scilicet mente putaverit, se perdere pudicitiam, si forte vi adprehensa vel oppressa carne sua exerceatur & expleatur libido non sua?* Cap. *Proposito* &c. ibidem: *Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, ipsi corpori non aufert sanctitatem violentia libidinis alienae, quam servat perseverantia suae continentiae.* Plura eamdem sententiam ibidem coacervata invenies. Cum ergo violenter oppressa adultera non sit, ideo a marito propter violentam illam oppressionem dimitti non debet. Augustinus lib. II. de adult. coniug. ad Pollent. c. XIII. *Puto Christianum neminem reluctari, adulterum esse illum, qui vel diu*

languente vel diu absente vel continenter vivere cupiente coniuge sua, alteri commixtus est fœminae. Cum ergo nihil horum in ista deprehendatur fuisse, quia nec propriae libidinis instinctu, nec alienae consensu, nec viro suo languente, vel absente, vel continenter vivere cupiente adhaesit alii, sed violenter aliena libidine oppressa vim pertulit, adparet, quod nec adultera nec fornicaria dici potest, unde nec aliqua occasione valet dimitti.

§. DCXIII. Quæritur II.) *An in crimine adulterii persona innocens teneatur nocentem deserere vel retinere?* Hieronymus in Matth. XIX. existimat *adulteram non posse nec debere retineri*, cuius sententiam adprobat Bucerus libr. II. de regno Christi cap. 32. Hemmingius de matrimonio pag. 183. refert, virum quemdam pium, qui stupratam ab alio coniugem retinere cupiebat, a Daniæ rege, Christiano III. cum senatu regni & academiæ compulsum fuisse, etsi valde reluctantem, ut ream personam dimitteret, ne functioni publicæ, quam summa cum laude administrabat, inutilis redderetur. Contra vero Augustinus in libr. de adulterinis coniug. ad Pollentium cap. 6. 7. & 9. & alii existimant, *adulteram non posse nec debere repudiari, sed partem innocentem de iure teneri ad reconciliationem.* Nos neutrum præcise urgemus, sed via media incedentes tentandam prius esse reconciliationem dicimus; (nimirum si persona in adulterium lapsa non sit deploratæ malitiæ, nec prostituat se cum publica infamia, si certa spes adfulgeat, fore, ut in posterum caste vivat, ac parti innocenti læsæ humiliter sese subiiciat, cumprimis, si adulterium sit occultum, nec ab eo infamia vel existimationis diminutio metuenda) quod si vero parti innocenti persuaderi nequeat, ut nocenti culpam condonet, eamque in gratiam recipiat, cogi non poterit, ut iuri suo renunciet, sed divortii faciendi libera ac plena potestas ipsi est relicta, etiamsi pars nocens semel duntaxat in adulterii foveam sese dederit præcipitem, & emendationem plenis faucibus promittat. 1.) *Quia, qui iure suo utitur, nemini iniuriam facit.* Atqui pars innocens a coniuge adultera divortium faciens utitur iure suo, cum per expressam Christi sententiam divortii faciendi potestas ipsi sit relicta. Matth. V. 32. XIX. 9. Ergo. 2.) Qui adulteram retineri posse negant, *nimium rigidi* sunt, qui repudiari posse negant, *nimium faciles*; veritas igitur in medio consistit, quæ ratione circumstantiarum habita utrumque in diversis casibus locum habere posse docet. 3.) Utraque sententia in extremo posita suis laborat difficultatibus. Si præcise statuatur, adulteram non posse nec debere retineri, matrimonia bene quandoque concordantia dissolvuntur, misericordiæ aditus obstruitur, divina clementia spirituali adulterio pollutos post conversionem recipiens infamatur, &c. Si præcise statuatur, adulteram non posse nec debere repudiari, Christo illud permittenti contradicitur, perpetuis odiis ac dissidiis fomentum suppeditatur, lenocinii suspicione pars innocens gravatur, personæ in ecclesiasticis vel politicis officiis publicis constitutæ contemtui exponuntur, ac peccandi illa licentia pars nocens deterior redditur. 4.) Utriusque facti exempla in sacris literis occurrunt. Davidem cum Bethsabea adulterantem Ahinoam & Abigail non leguntur repudiasse. Vicissim Josephus dimittere cogitabat beatam Mariam coniugem, quam ab alio compressam falso suspicabatur, neque interim *iusti* encomium amittit Matth. I. 19. Atqui si in casu fornicationis id non licuisset, *iusti* cognomen a Spiritu sancto in hoc ipso facto non obtinuisset. Luthe-

II.) *An persona innocens teneatur nocentem dimittere vel retinere.*

rus

rus tom. II. Jenenſ. Germanic. libro de vita coniugali. pag. 155. b. *Wenn der Ehebruch heimlich iſt, hat der Mann Macht beydes zu thun, das erſte, daß er ſein Weib heimlich und brüderlich ſtraffe und behalte, ſo ſie ſich beſſern will, das ander, daß er ſie laſſe, wie Joſeph thun wolte.* Idem tom. V. Jenenſ. German. in libr. de cauſ. matrimon. part. II. pag. 255. b. *Ich kan und mag nicht wehren, wo ein Gemahl die Ehe bricht, und kan bewieſen werden öffentlich, daß das ander Theil frey ſey, und ſich ſcheiden möge, und mit einem andern verehlichen, wiewol, wo mans thun kan, daß man ſie verſöhne, und beyeinander behalte, iſts gar viel beſſer: Wo aber das unſchuldige Theil nicht will, ſo mags im Namen GOttes ſeines Rechts brauchen.*

§. DCXIV. Argumenta Hieronymi & eorum, qui ipſum ſequuntur, hæc ſunt. 1.) Deut. XXII. 22. *Deus mandavit adulteros lapidari. Ergo noluit eos a coniugibus in gratiam recipi.* Reſp. confunduntur diverſæ quæſtiones. Alia quæſtio eſt de *officio magiſtratus*, quam ille pœnam in adulteros ſtatuere debeat; alia vero quæſtio eſt de *officio hominis privati*, quid illi ratione conſcientiæ faciendum ſit, ſi magiſtratus in officio ſuo negligens ſit. Nec ſtatuimus, maritum debere connivere ad adulteræ flagitia, vel nequitiam eius plane impunitam dimittere, vel pecunia ſive alia quapiam re de adulterio paciſci, ſed ſerio pœnitentem & a peccato deſiſtentem, ſi magiſtratus gratiam illi faciat, in thorum a marito recipi poſſe dicimus. 2.) Deut. XXIV. 2. *Prohibetur maritus eam, quam dimiſerat, rurſum ducere, ſi alteri nupta vel morte vel ratione alia ab eodem erat liberata, & additur ratio, quoniam eſt polluta.* Ex eo ſic concludit Bucerus: *Si polluta dicitur, quae poſt divortium alteri nupſit,* (quod tamen ipſi concedebatur) *ideoque a priore marito duci non poteſt, multo magis polluta eſt dicenda, quae adulterium commiſit, ac proinde a marito retineri vel repeti nequit.* Reſp. Azorius libr. VI. inſtit. moral. cap. 13. exiſtimat verbum *pollui* nihil aliud hoc loco ſignificare, quam *alteri miſceri.* Sed in Hebræo eſt verbum טָמֵא quod ſignificat *contaminatum, pollutum, immundum eſſe*, ac diſerte additur, eſſe *coram Domino* abominationem, ſi maritus repudiatam alteri nuptam ad ſe recipiat, quod in vulgata verſione ſic redditur, *mulierem repudiatam, ſi alteri nupſerit, fieri pollutam & abominabilem.* Bellarminus libr. de matrimon. cap. 17. reſponſ. ad obiect. 14. provocat ad textum Hebræum, in quo non dicatur *mulier ipſa abominabilis*, ſed quod ſit *coram Domino abominatio, ſi mulier toties mutet maritos, & quaſi commodata fuerit alteri, iterum redeat ad primum.* Sed manet interim difficultas, quod mulier per nuptias cum altero initas dicitur *polluta* facta. Bellarminus ſic explicat, *quando polluta eſt cum altero, id eſt, quando rem cum alio habuit*, atqui pollutionis nomen non tribuitur congreſſui maritali legitimo & licito, ſed ἡ κοίτη ἀμίαντος ἔστι, Hebr. XIII. 4. Ergo ex hoc loco recte quidem colligi poteſt, quod divortia lege forenſi fuerint tolerata, in foro tamen conſcientiæ nequaquam adprobata; (quam in rem eum adduximus ſuperius) ſed ex eodem inferri nequit, quod maritus non poſſit uxorem adulteram reſipiſcentem retinere vel recipere. Eſt enim diſpar ratio duplici nomine: *primo*, quia de repudiata poſt mariti poſterioris mortem vel repudium iterum non ducenda expreſſa exſtat prohibitio, quæ de adultera non retinenda nuſpiam habetur; *ſecundo*, quia maritus iniuſta dimiſſione occaſionem repudiatæ dedit, ut ſeſe pollueret, ita enim verbum Hebræum in *hithpaël* poſitum hoc loco reddi poſſe, recte admonet Beza libr. de divort. pag. 176. Sed adulterandi

randi causam illi dedisse, quam nunquam a se repudiavit, dici nequit. 3.) Prov. XVIII. 22. *Qui tenet adulteram, stultus est & impius.* Resp. in Hebræis fontibus non habetur, sed tantum in LXX. interpretibus & vulgata Latina versione. Oppositum autem est lenociniis & præposteræ conniventiæ maritorum adulteras foventium. 4.) Matth. I. 19. Josepho tribuitur *laus iustitiae, quod sponsam ex alio gravidam voluerit occulte dimittere.* Resp. quidam δίκαιον accipiunt in usitatissima & maxime propria significatione, qua accipitur pro eo, qui iuste agit & iustus est. Quidam *iusti* nomen accipiunt pro *misericorde.* Quidam subintelligunt particulam discretivam *tamen*, vide supra cap. IV. sect. II. art. III. §. 110. Quidquid sit, ex hoc loco nihil aliud evinci potest, quam quod licitum sit sponso repudiare sponsam ab alio compressam, & marito uxorem adulteram, sed ex eo inferri nequit, quod ex ἐπιεικείᾳ gratiam illi facere nequeat. 5.) Rom. I. 32. *Non tantum qui faciunt mala, sed etiam qui facientibus consentiunt, Deo exosi.* Resp. aliud est in adulterium consentire, aliud adulteram serio pœnitentem in gratiam iterum recipere. 6.) *Multi canones id prohibent;* cap. *Sicut* &c. 32. q. 1. ex Chrysostomo homil. XXVI. in Matth. *Sicut crudelis est & iniquus, qui castam dimittit uxorem, sic fatuus est & iniustus, qui retinet meretricem.* Cap. *Dixit Dominus* &c. ibidem ex Hieronymo in Matth. XIX. *Cum uxor unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione a marito separaverit, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat.* Cap. *In coniugio* &c. ibidem ex eodem: *Fornicatio uxorem coinquinat, ut iam non sit viro suo licita, sed adultera.* Cap. *Si quis* &c. ex Chrysostomo ibidem: *Si quis uxorem suam invenerit adulteram, & postea deinceps placuerit habere eam in matrimonio, duobus annis pœniteat.* Resp. possunt hi canones accipi de illis, qui compertum scelus dissimulant, ac conniventia sua illud quodammodo adprobant; unde in cap. *Sicut* &c. diserte additur: *patronus turpitudinis est, qui crimen celat uxoris;* hoc autem loco quæritur de eo casu, quando uxor nec sciente nec occasionem præbente marito fit adultera, & quando post peccatum manifestatum in illa arguenda & punienda suum officium fecit, atque ipsa ad seriam pœnitentiam rediit, qualem a marito recipi posse ex cap. *Si quis* &c. ibidem colligitur, ideo enim duorum annorum pœnitentia iniungitur illi, qui uxorem adulteram a se inventam in matrimonio habere cupit, *quia cum adultera mixtus est, quae adhuc crimine suo non est purgata.* Postea additur, *aut abstineat se a matrimonio eius, donec expleatur satisfactio criminis pœnitentiae suae,* cum quo congruit illud, quod ex libro *pastoris* ab Hermete Pauli discipulo conscripto adducitur, cap. *Ego dixi* &c. 34. q. 2. *Si sciverit vir uxorem suam adulterium commisisse, & ea non agit pœnitentiam, sed permanet in suo vitio, reus erit peccati uxoris & particeps adulterii eius, si eam retineat.* Tantum vero abest, ut canones simpliciter prohibeant adulteram resipiscentem a marito recipi, ut omnibus, qui publicas mulieres *de lupanari extraxerint, & in uxores duxerint, id quod agunt, in remissionem peccatorum profiteve* statuant cap. *Inter opera* &c. x. de sponsalibus & matrimon. a quo tamen misericordiæ opere honestatis & castitatis amatores merito abhorrent. 7.) *Leges civiles a reconciliatione post adulterium institutae alieniores sunt.* l. Palam 43. §. 10. ff. de ritu nupt. *Senatus censuit, non conveniens esse ulli senatori uxorem ducere aut retinere damnatam publico iudicio.* §. 12. *Quae in adulterio deprehensa est, quasi publico iudicio damnata est.* l. Castitati 9. Cod. ad legem Juliam de adult. *Qui adulterii damnatam, si quocunque modo pœnam capitalem*

talem evaserit, sciens duxerit uxorem, vel reduxerit, eadem lege ex causa lenocinii punietur. Prohibuerunt etiam imperatores, cum de aliis criminibus capitalibus redimendi sanguinis gratia transigendi facultatem darent, de adulterio transigere, l. Transigere. Cod. de transact. Justinianus nov. 134. cap. 10. *marito* quidem potestatem facit *mulierem adulteram in monasterium detrusam intra biennium retrahendi, ac eamdem sibi denuo copulandi*, sed exacto biennio illud fieri prohibet. Resp. reconciliationem personis in publica dignitate & munere constitutis non esse admodum convenientem, ipsimet concedimus, uxorem propter adulterium capitis damnatam reducere, parum honestum esse ducimus, de adulterio transigere, turpe iudicamus; interim quod ratione conscientiæ reconciliatio fieri possit, illud duntaxat adserimus. 8.) *Legibus ac moribus gentium* adulteras in matrimonio retinere probrosum fuit habitum. Legibus Athenienſium id vetitum fuisse ex oratione Demosthenis in Neæram colligitur. Domitianus Augustus equitem Romanum ob uxorem reductam, cum qua maritus ob adulterii crimen dissidium fecerat, iudicum albo erasit, & nota ignominiæ adfecit. Alexander ab Alex. libr. IV. gent. dier. cap. 8. ex Sueton. in Aug. 9. *Rationes* variæ adferuntur, utpote quod *reipublicae interfit, ne crimina maneant impunita, quod mulierum impudicitia & procacitas indulgentia ac condonatione illa confirmetur, quod raro ad bonam se recipiat frugem, quae pudoris repagula semel perfregit, quod infamia si non iuris, tamen facti laboret, qui adulteram in complexu suo retinet &c.* Resp. hæ rationes efficaciter probant, quod maritus non sit cogendus, ac in quibusdam casibus ne quidem persuadendus, ut adulteram retineat vel recipiat, interim si aliarum circumstantiarum ratione habita iuri suo renunciare cupit, nulla lege prohibetur.

§. DCXV. Argumenta Augustini hæc sunt. 1.) *Si Deus per pœnitentiam purgat peccatum adulterii, & ex adultera facit sanctam, & eam sibi reconciliat, cur grave debet esse viro, mulierem Deo reconciliatam & non amplius adulteram, sed iustam existentem sibi reconciliare? nam non minus illa Deum offenderat adulterio spirituali, quam virum adulterio carnali.* Resp. hæc ratio persuasionis causa urgeri potest, si adultera semel in peccatum prolapsa seriam agat pœnitentiam, interim maritus per eam cogi nequit, ut iuri suo renunciet. Ecquis enim dixerit, eum minus recte agere, si potestate faciendi divortium in casu fornicationis ab ipso Christo sibi concessa utatur? Si ex hac ratione necessitas condonationis inferri posset, magistratus serio pœnitentes propter delicta antegressa politicis pœnis adficere non deberet, cum & ipsi coram Deo ex peccatoribus facti sint sancti & ipsi reconciliati. Sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens. 2.) *Christus remittit viris, quoties ipsi reconciliari volunt, adulteria spiritualia. Ergo etiam viri debent remittere uxoribus adulteria carnalia, si reconciliari illae cupiant.* Nam eadem mensura, qua mensi fuerimus, remetietur nobis; Matth. VII. 2. *& metuendum est, ne dicatur nobis:* Nonne oportuit te misereri conservi tui, sicut ego misertus sum tui. Matth. XVIII. Resp. ex hoc argumento illud duntaxat inferri potest, quod maritus in foro conscientiæ uxori adulteræ resipiscenti ac culpam deprecanti ignoscere debeat; sed nimis large ex eo infertur, quod in thorum maritalem iterum eamdem recipere teneatur. Si dicas: *Christus non solum remittit viris adulterium spirituale, sed etiam in spirituale coniugium eosdem iterum recipit,*

recipit, ergo etiam mariti non solum culpam uxoribus debent condonare, sed etiam in thorum coniugalem easdem recipere; resp. esse rationem disparitatis maximam, quia spirituale illud adulterium non est delictum aliquod politicum, infamiam secum trahens publicam in civili societate, quale est adulterium corporale. Quod si ergo maritus honestatis amans & infamiam metuens adulteram repudiare velit, iure suo quo minus utatur, prohiberi nequit. 3.) *Saepe accidit, ut vir, qui uxorem ob adulterium dimisit, sit etiam ipse adulter, si non opere, certe voluntate, coram Deo & in rei veritate*, Matth. V. 28. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iamdum moechatus est in corde suo. *Sicut ergo viri cupiunt non deseri ab uxoribus, etiamsi fidem eis non servaverint, ita debent eas non deserere aut reducere, si dimiserint, licet ipsis aliquando fidem non servaverint.* Resp. distinguendum inter adulterium *internum* coram Deo, & *externum* coram hominibus tale. Si de mariti adulterio interno agatur, negamus propter illud eum teneri, ut externum adulterium in uxore toleret, quia *ut compensatio delictorum fiat, eadem oportet esse aequalia;* iam vero internum adulterium non est subiectum poenis politicis in foro civili, quibus merito subiacet externum. Ac si efficax esset hoc Augustini argumentum, possem eadem ratione concludere, quod in iudicio civili nemo possit res suas ab iniusto possessore repetere, vel nominis sui honorem vindicare, quia internis cogitationibus eiusdem bona adpetiit, & honori eiusdem detraxit. Si de adulterio mariti externo agatur, concedimus in poenam delicti eosdem ad cohabitationem cogi & a divortii potestate excludi, ut suo loco plenius dicetur.

§. DCXVI. Augustini argumentis Bellarminus lib. de matrim. cap. 17. resp. ad 2. addit 5.) locum apostolicum 1. Cor. VII. 10. *Vir uxorem non dimittat, uxor a viro non discedat, quod si discesserit, maneat innupta, aut viro reconcilietur*, ex quo colligit, quod *apostolus hortetur maritum, ne uxorem adulteram dimittat.* Resp. ostendimus superius, apostolum nequaquam ibi de divortio causa adulterii facto, sed de eiusmodi dissensionibus, quae non sunt sufficientes divortii causae, agere. Minoris adhuc momenti sunt, quae ab aliis adduntur, utpote 6.) quod *David 2. Sam. III. 14. Michol uxorem suam alteri iam nuptam receperit.* Resp. idem concubinas ab Absolone constupratas non recepit in thorum, sed easdem in custodiam tradit, *ut essent viduae omnibus diebus vitae suae*, quamvis violentum stuprum illis videri posset illatum 2. Sam. XX. 3. Micholem quod adtinet, illa non commiserat adulterium voluntarium, sed autoritate regia ac paterna in alias nuptias fuerat coniecta 1. Sam. XXV. 44. 4.) Quod *Iohan. VIII. 10. Christus adulteram absolvat.* Resp. aliud est ecclesiastica adulteræ poenitentis absolutio, aliud politica & œconomica eiusdem in aedes ac thorum maritalem receptio. 8.) Quod *iubeamur esse misericordes, sicut Pater noster caelestis misericors est*, Luc. VI. 36. *condonare proximo offensas, ex dilectione peccatorum multitudinem operire, aliorum aedificationi studere, omnia tolerare &c.* 1. Cor. XIII. 7. 1. Petr. IV. 8. Resp. Deus non solum misericors est, sed etiam iustus, filii ergo Dei ita imitantur Patris caelestis misericordiam, ut eiusdem etiam sectentur iustitiam, quin imo de ipsa caritate dicitur, quod *non gerat se indecore*, οὐκ ἀσχημονεῖ, 1. Cor. XIII. 5. atqui a suspicione ἀσχημοσύνης vix ac nec vix quidem liberari potest, qui adulteram retinet vel recipit. 9.) Quod *concilium Arelatense statuerit, si poenituerit adulteram, a viro eam debere recipi.* Resp. glossa hoc expli-

explicat de debito non neceſſitatis ſed honeſtatis. 10.) Quod cap. *Ego dixi* &c. 34. q. 2. ſtatutum: *Si mulier ob fornicationem dimiſſa pœnitentiam egerit, & ad virum ſuum reverti voluerit, ſi non recipit eam vir ſuus, peccat.* Reſp. huic canoni opponimus alios plane contrarios. 11.) Quod *divortiorum & ſecundarum nuptiarum multa ſunt incommoda.* Reſp. forte non minora ab adultera in maritali conſortio retenta erant metuenda. Non autem hoc loco quæſtio eſt, an in ſpecialibus quibusdam caſibus ratione circumſtantiarum habita reconciliatio ſuaderi ac conſuli debeat, quod facile concedimus; ſed quid fieri iure poſſit, ſi reconciliationis conſilio non detur locus. 12.) Quod *pœnae divinae ſint patienter ferendae.* Reſp. delicta interim non ſunt impunita dimittenda, patienter igitur maritus debet ferre adverſum illum infortunii caſum, non autem adulterium vel adulteram. 13.) Quod *non minor ſit labes animi quam corporis. Atqui uxor haeretica, infidelis, ἄθεος repudiari nequit.* Reſp. oſtendimus ſuperius, longe diverſam eſſe adulterii rationem quam reliquorum delictorum ac vitiorum, illud enim unitati coniugali ac ſubſtantialibus matrimonii directe eſt oppoſitum.

§. DCXVII. Quæritur

III.) *An adulterium ſit totalis vel partialis cauſa divortii.*

III.) *An adulterium ſit totalis, an duntaxat partialis diſſolutionis coniugii cauſa?* Quidam adfirmant, eſſe duntaxat cauſam *partialem*, non *totalem*. 1.) Quia eſt tantum cauſa, ut innocens pars poſſit, ſi velit, divortium petere; ſin vero ſeparari non velit, non eſt diſſolutum coniugium, ne quidem per adulterium, niſi pars rea per ſententiam magiſtratus morti adiudicetur. 2.) Quemadmodum *conſenſus eſt, qui matrimonium efficit:* ita ſi conſenſus ille apud innocentem perſonam manet invariatus, ſecumque ſtatuit, quod condonare velit nocenti, eique porro cohabitare, nulla facta eſt matrimonii diſſolutio. 3.) Levita Jud. XIX. uxorem ſuam licet adulteram retinet, & proinde conſenſu non diſtracto matrimonium non diſſolvitur. Et a Davide in adulterium prolapſo non petierunt Ahinoam & Abigail uxores eius ſeparationem, itaque inconcuſſo perſtante conſenſu indiſtractum quoque manſit coniugium. Hæc omnia recte dicuntur, ſi eo ſenſu accipiantur, quod per adulterium non ea ratione coniugium diſſolvatur, ut parti innocenti poteſtas retinendi vel recipiendi coniugem adulteram ſit ſublata; interim ſi abſolute ac ſimpliciter quæratur, an adulterium ſit totalis an partialis diſſolutionis coniugii cauſa, recte dicitur, quod ſit cauſa *totalis*, quia nulla alia cauſa accedente adulterium tollit carnis unitatem, & vinculum coniugale nefarie disrumpit, eo ipſo, quando adultera cum alio conſueſcit, deſinit eſſe una caro cum marito, quia fit caro una cum adultero, 1. Cor. VI. 16. ergo etiam eo ipſo vinculum coniugii diſſolvit. Magiſtratus divortium faciens & ſeparationem innocentis & adulterii inſtituens, matrimoniale vinculum non diſſolvit, ſed per adulterium diſſolutum fuiſſe teſtatur. Quod ſi pars innocens nocenti condonat, disruptum coniugale vinculum iterum coaleſcit, qualis conſenſus vel expreſſus vel tacitus in illa condonatione ac reconciliatione ſemper intercedit. Ut ergo coniugium illud per conſenſum primo fuit contractum, ita poſtquam per adulterium coniugii unitas fuit diſſoluta, per novum conſenſum cum tali perſona cohabitandi & matrimoniale vinculum iterum connectendi, denuo redintegratur, hinc l. Si uxor 13. §. 9. ff. ad legem Jul. de adulter. *Si repudiata mox reducta ſit, non idem matrimonium durare, ſed aliud interpoſitum dicitur.*

§. DCXVIII. Quæritur IV.) *An in petendo propter adulterium divortio idem ius uxori adversus maritum adulterum competat, quod marito adversus uxorem adulteram conceſſum?* Negat Ambroſius, vel quicunque alius ſit autor, in comm. 1. Cor. VII. *Non permittitur mulieri, ut nubat, ſi virum ſuum cauſa fornicationis dimiſerit, aut apoſtaſiae, aut ſi illicite impellente laſcivia uſum quaerat uxoris, quia inferior non omnino hac lege utitur, qua potior.* Et poſtea: *Ideo non ſubiecit apoſtolus, dicens de viro, ſicut de muliere, quod ſi diſceſſerit, manere ſic, quia viro licet ducere uxorem, ſi dimiſerit uxorem peccantem, quia non ita lege conſtringitur vir, ſicut mulier. Caput enim mulieris vir eſt.* Poſſet hæc ſententia ſtabiliri 1.) ex *lege moſaica de repudiis* Deut. XXIV. 1. Malach. II. 16. conceditur viris, ut uxores dimittant; mulieribus eamdem poteſtatem eſſe factam nullibi legitur. *Non probo iſtam paritatem*, (ſcribit Albericus Gentilis libr. VI. de nupt. cap. 21.) *ut, quemadmodum poteſt vir repudiare adulteram, ita uxor poſſit repudiare adulterum, nuſpiam illa paritas in ſcripturis expreſſa, quae vetita erat lege veteri, non dicetur per novam inducta.* 2.) Ex *dicto Chriſti* Matth. V. 32. XIX. 9. ubi de viro tantum uxorem dimittente Salvator loquitur. 3.) Ex *lege civili.* Severus & Antoninus l. publico 1. Cod. ad leg. Jul. de adulter. *Publico iudicio non habere mulieres adulterii adcuſationem, quamvis de matrimonio ſuo violato queri velint, lex Iulia declarat, quae cum maſculis iuro mariti adcuſandi facultatem detuliſſet, non idem fœminis privilegium detulit.* Id ipſum repetitum a Conſtantino l. placet. C. Theodoſ. de repud. 4.) Ex *aliarum gentium legibus ac moribus.* Romulus denegavit fœminis facultatem adcuſandi viros, quam conceſſit viris in fœminas. Plutarchus in Romul. hinc illud Plautus in Mercat. *Si vir ſcortum duxit impune, uxor ſi clam viro egreſſa foras, viro fit cauſa, exigitur matrimonium.* Gellius libr. X. noct. Attic. c. 23. repetit legem Romuli: *In adulterio ſi uxorem tuam deprehendiſſes, ſine iudicio impune necares, illa te, ſi adulterares, digito non auderet adtingere.* Cælius Rhodiginius libr. XV. antiq. lect. cap. 16. *Romulum lege caviſſe ſatis conſtat, ne mulieri virum, in cuius manu mancipioque matrimonii cauſa foret, relinquere fas eſſet. Sed viro uxorem repudiare, ſi in liberorum veneficio, aut in adulterio foret deprehenſa, aut claves ſubieciſſet.* Turcæ pluribus ex cauſis, quas maritis excogitare facile eſt, divortia faciunt, mulieres vero ægrius a viris divertunt. 5.) Ex *rationibus.* Vir eſt *caput mulieris*, ac mulier ex præſcripto legis divinæ eſt ſubiecta; 1. Cor. XI. 3. XIV. 34. Eph. V. 24. &c. reverentia illa viris a mulieribus debita non permittere videtur, ut adulterii adcuſationem illis intendant. l. alia cauſa. ff. Soluto matrimon. Maritus cum ſoluta conſuescens non ſupponit alienum heredem, non reddit incertam conſtuprati lecti ſobolem, non introducit confuſionem ſanguinis & familiarum, nec tantopere nocet reipublicæ, ut maritata cum cœlibe vel marito rem habens &c.

IV.) *An idem ius uxori adverſus adulterum quod marito adverſus adulteram.*

§. DCXIX. Sed hæc argumenta tanti ponderis non ſunt, ut propter ea uxori poteſtas adulterum maritum repudiandi deneganda ſit, quin potius marito & uxori æquale ius hac in parte competit; quod probamus 1.) ex *adulterii definitione.* Ubicunque datur verum & proprie dictum adulterium, ibi adeſt ſufficiens iuſti divortii cauſa. Ratio pendet ex illis, quæ ex dicto Chriſti Matth. V. 32. XIX. 9. diſputata ſunt ſuperius, quorum omnium ſumma huc redit, quod per adulterium ſolvatur vinculum coniugii, ut coniuges non amplius ſint caro una, ac

ac proinde liceat propter adulterium petere divortium. Iam vero si maritus consuescat scorto, tam committitur adulterium, quam si uxor adhæreat adultero. Ratio pendet ex illis, quæ in prima quæstione huius membri sunt adlata. Coniugalis unitas æque solvitur, si maritus ad alienam accedat, cum qua unum corpus efficitur, quam cum maritata alienum admittit, utrobique enim unitas carnis nefarie dividitur. Fœdus & pactum coniugale æque violatur, si maritus a carne, cui divina coniunctione unitus est, sese separat, & cum alia consuescit, quam si uxor fidei coniugalis immemor cum alio carnali copula cohabitat. 2.) Ex *apostolica decisione* 1. Cor. VII. 4. *Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir,* ὁμοίως δὲ, *similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ubicunque par & æqualis est corporum potestas, ibi utrinque est æqualis obligatio. Sed inter coniuges viget par & æqualis corporum potestas, tam enim vir non habet corporis sui potestatem, sed ipsius uxor, quam uxor non habet corporis sui potestatem, sed ipsius maritus. Ergo utrinque est æqualis obligatio, & per consequens idem ius faciendi divortii, si adulter coniugum potestatem corporis alteri faciat. Ibidem v. 10. inquit apostolus: *Praecipio non ego, sed Dominus, uxor a viro non discedat, & vir uxorem non dimittat,* scilicet sine licita causa. Ergo a contrario sensu libertas faciendi divortium ob adulterium uxori & marito æqualis est. 3.) Ex *aequali coniugum ad castitatem obligatione.* Deut. XXII. 22. Levit. XX. 10. *Si quis adulterium perpetraverit cum uxore proximi sui, moriantur ambo adulter & adultera.* Vi ergo divinæ legis tam in marito quam in uxore adulterium morte vindicandum. Hieronymus in epist. ad Oceanum, & habetur cap. *apud nos* &c. 32. q. 5. *Apud nos quod non licet fœminis, aeque non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur.* Chrysostomus hom. XIX. in 1. Cor. *In aliis sit praerogativa viri, in pudicitia nequaquam.* Ambrosius lib. I. de Abrah. cap. 4. *Viro non licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quae ab uxore debetur castimonia.* Et paulo ante: *Moneo vos, viri, non commisceri adulterino corpori, nec dare hanc occasionem divortii mulieribus.* Augustinus libr. II. de adulterin. coniug. cap. 8. & habetur cap. *Indignantur* &c. 32. q. 6. *Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere similes poenas adulteris fœminis, cum tanto gravius eos puniri oportuit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere & exemplo regere fœminas.* Idem serm. XLVI. de verb. Domini, & habetur cap. *Si ducturi* &c. caus. & quæst. iisdem: *Si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris. Quales vultis eas invenire, tales & ipsae inveniant vos. Quis vivens est, qui non castam velit ducere uxorem, & si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? Intactam quaeris? intactus esto. Puram quaeris? purus esto, non enim illa potest, & tu non potes.* Innocentius I. epist. III. ad Exuperium, & habetur cap. *Christiana* &c. 32. q. 5. *Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat.* Idem tradunt scholastici lib. IV. sent. dist. 35. In his ergo, quæ communia sunt viri & mulieris, etiam commune ius statui debet. Confer concilium Milevit. can. XVII. 4.) Ex *iuris canonici constitutione.* cap. *Praecepit* &c. 32. q. 5. ex Hieronymo in epit. Fabiol. *Praecepit Dominus, uxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris praecipitur, hoc consequenter redundat ad fœminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus.* Cap. *Quidquid* &c. caus. & quæst. iisdem ex Nicolao ad consulta Bulgar. *Quidquid mulier*

contra te cogitaverit, vel si te adcusaverit, non est, excepta causa fornicationis, reiicienda vel odio prorsus habenda; ex quo colligit Gratianus quod *par sit utriusque conditio.* Innocentius in cap. *Gaudemus* &c. extr. de divortiis: *Vir & uxor circa matrimonium non iudicantur ad imparia.* 5.) Ex *imperatorum ordinatione.* Theodosius & Valentinianus l. Consensu 8. Cod. de repud. parem potestatem repudiandi viro & fœminæ concesserunt. *Sicut* (inquiunt) *sine causa iusta dissolvi matrimonia iusto limite prohibemus, ita adversa necessitate pressum vel pressam, quamvis infausto, attamen necessario auxilio cupimus sublevari.* Constat, in multis legibus ff. *repudiantium mulierum* mentionem fieri, l. Si uxor 42. de iudiciis. l. Ea quæ 57. de donat. inter virum & uxor. &c. Augustinus in libr. quæst. vet. ac nov. test. q. 115. tom. IV. col. 836. *Ante Iuliani edictum mulieres viros suos dimittere nequibant, accepta autem potestate cœperunt facere, quod prius facere non poterant, cœperunt enim quotidie viros suos licenter dimittere.* Carolus V. in constitutione crimin. cap. 120. *mulieribus etiam veniam & licentiam indulsit deferendi maritos criminaliter & ad corporis pœnam infligendam adcusandi.* Mauritius, Saxoniæ elector, pari *pœna plectere iubet maritum & uxorem in adulterio deprehensos* part. IV. constit. n. 19. 6.) Ex *variarum gentium consensione.* Apud Athenienses & Thurios repudiandi potestatem non minus fœminis quam viris datam fuisse, ostendimus superius. Idem lata lege Charondas statuit. Nec Romanis mulieribus divortii faciendi potestatem defuisse, colligitur ex epigrammate Martialis:

Mense novo Iuni veterem Proculeia maritum
Deseris, atque iubes res sibi habere suas.

Propter luxuriosos mariti mores divertere uxori licuisse, adparet ex Plutarcho in Alcibiade, ubi refert, *Alcibiadem, postquam uxor libellum repudii apud Orchontem deposuisset, eam per forum domum suam abreptam retulisse, & ad finem vitae retinuisse.* Cunhildis, Angliæ regina, Henrico regi misit repudium ob adulterium. Malmesburiensis libr. XI. cap. 12. Apud Turcas in quibusdam casibus etiam mulieribus licet divortium petere.

§. DCXX. Quæ in contrarium sunt adlata, ad illa brevibus responderi potest: 1.) In lege mosaica non agitur de divortio propter adulterium facto, quia in adulterium pœna capitis a Mose fuit statuta; Lev. XX. 10. sed de divortio ob *fœditatem* aliquam in uxore deprehensam instituto, quod ob σκληροκαρδίαν in illo populo toleratum, solis viris ideo concessum fuit, vel quod legislator eos tardiores & circumspectiores in divortio faciendo futuros existimavit, vel quod facilius fuisset viris, uxores, quas dimittere non poterant, crudeliter tractare, quam uxoribus in viros iniurias esse, vel quod mulieres erga viros placabiliores sint & ad veniam dandam proniores. 2.) Quamvis Christus tantum de viro uxorem dimittente loquatur, quia scilicet ordinarie viri dimittunt uxores, rarius autem ab uxoribus viri dimittuntur; tamen apostolus evidenter ostendit, tam virum quam mulierem æquali lege constringi, nec habere corporis sui potestatem. 3.) Juris civilis constitutiones, & 4.) gentium leges & consuetudines variant, ad normam igitur divinæ legis exigendæ erunt. 5.) Quamvis uxor propter suppositionem alieni partus in adulterio plus noceat reipublicæ, quam maritus, tamen maritus cum soluta consuescens itidem adulterium committit, ac fidem coniugalem violat, qua coniuges æqualiter sunt constricti. Thomas part. III. q. 62. art. 4. *Coniuges, quantum ad thorum adtinet, iudicantur ad paria,*

ria, dicunt scholastici. Quamvis etiam in mutuo coniugii consortio emineat viri autoritas, tamen quoad coniugii vinculum & ex eo descendens ius, quod alter in alterius corpus obtinet, æqualis est utrinque obligatio. Quantum ad officia quædam coniugalia est inæqualitas inter maritum & uxorem, sed quantum ad fidem & debitum coniugale vir & fœmina pares sunt. *Cui reverentia debetur, in ius vocari nequit*, sine iussu scilicet prætoris l. generaliter 13. ff. de in ius vocando. Atqui iussu & autoritate magistratus mulieribus data est potestas maritos adulteros adcusandi.

§. DCXXI. Quæritur V.) *Quas exceptiones causa adulterii, quo minus propter eam divortium fieri possit, admittat?* Recte Innocentius cap. discretionem x. de eo qui conf. ux. cogn. *Etsi secundum evangelicam veritatem nunquam nisi propter fornicationis causam aut vir uxorem aut uxor possit dimittere virum, non tamen semper propter eamdem causam vel uxor virum, vel vir dimittere potest uxorem, cum possit exceptione vel replicatione legitima impediri.* Bellarminus lib. de coniug. cap. 14. causas illas, propter quas divortium in causa fornicationis fiat illicitum, ad quatuor capita revocat: 1.) *Si fornicatio fuerit sine crimine, & proinde non fuerit nisi materialis, ut si mulier vim passa fuerit; aut ex ignorantia cum eo rem habuit, quem virum suum esse credebat.* 2.) *Si uterque coniux eodem crimine teneatur.* 3.) *Si post cognitum adulterium coniugis cum eo rem habuerit.* 4.) *Si autor fuit coniugi, ut fornicaretur.* Quod primam exceptionem concernit, ea consentanea est iuri & legibus l. Si uxor 13. §. Si quis 7. ff. ad l. Iul. de adult. *Ita demum adulterium maritus vindicabit, si vim hostium uxor passa non esset, caeterum quae vim patitur, non est in ea causa, ut adulterii vel stupri damnetur.* Ubi enim adsensus deest, ibi in foro civili etiam reatus & pœna cessat, ac quæ per vim vitiata est, non potest pro vere vitiata haberi, in quam sententiam multi adducuntur canones caus. 32. q. 5. Pari ratione si ex ignorantia commixtio cum alio viro vel muliere facta, adulterii nomine eam censeri non posse, definitum exstat cap. *In lectum &c.* 34. q. 1. ex concilio Triburiensi: *In lectum mariti absente uxore soror ivit uxoris, quam uxorem putans suam esse, dormivit cum ea, super hoc visum est, si ipse per securitatem veram hoc probaverit, quod insçius fecerit hoc scelus, pœnitentiam quidem, quae sibi indicta fuerit, agat, & legitimum suam coniugium habere permittatur.* Secunda exceptio itidem conformis est iuri civili & canonico. l. Si uxor 13. §. iudex 5. ff. ad l. Iul. de adulter. *Iudex adulterii ante oculos habere debet & inquirere, an maritus pudice vivens mulieri quoque bonos mores colendi autor fuerit; periniquum enim videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat, quae res potest & virum damnare, non rem ob compensationem mutui criminis inter utrosque communicare.* l. Viro 39. ff. Soluto matrim. *Paria delicta mutua pensatione dissolvuntur. &c. Ecce* Cap. XXXII. q. 6. *Non videtur, quod pari crimine infectus alium de eodem punire possit, unde cum Iudaei adulteram adcusarent, aequitatis sententiam a Domino acceperunt: Quicunque vestrum sine peccato est, primus lapidem in illam mittat.* Cap. *Nihil* caus. & quæst. iisdem ex Augustino: *Nihil iniquius est quam causa fornicationis dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari; occurrit enim illud: in quo alterum iudicas, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quae tu iudicas, quapropter quisquis fornicationis causa vult abiicere uxorem suam, prior debet esse a fornicatione purgatus & immunis, quod similiter etiam de fœmina dixerim.* Erasmus in lib. de matrim. dicit. *Maritus adulter non habet ius divertendi ab adultera, quam*

V.) *Quas exceptiones causa adulterii admittat.*

quam docuit impudicitiam. Panormitanus etiam *post sententiam de divortio latam redintegrari matrimonium* censet, *si superveniat adulterium a parte illius, qui divortium petierat.* Cæterum hanc exceptionem quidam putant limitandam, quod compensatio illa delictorum non habeat locum, *si alter coniugum vitam correxerit, atque alter interim inemendabilis maneat.* Quemadmodum enim medici, adfecta membra in corpore humano curantes, illud, quod curationem admittit, fovent & conservant, quod autem in dies magis magisque putrescit, & insanabile permanet, abscindunt: ita magistratus, reipublicæ medicus, coniugem, qui ad meliorem frugem se recepit, ab altera parte inemendabili liberare potest. Notandum etiam, quod mutua illa compensatione iurisdictioni politicæ non detrahatur ius animadvertendi in utrumque facinorosum, ut ex d. l. *Si uxor &c.* intelligitur. Tertiam exceptionem adprobat Covarruvias lib. II. de sponsi. 6. §. 6. quæ nititur ratione ea, quod *maritus culpam condonasse uxori praesumatur, cui post cognitum adulterium cohabitavit.* d. l. *Si uxor &c.* §. ult. *Maritus non potest stupri adcusare eam, quam postea duxit uxorem, sero enim adcusat mores, quos uxorem ducendo probavit.* Hemmingius de coniug. p. 182. negat, hanc esse iustam impediendæ separationis causam. *Non video,* (inquit) *cur cuiquam fraudi debeat esse sua clementia, qui semel atque iterum ignoscit confitenti & emendationem pollicenti & redintegrata gratia non abstinet ab uxore, ne praebeat occasionem relabendi, cur is velut fautor alienae nequitiae spolietur iure dimittendi, si comperit inemendabilem.* Atque id quidem locum habet, si pars rea novo implicetur delicto, interim propter pristinum, quod se condonasse coniugali cohabitatione testatus est, non poterit ex post facto divortium petere. Quarta exceptio itidem iuri & æquitati consentanea est. Quid enim iniquius foret, quam vindictam petere illius criminis, cuius ipse autor extitit? Innocentius III. in cap. discretionem X. de eo, qui consang. uxor. suæ cognov. *Non potest sponsus adulterium ei obiicere, quam adulterandam tradidit, praesertim invitam.* Hemmingius dicto loco addit, prostitutionis rationem habere etiam *exclusionem nocturnam, quando misera fœmina fugiens saevitiam mariti cogitur alienum tectum quaerere, eiecta a mariti domo. Maritus enim, qui hoc facit, non minus scelerate agit, quam si uxor exclusa & quodammodo abscissa a marito scortatione se pollueret.* Sed hac in re a circumspecto iudice ad circumstantias diligenter adtendendum, neque enim exclusio illa nocturna adulterio causam dedisset, nisi animum adulterandi secum e domo tulisset. Hisce quatuor causis Baldus libr. I. consil. 382. Vigelius de matrim. cap. 8. Albericus Gentilis lib. VI. de nupt. c. 12. Hemmingius d. l. & alii addunt: 5.) *Si uxor credidit virum defunctum, & nupsit alii, non debet a marito reverso propter adulterium abiici, cum non malitia sed ignorantia peccaverit.* Conforme huic videtur l. miles 11. §. Mulier 12. ff. ad legem Iul. de adulter. *Mulier cum absentem virum audisset vita functum esse, alii se iunxit, mox maritus reversus est, quaero, quid adversus eam mulierem statuendum sit? Respondit Papinianus, tam iuris quam facti quaestionem moveri. Nam si longo tempore transacto, sine ullius stupri probatione, falsis rumoribus inducta, quasi soluta priori vinculo legitimis nuptiis secundis iuncta est, quod verisimile est, deceptam eam fuisse, nihil vindicta dignum videri potest, quod si ficta mariti mors argumentum faciendis nuptiis probabitur praestitisse, cum hoc facto pudicitia laboretur, vindicare debet pro admissi criminis qualitate.* Sed in casu illo desertionis non nisi magistratus & iudicis consensu impetrato novæ nuptiæ parti innocenti desertæ concedendæ sunt, ut postea monebi-

bitur. Addunt quidam 6.) *ob adulterium non posse divortium fieri, si maritus proprio arbitrio, causa nondum cognita & iudicialiter acta, uxorem adulteram abiecerit.* Concedimus omnino, quod maritus non debeat propria autoritate uxorem adulteram abiicere, sed iudicis sententiam & causæ cognitionem postulare; negamus vero, ex eo inferri posse, quod ius petendi propterea uxoris divortium maritus amittat per violentam adulteræ ἐπ' αὐτῷ φόρῳ deprehensæ exclusionem, præsertim si crimen sit notorium. Cap. significasti extr. de divortiis. *Significasti, quod quidam uxore sua sine iudicio ecclesiae dimissa, pro eo quod suggestum sibi fuerat, ipsam incestum cum quodam consanguineo suo commisisse, vinculo fuit propter hoc excommunicationis constrictus, verum mulier non continuit, sed sobolem de alio viro suscepit, nec minus postulat viro restitui, adserens, se ab isto iniuste dimissam, & eumdem sibi materiam adulterandi dedisse. Consultationi tuae taliter respondemus, quod si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam praefatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse.*

VI.) *An parti nocenti concedendae novae nuptiae.*

Quæritur VI.) *An parti nocenti concedendus aditus ad secundas nuptias?* Quidam ἀπροόμως negant: 1.) indigna est novo coniugio, quæ divinam ordinationem tam nefarie violavit. 2.) Quomodo in maritalem thorum eam collocabimus, quam ex præscripto legis divinæ e medio tolli, & vita privari æquum erat? 3.) Absurdum est, partem nocentem commodum sentire ex suo delicto. 4.) Criminibus non debet præberi incentivum. At per indulgentiam novarum nuptiarum præberetur. 5.) Mulieres odio priorum maritorum adulteras se mentientur, ut ad novas nuptias aditus patefiat. 6.) Cap. Literis 12. extr. de præsumtionibus: *Ex violentia & certa suspicione fornicationis potest sententia divortii promulgari, ita quidem, ut vir licentiam habeat, mortua illa* (adultera) *ducendi aliam, muliere sine spe coniugii remanente.* Cap. *quaedam cum fratre &c.* 32. quæst. 7. *Quaedam cum fratre viri sui dormivit, decretum est, ut adulteri nunquam coniugio copulentur, illi vero, cuius uxor stuprata est, licita coniugia non negentur.* Idem statuitur in cap. *Si quis viduam &c.* cap. *Qui dormierit &c.* cap. *Concubuisti &c.* cap. *Si quis cum noverca &c.* caus. & quæst. iisdem. Alii contra statuunt, etiam nocenti parti concedendum matrimonium. 1.) Quia prioris coniugii vinculum est solutum. 2.) Perpetuæ veritatis est regula apostolica: *Si se non continent, nubant.* 3.) Satius est honesto coniugio eam devinciri, quam scortationibus & adulteriis libere indulgere. Bidenbachius de caus. matrimon. f. 84. Nos cum illis facimus, qui media ingrediuntur via, statuentes, nec *temere* aut *cito* nocenti personæ nuptiarum novarum potestatem faciendam, nec *absolute* & *simpliciter* denegandam. Primo igitur magistratum serio monendum esse dicimus, ut capitis supplicium adulterii delicto constituat, sic nullus huic quæstioni relictus erit amplius locus. 2.) Graviter etiam pars nocens monenda, ut gravissimum suum delictum non æterna tantum morte, sed etiam corporali supplicio dignum serio agnoscat, & in veris conscientiæ pavoribus, carnis afflictionibus, laboribus & ieiuniis vivat, seque indignam iudicet, cui novi matrimonii potestas detur. 3.) Dum pars innocens extra coniugium adhuc vivit, sicque reconciliationis aliqua spes supereſt, nocenti ad alias nuptias transvolare neutiquam concedatur. 4.) Quod si res ipsa ostendat, conscientiam eius periclitari & præsentissimum exitium imminere, nisi ei prospiciatur, concedenda

erunt fecunda vota, sed servatis hisce conditionibus: a.) Ne persona nocens propria autoritate ad novum matrimonium transeat, sed magistratus & ecclesiastici ministerii consensum prius expetat. b.) Ne cum illo contrahere permittatur matrimonium, cum quo commisit adulterium. c.) Ut seria personæ reæ pœnitentia per certum temporis spatium prius exploretur. d.) Ut sedem fortunarum ac domicilii mutare iubeatur, atque eo se conferat, ubi eius turpitudo non innotuit. Eadem est sententia Lutheri in libr. de vit. coniugal. tom. II. Jen. Germ. p. 155. b. (in aliis edit. f. 166.) *Fragst du wo das ander bleiben soll, wenn es vielleicht auch nicht kan Keuschheit halten? Antwort, Darumb hat Gott im Gesetz geboten die Ehebrecher zu steinigen, dass sie dieser Frage nicht durfften. Also soll auch noch das weltliche Schwerdt und Obrigkeit die Ehebrecher tödten &c. Wo aber die Obrigkeit seumig und lessig ist und nicht tödtet, mag sich der Ehebrecher in ein ander ferne Land machen und freien, wo er sich nicht halten kan, aber es were besser todt, todt mit ihm umb böses Exempels willen.* Hemmingius de matrim. p. 186. scribit, eumdem processum in ducatu Saxonico & aliis ecclesiis reformatis observari. Wigandus in libr. de coniug. cap. de divortiis pœnas partis adulteræ hoc ordine enumerat, 1.) *capitale supplicium*, 2.) *relegatio seu exterminatio*, 3.) *prohibitio coniugii in pœnam, siquidem in eodem loco manere permittatur. Nam si nocenti iterum in eodem pago, oppido, civitate licitum esset coniugium pro arbitrio contrahere, fenestra ad omnem nequitiam aperiretur, & malitia exoptatum praemium consequeretur; necessarium igitur est honestatis & tranquillitatis gratia, nocentes personas vel sine coniugio manere, vel expelli.* Sed longe satius est nocentes personas e regione expellere, & modo eo scandala præcavere, quam præpostera conniventia easdem tolerare, atque interim prohibitione nuptiarum in animæ periculum easdem coniicere.

THEMA II.

DE DESERTIONE.

Desertio.

§. DCXXIII. *Desertionem malitiosam* esse sufficientem causam, propter quam parti innocenti desertæ (observato scilicet legitimo iuris processu, de quo in membro tertio dicetur) ad secunda vota adspirandi potestas detur, plerique nostrum adfirmant ex verbis apostoli 1. Cor. VII. 15. *Si infidelis discedit, discedat, non est servituti subiectus frater aut soror in huiusmodi.* Ut autem hac de re rectius iudicium fieri possit, tria hoc loco explicanda sunt: 1.) Quid nomine *infidelis*, 2.) *discessionis* & 3.) *servitutis* in textu apostolico intelligendum veniat.

I.) *Quis apostolo infidelis.*

I.) *Infidelis* nomine apostolus intelligit tum eum, qui christianæ religioni nondum nomen dedit, nec fidem Christi amplexus est, sed in Judaica vel ethnica superstitione adhuc hæret, tum eum, qui a fide christiana, quam prius amplexus erat, ad Judaicam vel ethnicam superstitionem turpiter defecit. Postquam enim apostolus ex verbis Christi Matth. V. 32. XIX. 9. Marc. X. 11. Luc. XVI. 18. in *genere* docuerat, matrimonii vinculum in se ac sua natura esse insolubile, ac proinde uxorem a viro non debere discedere, nec virum debere uxorem suam dimittere; descendit ad quæstionem a Corinthiis propositam, quid de coniugiis imparibus statuendum sit in *specie*, an scilicet fidelis persona infideli in

in coniugio cohabitare sine conscientiæ vulnere possit? Respondet apostolus dupliciter pro ratione duplicis casus sive *visionis*, ut iurisconsulti loquuntur. Aut infidelis consentit habitare cum fideli, aut fidelem deserit. Si infidelis cum fideli habitare consentit, fidelis eam prætextu diversitatis in religione non dimittat, v. 12. & 13. rationem huius sui consilii adsignat triplicem: Primo ab *infidelis sanctificatione:* quia *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*, v. 14. quod, referente Augustino libr. II. de peccat. marit. & remiss. c. 26. & Anshelmo, quidam sic exponunt, quod *infidelis a fideli discat servare leges coniugii, & matrimonio non abuti, cum alioquin infideles non abstineant se a copula coniugali tempore menstrui, neque servent modum naturalem.* Ambrosius vero & Anshelmus in comment. simplicius sic exponunt, quod *ex cohabitatione coniugis infidelis fidelis coram Deo non polluatur.* Secundo a *divina ad pacem vocatione:* quia in pace *Deus nos vocaverit;* v. 15. hoc est, ad pacem, ut pacifice & concorditer invicem vivamus, ac proinde fidelis coniux non debet occasionem desertionis dare, nec principium separationis facere, nec infidelem a se per violentiam expellere, sed quantum salva religione & fide potest fieri, pacem & concordiam coniugalem cum ea colere. Tertio a *speranda infidelis conversione: Unde scis mulier, si virum salvum facies, aut unde scis vir, si mulierem salvam facies?* v. 16. hoc est, pacifica & concordi fidelis coniugis cum infideli cohabitatione infidelis Christo lucrifieri & ad eius fidem converti potest, sicut & Petrus 1. epist. III. 1. mulieres christianas hortatur, ut viris suis adhuc ethnicis sint *subiectae, ut, si qui non credunt verbo, per mulierum conversionem sine verbo lucrifiant.* Atque hæc ad priorem casum, si scilicet infidelis cum fideli habitare consentit, apostolus respondet; sin vero infidelis cum fideli cohabitare non consentit, sed potius discedit vel ad aliud coniugium vel ad alium locum, & hac ratione fidelem coniugem deserit, quid tum fideli agendum erit? apostolus respondet, *discedat*, id est, fidelis æquo animo sese deseri a coniuge ferat, *non est servituti subiectus frater aut soror in huiusmodi*, id est, non obstrictus est maritus christianus vel uxor christiana, ut infidelem discedentem sequatur, sed a vinculo coniugii liberatur. Sic ergo proprie & principaliter apostolus agit de eo, qui *professione infidelis* est, quando scilicet duobus infidelibus matrimonio iunctis post initum coniugii fœdus alter eorum ad fidem christianam convertitur & fidelis efficitur, alter vero in infidelitate perseverat, atque ex odio religionis personam fidelem deserit, vel quando duobus fidelibus matrimonio iunctis postmodum alter eorum a fide christiana deficit & infidelis efficitur, altero in fidelitate perseverante atque ex odio religionis, quam abnegavit, a fideli discedit.

§. DCXXIV. Sed hanc *speciem & hypothesin* Lutherus, Philippus Melanchthon, Bugenhagius, Brentius, Wigandus, Mentzerus, Harbartus & alii theologi, quorum sententiam consistoria ecclesiastica sequuntur, transferunt ad *genus ac thesin*, & infidelis desertoris nomine intelligunt non tantum eum, qui professione iudæus est vel ethnicus, & ex odio christianæ religionis discedit, sed etiam eum, qui quavis ex causa tantum coniugis suæ odium ac tædium concipit, ut temere ac sponte ab ea discedat, alibi fortunarum sedem quærat, alios amores sectetur, & cognitioni magistratus sese subtrahat, nec ullam reconciliationem admittendo, nec revocari sese patiendo. Rationibus permoventur

eiusmodi: 1.) Ex *dicto Pauli* 1. Tim. V. 8. *Qui suorum, maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* At maritus deserens coniugem ac uxor deserens maritum non agit curam suorum domesticorum, ergo fidem abnegavit, & infideli est deterior. Quod si ergo talis desertor deterior est infideli, non minus propter illius quam infidelis desertionem parti innocenti desertæ consulendum erit. Quamvis enim professione malitiosus desertor forte infidelis non sit, tamen ipso facto & opere infidelis est, imo perfidia sua infidelitatem superat; idem ergo ius in eum statuendum, quod in personam professione infidelem statuitur, ac terminus *infidelis* in textu apostolico generaliter accipiendus, ut non tantum professione, sed etiam opere & facto infidelem complectatur. Coniungi potest dictum apostolicum Tit. I. 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* 2.) Ex *similitudine facti.* Etsi in *causis* est quædam diversitas, quando infidelis propter christianæ religionis professionem satanicum odium adversus fidelem concipit, eodemque impulsus coniugem nefarie deserit, & quando malitiosus desertor non quidem ob christianæ religionis professionem, sed ob causas alias, odium ac tædium adversus coniugem suam concipit, & vinculi coniugalis impatiens nefaria ac malitiosa discessione ab eo se exsolvere cogitat, tamen in facto ipso est similitudo, imo identitas; æquale enim periculum, æquale damnum in personam desertam redundat, sive ob christianæ religionis professionem, sive ob causas alias a compare suo deseratur. Lutherus in libr. de captivitate Babylonica tom. II. Jenens. Latin. fol. 281. *Apostolus discedentem infidelem concedit dimitti, & fideli liberum facit alterum accipere. Cur non idem valeat, si fidelis, id est, nomine fidelis, re ipsa aeque infidelis coniugem deserat, praesertim nunquam reversurus? Ego sane nihil discriminis utrinque deprehendere possum. Credo autem, si apostoli tempore discessor infidelis reversus denuo aut fidelis factus aut fideli cohabitare pollicitus fuisset, admissus non fuisset, sed & ipsi alteram ducendi potestas facta fuisset.* Quamvis igitur apostolus principaliter de infideli, qui ex odio christianæ religionis coniugem fidelem deserit, loquatur, tamen non excludit causas alias, quæ immani isti odio, quo coniux alterum coniugem, id est, *carnem suam*, deserit, occasionem præbent, & desertionem malitiosam illi persuadent. Quin imo si æqua iudicii lance rem expendere velimus, maior perfidia est desertoris professione christiani, sed re ipsa infidelis, quam illius, qui professione infidelis est. Ille enim cum ex verbo Dei noverit, coniugium esse vinculum indissolubile, tamen sciens ac volens contra propriam conscientiam illud nefarie disrumpit; hic vero vel indissolubilitatem matrimonii ignorans, vel ex superstitione cum diversæ religionis coniuge cohabitare sibi non licere persuasum habens discedit, ille ex malitia, hic ex ignorantia & infirmitate peccat. Sed & illud hoc loco observari velim, quod in casu desertionis non cito nec temere novi matrimonii potestas desertæ parti conceditur, sed omnia prius media ac remedia desertorem reducendi tentantur, adeo ut etiam ab ecclesia publice corripi, & officii sui admoneri consueverit, uti infra plenius explicabimus. Quod si ergo ecclesiasticam illam censuram contemserit, iuxta Christi regulam ut *ethnicus & publicanus*, adeoque ut *infidelis* erit habendus. Matth. XVIII. 17. 3.) Ex *consideratione textus apostolici.* Si adcurate consideretur apostolicus textus, adparebit, causam liberationis coniugis fidelis ab infidelis servitute nequaquam statui *infidelitatem discedentis*, (quod Bellarminus suspicatur lib. de matrim. cap.

cap. 12.) sed *infidelis discessum*. Etenim si infidelitas esset causa, propter quam fidelis a servitute coniugis infidelis liberaretur, apostolus nequaquam permitteret fidelem coniugem cum infideli cohabitare. Iam vero disertis verbis id concedit v. 12. & 13. Ergo infidelitas in se ac per se considerata, nisi malitiosa desertio ei coniungatur, non est causa illius liberationis, sed potius malitiosa desertio, quæ est ac manet eadem, sive persona professione sit fidelis, sive infidelis, cum personæ qualitates actionem non varient, si ratione actionis sint penitus extrinsecæ, ut in hoc casu conspicitur. Qui enim coniugem nefarie deserit, & vinculo coniugali disrupto a corpore suo coniugem abscindit, eamque corporis sui potestate spoliat, non minus, imo magis peccat contra coniugii leges, si professione sit christianus, & ex tædio coniugis sine causa discedat, quam si professione sit infidelis, & ex odio christianæ religionis discedat. 4.) Ex *manifesta suspicione adulterii*. Malitiosa illa desertio si vel maxime non sit perpetuo cum adulterio coniuncta, tamen non caret vehementi, & ut canones loquuntur, violenta præsumtione adulterii. Ecquis enim credat ab aliarum fœminarum complexu eum abstinere, qui pacti coniugalis immemor sanctam Dei ordinationem nefarie transgressus a coniuge per Dei manum sibi tradita discedit, atque alios amores sectatur? Idem iudicium de uxore desertrice, cum fœmineus sexus ad resistendum venereis tentationibus sit imbecillior. 5.) Ex *lege civili*. Constantinus l. Uxor 7. C. de repudiis & iudic. *uxorem, quae in militiam profecto marito, post interventum quatuor annorum consensu magistratus nupserat, nec furtivas iniisse nuptias, nec dotis amissionem sustinere, nec capitali poenae obnoxiam esse decernit.* l. uxores 6. ff. de divortiis & repud. *Si in incerto est, an maritus vivus apud hostes teneatur, an morte praeventus, tunc si quinquennium a tempore captivitatis excesserit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias.* Idem statuit Iustinianus nov. 22. c. 7. Iure novissimo *decennium* uxor exspectare cogitur §. Nov. Auth. de nupt. *aut etiam amplius* ff. quod autem a nobis Authent. Ut liceat matr. & aviæ. 6.) Ex *constitutione provinciali*. In ecclesiis electoratus & ducatuum Saxonicorum desertor habetur non solum is, qui professione infidelis est, sed etiam qui christianus est, si temere & iniuste a coniuge divertit. Beustius de matrim. part. II. cap. 26. Schneidwinus de nupt. part. IV. n. 37. Ex quibus omnibus manifestum evadit, ea, quæ de desertione infidelis in textu apostolico dicuntur, ad quamvis malitiosam desertionem, quippe ex qua æquale damnum & æquale periculum ad desertam redit, adcommodari posse. Quæ in contrarium ab aliis adferuntur, ex hisce facile explicari possunt, nituntur enim omnia duplici fundamento: 1.) quod *Paulus loquatur tantum de coniugibus imparibus*, ubi persona una est fidelis, altera infidelis; 2.) quod *causis divortiorum a Christo & apostolo expressis non sit aliquid addendum*, cum odiosa, inter quae est divortium, non sint amplianda sed restringenda, qua de re quid sentiendum sit, ex antea dictis obscurum esse nequit.

§. DCXXV. Explicandum porro II.) quid nomine χωρισμὸ sive *discessionis* in textu apostolico intelligendum sit? Quidam speciose disputant, discessionem illam sic explicandam esse, ut novæ desertricis personæ nuptiæ includantur, nec prius discessisse alterutra pars intelligi possit, nisi ad aliud matrimonium transierit. Albericus Gentilis libr. VI. de nupt. cap. 14. quem alii plures se-

II.) *Quid per discessionem in textu apostolico intelligatur.*

quuntur. Argumenta illorum adducta sunt superius §. 606. quæ omnia illud duntaxat probant, quod species χωρισμῦ ac discessionis sit, si alteruter coniux vivente parte altera citra adulterii casum ab ea sese seiungat, & novas nuptias contrahat, quod libenter concedimus; sed addimus, etiam hoc discessionis speciem esse, ac nomine χωρισμῦ intelligendum, si alteruter coniux partem alteram malitiose deserat, in peregrina loca temere & sine vocatione proficiscatur, nec literas nec nuncium desertæ personæ mittat, omnem eius curam penitus abiiciat, & ex tædio atque odio coniugis matrimoniale vinculum, quantum in se est, desertione sua nefarie dirimat, etiamsi adhuc incertum sit, an ad alias transierit nuptias, an vero ab illis adhuc abstineat? Rationibus id probamus eiusmodi: 1.) Ex *propria vocis significatione*, χωρίζειν in genuina ac propria significatione non est novum matrimonium contrahere, sed discedere in aliam χῶραν sive regionem & locum alium. Actor. I. 4. XVIII. 1. &c. 2.) Ex *apostolica huius vocabuli usurpatione*; v. 11. ipsius capitis inquit apostolus: *Si mulier a viro χωρισθῇ, discesserit, maneat innupta, aut viro reconcilietur.* Ergo intelligit talem χωρισμὸν, qui nondum coniunctus est cum novo matrimonio; quis enim foret sensus: si mulier discesserit, & alium virum duxerit, maneat innupta? 3.) Ex *comparatione.* Sive desertor novum matrimonium ineat, sive ab eo abstineat, tamen per malitiosam illam desertionem fidem coniugalem violat, desertam in periculum fornicationis coniicit, suorum vero domesticorum curam abiicit, ac plerumque vagas libidines sectatur. Minus graviter quidem peccat desertor, si a novo matrimonio abstineat, quam si ad illud convolet, sed per desertionem æquale damnum & æquale periculum desertæ adtrahitur, sive cum novo desertoris matrimonio ea sit coniuncta, sive ab eodem adhuc seiuncta. 4.) Ex *absurdi consecutione.* Si desertæ personæ non prius danda esset novi matrimonii potestas, antequam desertorem ad secunda vota transisse constaret, sine culpa sua coniugali subsidio destituta, & ustionis remedio privata fornicationis periculo manifesto subiiceretur, adeoque alienæ improbitatis iugo captivaretur, dum interim desertor coniugali freno solutus libidini suæ indulgeret, & ex peccato suo impunitatem lucraretur. Vid. Lutherus tom. V. Jen. German. in libr. de caus. matrim. fol. 256. b. ubi malitiosum eiusmodi desertorem graphice depingit.

§. DCXXVI. Cæterum non quævis *discessio* vel *absentia* pro desertione habenda est, sed distinguendum inter *absentiam necessariam, probabilem, casualem &c.* & inter *absentiam temerariam, voluntariam, malitiosam &c.* Is enim demum censendus est desertor, qui animo malitioso, non iusta & honesta aliqua causa inductus, sed vel religionis odio, vel levitate, vel impatientia freni coniugalis vel aliis causis non necessariis impulsus a coniuge discedit, nec privatis admonitionibus vel publicis citationibus sese revocari patitur, sed hinc inde vagatur, aut plane in alias regiones ac loca longius dissita proficiscitur, ut nulla spes reditus ac reconciliationis amplius supersit. 1.) Colligitur hoc *ex textu apostolico*; v. 12. dicitur: *Si quis frater habet uxorem infidelem, & haec συνευδοκεῖ, consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* v. 13. *Si quae mulier habet virum infidelem, & hic συνευδοκεῖ, consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* v. 15. *Sin vero infidelis discedit, discedat.* Hic ex ipsa oppositione intelligitur, quid per χωρισμὸν sive discessionem intelligen- *Duplex discessio.*

gendum veniat, videlicet si infidelis nolit cohabitare, sed animo malitioso coniugem deserat. Item v. 5. *Nolite fraudare vos invicem nisi forte ex consensu ad tempus.* Ergo a contrario sensu, si maritus cum uxoris consensu ad tempus discedit, pro desertione malitiosa nequaquam id erit habendum. 2.) Ut in reliquis actionibus, ita quoque in discessione & absentia animus cumprimis respiciendus est. Ergo qui officii ratione abest, atque animum revertendi habet, pro desertore haberi nequit, nisi voluntatem erga coniugem mutaverit, & fidem datam violaverit. Voluntas actiones distinguit, & causæ faciunt rerum discrimina. 3.) Idem statuitur in iure civili. l. Divortium 3. ff. de divort. *Divortium non est, nisi verum, quod animo perpetuam constituendi dissensionem fit, itaque quidquid in calore iracundiae vel fit vel dicitur, non prius cautum est, quam si ex perseverantia adparuit, iudicium animi fuisse, ideoque per calorem missio repudio, si brevi reversa uxor est, nec divortisse videtur.* l. Matrimonium 1. C. de repud. *Matrimonium deportatione vel aquae & ignis interdictione non solvitur, si casus, in quem maritus incidit, non mutet uxoris affectionem.* Inde doctores iuris civilis §. rursus. instit. de action. distinguunt inter *absentiam necessariam seu probabilem* & *voluntariam.* Priorem subdividunt in quatuor species. Alia enim est *necessaria simul & probabilis*, ut quando quis reipublicæ causa abest, alia *probabilis tantum, sed non necessaria*, ut quando quis studiorum gratia abit, *alia necessaria, sed non probabilis*, ut quando in exsilio & vago metu aberrat: alia quidem *voluntaria, sed sine contumacia*, ut quando mercaturæ exercendæ aut negotii expediendi causa peregre quis proficiscitur.

III.) *Quid per liberationem a servitute in textu apostolico intelligendum sit?* *servitute intelligendum.*

§. DCXXVII. Restat explicandum III.) quid per *liberationem a servitute* in textu apostolico intelligendum sit? Quidam existimant, nomine *servitutis* intelligi mutua illa officia, quæ coniuges sibi invicem præstare tenentur, ut sit sensus, desertam personam nequaquam obstringi, ut desertorem in peregrinas regiones proficiscentem sequatur, ac matrimonialia officia eidem præstet; negant autem desertæ personæ aditum ad secunda vota patefaciendum. Hanc explicationem dicimus esse *veram*, sed *insufficientem*, quia per liberationem a servitute non illud duntaxat intelligitur, quod deserta persona a matrimonialibus officiis coniugi deserenti præstandis libera est, sed etiam quod a coniugali vinculo liberanda, si malitiosus desertor ei cohabitare nolit. 1.) Quia ab officiis illis matrimonialibus nequaquam excipiendum est illud, quod pene unum meretur nomen servitutis, videlicet quod qui coniugali vinculo adstrictus est, *non habet corporis sui potestatem* 1. Cor. VII. 4. Proinde si per malitiosam desertionem partis alterius deserta persona liberatur a servitute, utique etiam potestatem corporis sui recipit, ac proinde intercedente magistratus autoritate ad alia vota transire potest. 2.) Quid δελείας nomine apud apostolum intelligendum sit, ipsemet satis dilucide expositi Rom. VII. 1. *Lex dominatur homini, quanto tempore vivit.* v. 2. *Nam quae sub viro est mulier, vivente viro adligata est lege, si autem mortuus fuerit vir, liberata est a lege viri.* v. 3. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Δελεία respicit illam κυριότητα seu dominationem legis matrimonialis, propter quam uxor marito est obstricta, ne possit corporis sui potestatem alteri facere. Ergo liberatio a δελεία hoc includit, ut possit per novum matrimo-

trimonium potestatem corporis sui tradere alteri. 3.) Malitiosus desertor, quantum in se est, fœdus & vinculum coniugale nefarie disrumpit, unitatem carnis dissolvit, & individuam vitæ consuetudinem ausu temerario discindit, ergo desertæ personæ aditus ad secunda vota iure ac merito patefieri potest. 4.) Nisi desertæ personæ concedatur potestas novi matrimonii, iure suo absque omni culpa privabitur, & perpetuis forte ustionibus ac scortationis periculo exponetur. *Non sunt laquei iniiciendi* (inquit Philippus in exam. c. de coniug.) *personae innocenti propter aliena delicta. Sed intelligatur & in hoc casu liberatio non de inani vocabulo, & personae liberatae concedatur coniugium.*

Quæritur I.) *An qui militiæ causa abest, pro desertore sit habendus?*

§. DCXXVIII. Quæritur hoc loco: I.) *An qui militiae causa abest, pro desertore sit habendus?* Resp. distinguendum inter milites *pro aris & focis*, id est, pro patriæ salute belligerantes, & inter milites *mercenarios*, qui spe prædæ illecti aliena sectantur bella. Deinde inter eos, qui cum *coniugis consensu* militatum abeunt, & inter eos, qui *coniuge* modis omnibus *reluctante* militare genus vitæ eligunt. Denique inter eos, qui *animum revertendi habent*, & post exactum annum unum vel alterum ex militia redeunt, & inter eos, qui *non habent revertendi animum*, & per annos complures abiecto maritali adfectu hinc inde vagantur. Milites mercenarii, qui coniuge reluctante abierunt, nec habent animum revertendi, pro desertoribus merito habentur, sed aliter iudicandum de iis, qui patriæ causa belligerant, vel cum coniugis consensu abierunt, nec maritalem adfectum & revertendi animum abiecerunt.

II.) *An captivus pro desertore habendus?*

§. DCXXIX. Quæritur II.) *An captivus pro desertore habendus?* Si maritus reipublicæ causa absens, vel cum consensu coniugis in militiam aut mercaturæ exercendæ causa alio profectus, in captivitatem incidit, nec abiecit adfectum maritalem, pro desertore haberi nequit, ideoque ad secunda vota transeundi potestas uxori danda non erit, antequam de mariti morte certo constet. Sed si temeraria protervia in peregrinas regiones profectus, coniugem & liberos deseruit, & maritalem adfectum abiecit, tum captivus pro desertore merito habebitur. Nov. 117. cap. 11. auth. hodie C. de repud. abrogatur tempus quadriennii, quinquennii ac decennii, quod antea definitum erat: *Iubemus quantoscunque annos in expeditione manserint, sustinere eorum uxores, licet nec literas nec responsum aliquod a suis maritis acceperint.* Cap. *In praesentia* &c. X. de sponsalibus: *Mulieribus, quae viros causa captivitatis vel peregrinationis absentes ultra septennium praestolatae fuerint, nec certificari possunt de vita vel morte ipsorum, licet super hoc adhibuerint diligentem solicitudinem, petentes aliis matrimonio copulari, nullo unquam tempore illud concedendum esse statuitur.* Lutherus tom. V. Jen. Germ. libr. de caus. matrim. part. 2. f. 256. *Wo siehs begibt, daß ein Gemahl mit Wissen und Willen von dem andern zeucht, als Kauffleut, oder in Krieg gefordert, oder was sonst für Noth und Sachen sind, daß sie beyde solches bewilligen, hie soll das ander Theil harren, und sich nicht verendern, biß daß es gewiß werde, und glaubwürdige Zeugnüß habe, sein Gemahl sey todt, denn weil das Weib bewilliget in solche Reise ihres Mannes, und sich in solche Fahr begiebet, soll sie es auch also halten, und sonderlich wenns umbs Guts willen, als bey Kauffleuten geschehen mag, kan*

sie

ſie umbs Guts willen bewilligen, daß der Mann in ſolcher Fahr reiſe, ſo habe ſie auch ſolche Fahr wo ſie kömpt, warumb behelt ſie ihn nicht daheim beym wenigerm Gute, und leſſet ihr im Armut begnügen?

§. DCXXX. Quæritur

III.) *Num pertinax denegatio coniugalis debiti ſit ſpecies deſertionis?*

III.) *Num pertinax denegatio coniugalis debiti pro deſertione ſit habenda?* Lutherus tom. Jenenſ. German. libr. de vit. coniug. anno 1522. edito pag. 156. adfirmat, ubi denegationem illam tertiam ſeparationis inſtituendæ cauſam facit. Neque enim hoc voluit, quod jeſuitæ per calumniam ipſi adfingunt, quaſi uxore debitum coniugale quovis modo denegante maritus cum ancilla concumbere citra adulterii crimen poſſit, ſed quod *pertinax, conſtans & perpetuo durans* coniugalis debiti denegatio ſit deſertionis ſpecies, quodque proinde maritus poſt privatas & publicas admonitiones fruſtra adhibitas magiſtratus autoritate deſertricem illam repudiare, & aliam Eſtheram loco faſtuoſæ illius Vaſthi legitimo matrimonio ſibi copulare poſſit. In eamdem ſententiam propendet Hunnius in comment. Matth. XIX. ubi inter cauſas divortii numerat pertinacem debitæ benevolentiæ denegationem. Bidenbachius de cauſ. matrimon. f. 99. idem ſtatuit, atque addit, in hoc caſu divortium fuiſſe factum in Wirtenb. conſiſt. 13. Nov. anno 1600. Sed hæc intelligenda ſunt de extremæ contumaciæ & pertinaciæ caſu, qui cum diſceſſione de facto inſtituta coniunctus eſt; maritus enim per cognatos & eccleſiæ paſtores primo uxorem officii ſui commonere debet, poſtea magiſtratus auxilium implorare, qui carcere & pœnis aliis contumaciam illam emendare poteſt, ne quæſtione illa ſit opus. Si uxor plagis emendari nequeat, diſcedet, & hac ſua diſceſſione animum deſerendi manifeſtum faciet, unde Lutherus ipſe a priore ſententia diſceſſiſſe poſtmodum videtur, quia in libr. de cauſ. matrimon. anno 1530. edit. tom. V. fol. 255. *duas* tantum *divortii cauſas* enumerat, *adulterium* ſcilicet ac *deſertionem*, reliquas autem omnes excludit. (*)

§. DCXXXI.

(*) Selneccerus in præfat. colloq. menſ. Lutheri a. iiij. *Der abtrünnige Staphylus und bißweilen auch andere getrewe Brüderchen haben aus D Luthers Büchern erwiſcht und herfür gebracht, die Wort vom ehelichen Leben, und dadurch hohe Perſonen und andere auch fromme einfeltige Leute zum öfftern bereden wollen, ſie ſolten in D Luthers Büchern nicht leſen, &c. Es redet D Luther an ſelbigem Ort, den ſie ſo unverſchämt anziehen, von der Eheſcheidung und ſetzet drey Urſachen, darumb man die Eheſcheidung hat zugelaſſen, als natürliche Untüchtigkeit, Ehebruch und ſo eins das ander ſelbſt verläßt, beraubt und ſich ihme muthwillig und halßſtarrig entzeucht. Da ſpricht er nun unter andern, wilt du nicht, ſo will eine andere, nemlich nicht zur Hurerey und Ehebruch, ſondern zum ehelichen Weibe, wenn die Eheſcheidung ordentlicher Weiſe geſchehen iſt. Will die Frau nicht fromb ſeyn, ſondern ſich halßſtarrig ihrem Mann entziehen und ihn verlaſſen, ſo komme die Magd, in Eheſtand, nicht zum Ehebruch oder zur eheloſen Beywohnung, ſondern wann die halßſtarrige Frau ſich nicht will warnen laſſen, alßdann wann ſie ja in ihrer feindſeligen Halßſtarrigkeit verharret, ſo laß ſie, ſpricht D. Luther, nach vorgehender Erkenntnüß von dir, und laß dir eine Eſther geben und die Vaſthi fahren, wie König Ahaverus thet. Solches redet D. Luther aus freyem guten Geiſt, wie die Ordnung der Rede mit ſich bringet, wider halßſtarrige Eheleute Mann und Weib. Aber da kommen die Naßweiſen Seue und mit ihren rüßlen wühlen ſie in den Worten, will Frau nicht, ſo komm die Magd, und ſehen nicht, oder wollen nicht ſehen, daß D Luther nicht vom Ehebruch, ſondern von Eheſcheiden und dann von einem rechten chriſtlichen Eheſtand rede, &c.*

§. DCXXXI. Quæritur IV.) *Num sævitia aequetur desertioni?* Adfirmat Philippus Melanchthon hac ratiocinatione usus: *Moses propter duritiem cordis concessit libellum repudii, ergo etiam concedi potest divortium propter iniustam ac desperatam violentiam.* Sed Christus unicam divortii causam constituens, propter σκληροκαρδίαν coniugia dissolvi vetuit. Hemmingius suadet, *tentanda prius quaevis remedia, sin periculum vitae immineat innocenti, faciendam esse separationem quoad cohabitationem, idque ad triennium, in quo si reconciliatio fieri non possit, iustum censet divortium fieri posse, nocenti vero omnem spem nuptiarum vivente laesa parte adimendam esse.* Harbardus eodem fere modo ex Philippo respondet de coniug. p. 93. *Quando alter coniugum* (inquit) *vitae insidias alteri struit, vel leonis instar inhumana crudelitate comparem tractat, nec admonitus corrigitur, tum quia impedit necessaria pietatis officia, magistratus autoritate coercendus est, & vel separatione prius ad tempus facta emendatio & reconciliatio tentanda est, vel si in immanitate pertinaciter perseveret, persona innocens intolerabili iugo liberanda est, ne iusto dolore fracta aut indignatione superata abiiciat pietatis exercitia, & aliquid iniuste ac christiana vocatione indignum faciat.* Sed ministerium ecclesiasticum severis admonitionibus & magistratus carcere & aliis pœnis sævitiam illam coercere, & per iuratoriam cautionem vel alia media innocenti parti prospicere debet. Si nihil proficiatur, quoad cohabitationem ad tempus separatio coniugum fieri potest, donec reconciliatio sequatur, neque tamen ad cohabitationis separationem in casu sævitiæ cito ac temere descendendum, sed omnia prius media ac remedia tentanda tum a ministerio ecclesiastico, quod *trucem illum leonem*, ut vocatur Sirac. IV. 35. observatis admonitionum gradibus ex ecclesiæ cœtu eiiciat, nisi emendari velit; tum a magistratu politico, qui multa, carcere & modis aliis insaniam illam corrigere laboret. Si sævitia sit plane incorrigibilis, desertioni non immerito comparatur.

IV.) *Num sævitia aequetur desertioni?*

§. DCXXXII. Quæritur V.) *Quantum temporis spatium requiratur, ut quis desertor praesumatur?* Variant hic leges & recentiorum sententiæ: l. Uxor 7. Cod. de repud. *quadriennium*, l. Uxores 6. ff. de divortiis. *quinquennium*, §. Novimus. Authent. de nuptiis. *decennium* uxor iubetur exspectare. Lutherus in libr. de caus. matrim. tom. V. f. 256. *annum unum* vel etiam *dimidium* sufficere censet, ut deserta citationes impetret, quas si desertor pertinaciter contemserit, ab illo libera pronunciari queat. *Kömpt er alsdenn nicht*, inquit Lutherus, *so soll er nimmermehr kommen.* Beza de div. p. 206. *in ecclesia Genevensi lege & more ita receptum esse*, memorat, *ut praeeunte legitima cognitione, nocente quoque, si fieri potuit, literis saltem & nunciis evocato, nec tamen sese iudicio ecclesiae sistente, tandem trinundina praeeunte tum in ecclesiae cœtu, tum apud magistratus denunciatione, desertione solutum matrimonium pronuncietur. Quod si reseiri non potuerit, quo loco desertor vel desertrix sit, inquiratur in desertionis causas &c. iuramento praestito constare debet, bona fide omnem operam datam, ut profuga persona inveniretur, & de ista exploratione fieret certior, postremo ne sic quidem novi matrimonii potestas fieri debet, uxori praesertim, quae maritum sequi alioquin tenetur, priusquam convenienti temporis spatio, anno puta, vel etiam si opus sit longiore tempore, absentis reditum exspectarit.* Albericus Gentilis libr. VI. de nupt. cap. 14. con-

V.) *Quantum temporis spatium requiratur, ut quis desertor praesumatur?*

contra Bezam disputat, *non esse desertorem statim habendum eum, qui ignotus, ubi sit, & quaesitus est diligenter, & per annum aut per longius exspectatus est spatium, cum leges civiles non permittant post quotcunque annos novum matrimonium, nisi certo constet de morte absentis, idque propter praeiudicium irreparabile*, l. 7. ubi authentica inseritur C. de repudiis (sed ibi agitur non de *malitioso* desertore, verum de eo, qui *militiae causa* abest, & in captivitatem forte incidit, de quo casu ibidem pag. 212. pronunciat Beza, quod captivitate illa non solvatur matrimonium). Sed si nec mors absentis probari possit nec constiterit, malo animo eum discessisse, non modo quinquennium, verum etiam decennium in Genevensi ecclesia iubetur persona de absentis mora conquerens exspectare, antequam ipsi potestas fiat novarum nuptiarum. Nostri in theologica facultate antecessores desertionem iudicarunt absentiam *ultra triennium*, in responso 10. Octobr. anno 1593. *ultra septennium*, in responso 15. Septemb. anno 1598. *ultra novennium*, in responso 29. Aug. anno 1606. Bidenbachius de caus. matrim. p. 95. *septennium* vel *sexennium* requiri adserit. Dicimus ergo cum Chytræo in comm. Deuter. f. 120. *Leges imperatorum tempora certa & numerum annorum definiunt, intra quos coniugium desertae personae concedi possit, id quamquam optimo consilio factum est, tamen tanta est dissimilitudo casuum & circumstantiarum in desertis maritis ac fœminis, ut difficile ac periculosum sit certum tempus lege praescribere, sed iudicis pii & prudentis arbitrio rectissime permittitur, ut pro circumstantiarum varietate tempus contrahendi alteras nuptias longius aut brevius constituat, & quantum omnino sine periculo conscientiae fieri potest, desertam personam consoletur & exspectare finat, donec de desertoris obitu vel poenitentia constet.* Quod si ergo uxor fuerit morosa, difficilis, importuna &c. quæ malis moribus & quotidianis iurgiis occasionem desertionis dederit, illius petitioni, si novi matrimonii potestatem sibi dari flagitet, nequaquam cito ac temere locus dandus, sed spatio temporis longiore reditum mariti exspectare, vel eumdem sequi & inquirere, ipsique reconciliari iubeatur. Item si uxor fuerit ætate iam provecta, ut nullum sit a vehementioribus ustionibus metuendum periculum, itidem longius temporis spatium illi præfiniendum, quo mariti reditum exspectet. Sed si constet de uxore, quod vitæ fuerit probatæ, mariti observans & domesticæ concordiæ studiosa, quæ nullam discedendi causam fugitivo marito exhibuerit. Item si in ætate adhuc iuvenili constituta, & periculum scortationis metuendum sit, numerus annorum, quibus redeuntem exspectet, imminui poterit, & trina citatione publica præcedente, eademque a desertore penitus neglecta, citius a iugo liberari poterit. Idem κατ' ἀναλογίαν iudicium de marito deserto.

§. DCXXXIII. Quæritur VI.) *Num desertae personae penitus deneganda est novi matrimonii potestas, si occasionem desertionis ipsamet dedisse convincatur?* Adfirmat Beza lib. de div. p. 206. *Inquiratur*, inquit, *in desertionis causas, si forte comperiatur persona, quae se desertam conqueritur & divortium petit, occasionem dedisse huic malo, non audiatur, si neget, se habere donum continentiae, sibi imputet.* Nos facile concedimus, morositatem illam ab ecclesiæ ministris severe arguendam, a magistratu etiam pœnis vindicandam, nec cito vel temere novi matrimonii potestatem in hoc casu concedendam; ecquis enim patienter audiat conquerentem de malo, quod sibi propria culpa accersivit? Interim

VI.) *Num desertae personae deneganda matrimonium, si desertioni ipsamet causam dederit?*

rim tamen circumstantiæ omnes prudenter expendendæ, ac distinguendum inter qualemcunque occasionem, & causam efficacem ac inevitabilem. Si vel maxime deserta persona morositate sua aliqualem occasionem desertioni præbuit, ea tamen nondum pro causa efficaci & inevitabili fuerit habenda. Potuisset desertor cognatorum, ministerii ecclesiastici & magistratus politici autoritatem implorare, & coniugem morosam officii sui per eam admonere, antequam temeraria desertione sibi ipsi cum perpetuo conscientiæ vulnere prospiceret, ac privato arbitrio ius sibi ipsi diceret.

§. DCXXXIV. Quæritur VII.) *Quid si desertor redeat, & coniugem alteri nuptam repetat?* Resp. Si *sponsalia* duntaxat cum alio celebrata, nondum autem consummatum matrimonium, reconciliatio instituri debet, & ad priorem maritum deserto sponso transire. Sin *matrimonium cum alio consummatum*, quidam statuunt, quod ad priorem maritum redire debeat, & posterius matrimonium dissolvi. Cap. *Cum per bellicam* &c. 34. q. 1. ex Leone I. epist. 77. ad Nicetam: *Cum per bellicam cladem & per gravissimos hostilitatis incursus ita quaedam dicatis esse divisa coniugia, ut abductis in captivitatem viris fœminae eorum remanserint destitutae, quae viros proprios interemtos putarent, aut ab iniqua dominatione nunquam crederent liberandos, & in aliorum coniugia solicitudine cogente transierunt, cumque statu rerum, auxiliante Domino, in meliora converso nonnulli eorum, qui putabantur periisse, remearunt, merito caritas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quae aliis coniunctae sunt viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia novimus scriptum, quod a Domino iungitur viro suo mulier, & iterum agnovimus praeceptum, ut quos Deus coniunxit, homo non separet; necesse est, ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus, & remotis his, quae hostilitas intulit, unicuique id, quod legitime intulit, reformetur, omnique studio procurandum est, ut recipiat unusquisque, quod proprium est, nec tamen culpabilis iudicetur, & tanquam alieni iuris pervasor habeatur, qui personam eius mariti, qui iam non esse existimabatur, adsumsit &c. Ideo si viri post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum coniugum perseverant, ut eas cupiant redire in suum consortium, omittendum est & inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit, & restituendum, quod fides poscit. Sin autem aliquae mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captae, ut maluerint his cohaerere, quam ad legitimum redire consortium, merito sunt notandae, ita ut ecclesiastica communione priventur, quod de re excusabili contaminationem criminis elegerint, ostendentes sibimet per suam incontinentiam placuisse, quod iusta remissio poterat expiare.* Confer etiam cap. *Cum in captivitate* &c. caus. & quæst. iisdem. Lutherus in lib. de caus. matr. tom. V. Jen. Germ. f. 250. *Wenn einer gleubte und würde des beredt mit gewaltigem Schein und Warzeichen, seine Vertraute were gestorben, und darnach keme sie wieder und fünde eine andere bey ihm? antwort, er soll die erste wieder annehmen und die andere fahren lassen. Wie wenn sie aber schlecht nicht wieder zu ihm will und will ihn kurzumb nicht haben? Wolan, so laß solches die Obrigkeit erkennen, und sie zu dir zwingen, will sie nit, so laß dich frey sprechen und bey der andern bestetigen, &c.* Eodem respiciens Mentzerus de coni. p. 232. sic statuit: *Si quis abfit a sua coniuge totum decennium, vel etiam amplius iusta necessitate, eaque interim, quia mortuum audiverit ex fide dignis hominibus suum maritum, alteri det fidem coniugalem, & ex eo etiam prolem suscipiat, tamen priorem maritum, si revertatur, teneatur*

VII.) *Quid agendum, si desertor redeat?*

neatur recipere, quia absentia, licet diuturna, non dirimit matrimonium, si absit animus malitiosus. Neque tamen dicetur mulier commisisse adulterium, quia probabiliter censuit, maritum suum obiisse, quae iusta ignorantia hactenus eam excusare potest. Contra vero alii statuunt, quod desertore redeunte nihilominus marito posteriori cohabitare debeat. l. Miles 11. §. Mulier 12. ff. ad leg. Jul. de adulteriis. *Mulier, cum absentem virum audisset vita functum esse, alii se iunxit, mox maritus reversus est, quaeritur, quid adversus eam mulierem statuendum sit? respondit, tam iuris quam facti quaestionem moveri, nam si longo tempore transacto sine ullius stupri probatione, falsis rumoribus inducta, quasi soluta priori vinculo, legitimis nuptiis secundis iuncta est, quod verisimile est, deceptam eam fuisse, nihil vindicta dignum videri potest, quod si ficta mariti mors argumentum faciendis nuptiis probabitur praestitisse, cum hoc facto pudicitia laboretur, vindicare debet pro admissi criminis qualitate.* Beza de div. p. 207. *Si desertore redeunte persona deserta aliud matrimonium iniit, non erit audiendus sero expostulans, quasi facta sibi sit iniuria, quin potius dignus est gravissima poena civili.* Quidam putant desertae personae alteri nuptae *liberum relinquendum* esse, an priori, an posteriori coniugi cohabitare in posterum velit. Sed haec decisio est periculosa & multis laborat cum difficultatibus. Alio igitur modo videlicet distinctionis fœdere utramque sententiam conciliabimus. Si deserta persona coniuge reipublicæ causa vel ex alia necessaria, honesta, & probabili causa diutius absente, proprio arbitrio sine magistratus autoritate & consensu, non antegressa publica citatione desertoris novas nuptias contraxerit, tum redeunte eo, quem pro desertore ipsa habuit, & alteri nupsit, relicto mari to posteriore ipsi cohabitare debet. Sin vero malitiosus desertor ex causa non necessaria, nec probabili absens solenniter citatus non comparuerit, ac magistratus autoritate & consensu deserta persona novas nuptias contraxerit, tum si vel maxime animo postea mutato desertor redierit, & coniugem sibi restitui petat, audiendus non est, sed pœnis potius subiiciendus, ac in exsilium, quod sponte elegit, iterum pellendus, iuxta illud Lutheri: *Si desertor citatus non venerit, nunquam postea veniat,* id est, redeundi potestas ipsi denegetur.

§. DCXXXV. Quæritur VIII.) *An ex hac nostra de desertione doctrina & novo desertae personae coniugio concedendo sequatur polygamia simultanea, adeoque ipse Turcismus?* Adfirmat Pistorius in anatom. Lutheri spiritu primo. Atqui nostra de desertione doctrina ex verbis apostoli 1. Cor. VII. 15. petita tantum distat a Turcarum polygamia, quantum summum cœlum ab infima terra. Turcæ enim adprobant polygamian *simultaneam*, qua quis plures simul uxores retenta priore sibi adiungere potest; nos autem non nisi coniuge temerarie ac malitiose discedente, & quantum in ipso est, vinculum coniugale nefarie dirimente magistratus autoritate innocenti parti consuli, & novi matrimonii potestatem ipsi fieri posse dicimus, observato scilicet legitimo processu, de quo in sequenti membro dicetur. Vide pleniorem Pistorianæ calumniæ refutationem in scripto theol. Würtenb. contra Pist. p. 70.

VIII.) *An ex doctrina de desertione sequatur Turcismus?*

THEMA III.

DE RELIQVIS DIVORTII CAVSSIS.

Reliquæ divortii causæ.

§. DCXXXVI. Cum ex verbis Christi & apostoli Pauli demonstratum sit, duas esse duntaxat divortii causas, *adulterium* scilicet & *malitiosam desertionem*; ex eo facile intelligitur, quid de reliquis causis, quas alii adsignant, sit statuendum. Si enim removeantur illæ causæ, propter quas instituitur separatio eorum, inter quos nunquam fuit verum & consummatum matrimonium, (de quibus hoc loco, ubi de causis divortii proprie dicti, id est, separationis eorum, inter quos verum, ratum ac consummatum matrimonium exstitit, unice agitur, non est quæstio) ac si arcte & fixe teneatur illud, quod verum divortium non solum separationem quoad *thorum & mensam*, sed etiam quoad *vinculum coniugale* complectatur; (quod ipsum superius demonstratum fuit) cuilibet primo intuitu manifestum erit, reliquas, quæ præter adulterium & malitiosam desertionem statuuntur, non esse iustas, legitimas ac sufficientes divortii causas. Ut autem omnia sint clariora, in *specie* causas illas omnes ac singulas examinabimus. Bellarminus libr. de matrim. cap. 12. 13. & 14. sic progreditur 1.) *Aliud iudicium est de coniugio infidelium, aliud de coniugio fidelium. Coniugium infidelium solvi potest etiam quoad vinculum, si alter coniugum convertatur ad fidem, & alter nolit ei cohabitare, sine iniuria creatoris.* 2.) *Aliud iudicium est de matrimonio fidelium rato & non consummato, aliud de coniugio fidelium rato & consummato. Matrimonium fidelium ratum & non consummatum solvitur etiam quoad vinculum per ingressum in religionem.* 3.) *Matrimonium fidelium ratum & consummatum quoad vinculum non potest solvi, sed tantum quoad thorum & cohabitationem, idque duabus de causis.* Primo *ex consensu propter maiorem & altiorem statum adquirendum, ut si utergue coniugum continentiam perpetuam voveat, & ad religionem transeat.* Secundo *sine consensu ob crimen, idque triplex.* Primum *est adulterium alterius coniugis.* Deinde *si alter coniugum a fide catholica recedat.* Tertio *si alter coniugum impellat alterum ad peccatum, ita ut non possit alter cum eo cohabitare sine periculo Deum offendendi;* quæ omnia dicit esse conformia decretis ecclesiæ in titulo de divortiis & sanctione concilii Trid. sess. XXIV. can. 8. Melioris distinctionis causa possunt hæc omnia revocari ad tria capita. Petitur divortium ob qualitatem aliquam 1.) *animi*, 2.) *corporis*, 3.) *status & conditionis.* Ad animi qualitates pertinent *infidelitas, hæresis, votum religionis* &c. ad corporis qualitates *impotentia coeundi, frigiditas, infirmitas, lepra &c.* ad status & conditionis qualitates *deportatio propter delictum aliquod civile, servitus, captivitas &c.* Possent etiam causæ illæ ex hypothesi pontificiorum & aliorum sic distingui, ut dicatur divortium peti vel ratione *sanctioris propositi*, videlicet propter ingressum in religionem ut vocant, hoc est, in monasterium, vel ratione *delicti ab altero coniuge commissi*, puta propter furtum, homicidium, insidias vitæ structas, vel ratione *supervenientis infortunii*, tum in *corpore*, ut ob morbum contagiosum, inhabilitatem, &c. tum in *statu* ut exsilium, captivitas &c.

Quæritur: I.) An ecclesia plures divortii causas introducere possit?

§. DCXXXVII. Antequam vero ad specialem illarum causarum διάσκεψιν transitum faciamus, duo prius explicanda erunt. Primo:

Primo: *an pontificii recte faciant, quod plures divortii* (id est separationis quoad *thorum & cohabitationem*, illam enim divortii nomine intelligunt) *causas constituant praeter adulterium & malitiosam desertionem?* Concilium Trident. d. l. sic intonat: *Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorum seu cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Nos distinctionibus quibusdam adhibitis respondemus: 1.) Separatio quoad thorum & mensam instituitur vel ad *certum* duntaxat *tempus*, donec scilicet reconciliatio instituatur, & parti innocenti idonee caveatur, vel ad *totum vitae tempus* in perpetuum. Illam certo respectu toleramus, hanc improbamus. 2.) Separatio illa vel suscipitur autoritate *propria* vel *magistratus*. Illam adprobat Bellarminus, qui cap. 14. scribit: *Divortium quoad thorum tantum propria autoritate fieri potest, at divortium quoad habitationem, quia res est publica, & quae scandalizare potest caeteros, non potest fieri nisi ecclesiae iudicio.* Nos posteriorem duntaxat probamus, quia nemo potest esse iudex in propria causa, & variae oriuntur confusiones, incommoda & pericula varia, si coniugum arbitrio privato illa separatio committitur. Priorem quod adtinet, in casu fornicationis pars innocens ab adultera recte abstinet, ne culpam condonasse videatur, sed in reliquis separationis causis magistratus iudicium implorare & exspectare debet. 3.) Separatio illa statuitur licita vel in *foro conscientiae interno & coram Deo*, vel in *foro politico externo coram magistratu*. Priori respectu unica tantum divortii causa est, videlicet adulterium, quod substantialia matrimonii & unitatem carnis evertit, posteriori respectu plures separationis quoad thorum & mensam causas constitui posse non negamus. 4.) Separatio illa statuitur licita vel *absolute & simpliciter* vel *comparate & secundum quid* ad maiora mala evitanda. Tentatis frustra omnibus mediis ac remediis reconciliationis consistoria ad extremum illud, videlicet separationem quoad thorum & mensam, tandem descendunt, ad maiora mala, videlicet homicidium, veneficium & alia praecavenda; sed cum praesto adhuc sunt alia quævis media, quae magistratus adhibere potest, non est ad separationem illam, cumprimis perpetuam procedendum.

§. DCXXXVIII. Tridentinae illi sanctioni Chemnitius opponit quinque argumenta part. II. exam. conc. Trid. cap. de sacr. matr. quorum aciem hebetare & obtundere conatus fuit Bellarminus lib. de matrim. cap. 14. 1.) *Definitio illa divortii, quod fit separatio matrimonii quoad thorum manente vinculo coniugali, nova est, & ex verbis Pauli male intellectis fabricata, nam deducta est ex illis verbis:* Praecipio uxorem non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. *Sed apostolus hoc loco non loquitur de iusto divortio, quod fieri potest in causa fornicationis, sed de dissidiis quibusdam levibus, quae inter coniuges oriuntur, & proinde de illicito divortio, quo a se invicem discedunt, sed paulo post reconciliantur. Ergo perperam illud adcommodatur ad divortium, quod manente vinculo coniugali in ecclesia licite fiat.* Excipit Bellarminus, *Paulum non loqui de eadem discessione, cum ait:* Praecipio uxorem a viro non discedere, *& cum ait:* quod si discesserit, manere innuptam. *Nam in priore loco agit de iniusta discessione, in posteriore de iusta, si enim ageret de separatione illicita ob leves causas, cum ait:* quod si discesserit; *non daret coniugibus optionem, ut post separationem aut innuptae manerent, aut viris reconciliarentur.* Resp. contrarium evidenter demonstravimus superius, & Bellarmini argutiam in pulverem redegimus.

II.)

II.) *Christus dimissionem coniugii nisi propter causam fornicationis pronunciat esse illicitam & illegitimam. Contra hanc Christi sententiam pontificii decernunt, praeter fornicationem multas alias esse causas, propter quas licita & legitima coniugum separatio fieri possit.* Excipit Bellarminus, *Christum* Matth. XIX. *promisisse centuplum in hoc seculo & vitam aeternam iis, qui uxores dimiserint propter evangelicam perfectionem, & Paulum* 1. Cor. VII. *docere, quod possit fidelis coniugem infidelem dimittere, ac proinde verba Domini non esse universaliter & sine limitatione accipienda.* Sed demonstravimus paulo post in quæstione de infidelitate & voto religionis, hæc dicta in alienum sensum a Bellarmino detorqueri. III.) *Separationem, quae* 1. Cor. VII. *extra causam fornicationis describitur, Paulus nec suadet, nec decernit, sed docet eam pugnare cum praecepto Domini, qui praecipit non discedere; quando vero coniuges contra illam apostoli doctrinam privata contumacia se separant, tunc Paulus suadet reconciliationem, aut si hoc nolint, pronunciat eos sine coniugio debere manere.* Bellarminus repetit suam cramben, *verba apostoli non esse accipienda de illicita discessione*, idque invictissima demonstratione se ostendisse gloriatur, sed quod ea sit potius ficta & victa quam invicta, ostendimus superius. IV.) *Christus* Matth. V. *ideo prohibet uxorem dimitti extra casum fornicationis, quia eiusmodi dimissio obiicit periculis ustionis, fornicationis & adulterii: sed de his pontificii non sunt soliciti, libere enim decernunt separationem ad certum incertumve tempus.* Excipit Bellarminus, *quando iusta est dimissio, periculum fornicationis, cui obiicitur dimissus, non imputari dimittenti, qui utitur iure suo, sed ei, qui dedit causam, cur dimitteretur, quod probat exemplo dimissionis ob adulterium.* Resp. est dispar ratio inter dimissionem propter adulterium, & inter dimissionem propter causas alias a pontificiis additas; illa enim nititur verbis Christi, hæc vero divina autoritate destituitur. Illa solvit ipsum coniugale vinculum, ut suo loco ostendimus, hæc vero tantum quoad thorum & cohabitationem instituitur. Illa adulteram extremo supplicio subiicit, si magistratus suum officium faciat, vel potestatem aliarum nuptiarum ei permittit, si magistratus in officio suo sit negligens; hæc vero dimittentem & dimissam personam in vivis relinquit, & neutri potestatem novi matrimonii concedit, sicque periculo ustionis & scortationis utramque partem subiicit. V.) *Contendunt pontificii tale debere esse divortium, in quo vinculum matrimonii salvum maneat. Atqui pontificia illa separatione vinculum coniugii multis & variis modis solvitur. Quid enim sit vinculum matrimonii, docent hae sententiae:* Et adhærebit uxori suae. Faciamus ei adiutorium, quod sit coram ipso. Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir. Iterum convenite, ne tentet vos satan. Non sunt duo, sed una caro; *& ipsum matrimonium definitur individua vitae consuetudine. At haec omnia vincula solvit divortium quoad thorum & cohabitationem. Ergo homines separant, quos Deus coniungit.* Excipit Bellarminus, *cohabitationem & societatem lecti & mensae, de qua loquuntur dicta adlegata, non efficere vel esse ipsum vinculum, sed ex illo consequi, alioquin quotiescunque vir & uxor etiam iusta de causa in diversas regiones abirent, atque inter se distarent, coniugii vinculum solveretur, quod est absurdissimum.* Resp. est ratio maxime dispar inter separationem quoad thorum & mensam a pontificiis institutam, & inter absentiam alterutrius coniugis in regione peregrina; illa enim non corporum tantum sed etiam animorum separationem complectitur, & maritalem affectum tollit, hæc vero corporum duntaxat separationem introducit, animorum autem coniunctionem & maritalem affectum

fectum relinquit. Illa excludit obligationem ad officia coniugalia, hæc eamdem includit. Illa instituitur in perpetuum, hæc ad certum duntaxat tempus: illa animum revertendi ad præstanda officia coniugalia excludit, hæc eumdem includit; illa non requirit consensum partis alterutrius, a qua fit separatio, hæc vero utriusque partis consensu suscipitur. Plura quoad fictam illam divortii pontificii definitionem fundamenta adduximus superius.

§. DCXXXIX. *Secundo* explicandum est hoc loco: *an mutuo dissensu matrimonia solvantur?* Videri alicui posset, ut consensus facit nuptias, ita quoque dissensum matrimonia dissolvere, cum causarum contrariarum contraria sint effecta. *Nihil enim tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est.* I. Nihil 35. ff. de regul. iur. *Fere quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur, cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus.* l. fere 153. eod. Sed absit, imo longissime absit, ut matrimonia consummata mutuo utriusque partis dissensu iure dissolvi adstruamus. 1.) *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* Matth. XIX. 6. iam vero legitima matrimonia Deus ipse coniunxit. Ergo nullus homo eadem separare debet, & per consequens nec ipsi coniuges mutuo dissensu sese separare & seiungere debent. Chrysostomus hom. LXIII. in Matth. ostendit Christus, ὅτι καὶ παρὰ φύσιν καὶ παρὰ νόμον τὸ γινόμενον. παρὰ φύσιν μὲν, ὅτι μία τέτμνεται σὰρξ, παρὰ νόμον δὲ, ὅτι τὰ θεῖ συναψαντος καὶ κελεύσαντος μὴ διαχωρίζεσθαι αὐτοὶ (Ἰουδαῖοι) ἀνεπιτίθεσθε τᾶτο δρᾶν. 2.) Ut nuptias legitimas non quivis consensus facit, sed qui verbo Dei & legibus naturalibus conformis est, si quis enim contra parentum voluntatem vel in gradibus iure divino prohibitis contrahat, consensu suo non potest veras & legitimas facere nuptias: ita quoque is demum dissensus solvit matrimoniale vinculum, qui conformis est verbo Dei. Jam vero unica tantum divortii faciendi causa in verbo Dei nobis proponitur, videlicet adulterium; ergo is demum dissensus, quo propter adulterium nuptiæ dissolvuntur, legitima divortii causa statuendus. 3.) Argumentum a contrario sensu petitum ut alias infirmum est, ita hoc loco nulla ratione procedit. Non enim eadem sunt in dissolutione vinculi coniugalis libertas per dissensum, quæ fuit in eiusdem obligatione & constrictione per consensum, quia obligatio facta in rem sua natura indissolubilem, a qua proinde nec alterutri nec utrique proprio ausu discedere integrum. 4.) Malach. II. 14. coniux vocatur *socia & uxor fœderis, inter quam & maritum Deus ipse testificatus sit.* Ergo non possunt absque violatione fœderis coram Deo initi coniuges mutuo dissensu a se invicem discedere. 5.) Magna igitur differentia est inter matrimonium, quod est divina & indissolubilis unius maris & unius fœminæ in unam carnem coniunctio, & alios civiles contractus, qui & ipsi non possunt perpetuo & semper mutuo dissensu rescindi; quanto igitur magis iniquum foret coniuges, qui per matrimonium in carnem unam coaluerunt, animorum dissensu iterum seiungi. 6.) Apostolus expressis verbis mandatum Domini repetit & inculcat 1. Cor. VII. 10. *iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus: Uxor a viro non discedat. Vir uxorem non dimittat.* At si mutuo dissensu matrimonia solverentur, liberum esset uxori a viro discedere, & viro uxorem dimittere. 7.) Ex temerariis illis divortiis mutuo animorum dissensu factis multa in familiam ac poli-

II.) *An mutuo dissensu matrimonia solvantur.*

tiam redundarent incommoda. Quid enim fiet de liberis ex illo matrimonio natis, quis curam eorum suscipiet, quis in timore Domini eos educabit? liberorum favor impetrat, matrimonii solutionem debere esse difficiliorem. 8.) Merito igitur Justinianus nov. 117. ut liceat matri & aviæ capit. 10. divortia ex mutuo consensu facta penitus abrogavit. *Quia*, inquit, *ex consensu aliqui usque ad praesens alterna matrimonia solvebant, hoc de caetero fieri nullo sinimus, nisi forte castitatis concupiscentia quidam hoc fecerint*, de qua adpendice exceptiva quid statuendum, ex sequentibus adparebit.

Impedimenta matrimonium contrahendum impedientia & contractum dissolventia.

§. DCXL. His in genere praemissis ad speciales dissolutionis matrimonialis causas ab aliis enumeratas ad trutinam verbi expendendas descendemus. Considerabimus autem primo omnium ea, quae canonistae & scholastici vocant *impedimenta matrimonium contrahendum prohibentia, & contractum dissolventia*, quae superius §. 171. sunt enumerata. Quamvis enim proprie & adeurate loquendo illa impedimenta non sint causae divortiorum, cum non dirimant matrimonium aliquod verum ac ratum, quod ab initio fuerit firmum & legitimum, sed duntaxat ostendant, inter eos, qui cum aliquo horum impedimentorum contrahunt, verum & ratum matrimonium nunquam contractum fuisse, nec in coniugum loco haberi eos posse, qui ea ratione cohabitare coeperunt; tamen cum 1.) divortium in genere acceptum dicatur quaevis dissolutio matrimonii, sive de iure sive de facto illud fuerit contractum; 2.) cum quaedam ex illis impedimentis etiam a nostris inter divortiorum causas numerentur; 3.) denique cum de illis impedimentis omnibus ac singulis non sit eadem nostra, quae canonistarum & scholasticorum sententia; ideo ipsa necessitas requirit, ut sigillatim ea expendamus, & quid de unoquoque ecclesiae nostrae statuant, explicemus. Impedimenta illius generis numerantur *duodecim*, quae memoriae causa inclusa sunt quibusdam versiculis supra enumeratis, in quibus hac serie proponuntur.

§. DCXLI. I.) *Error*, videlicet *personae*. Cum enim error consensui oppositus sit multiplex, ut vidimus superius cap. IV. sect. II. art. II. §. 102. sciendum, non quemvis errorem, sed eum duntaxat, qui *personae error* vocatur, quando scilicet in ipsa persona erratur, id est, quando quis contrahit cum una, existimans se contrahere cum alia, matrimonium facere irritum. Consentimus igitur canonistis, personae errorem non tantum sponsalia, sed etiam matrimonium facere irritum, nisi scilicet errore comperto per consensum subsequentem illud fiat ratum, quod antea sua natura erat irritum, cuius rei exemplum in Iacobo patriarcha proponitur, qui ex ἐπιεικείᾳ Leam pro Rachele substitutam in thoro maritali secum retinuit, quam stricto iure usus repudiare potuisset. I.) *Error personae.*

§. DCLXII. II.) *Conditio*, scilicet *servitutis*. Quando enim quis servam accipit, quam liberam esse credebat, & vice versa, si quae servo nubit, quem putabat esse liberum, tunc matrimonium esse irritum, canonistae pronunciant. Sed hic duae addendae sunt limitationes. Prima, quod *hoc impedimentum accipiendum sit de mancipiis & emtitiis*, in quos domini perpetuum habuerunt dominium, ita ut contractus ab illis celebrati sine dominorum consensu irriti haberentur, quemadmodum etiam in iure mosaico servus uxorem, quam in servitute duxerat, II.) *Conditio servitutis.*

erat, & liberos in servitute genitos domino cogebatur relinquere, quando servitute exibat. Alia vero ratio est nostrorum servorum & ancillarum, qui ex ingenuis nati ipsi quoque sunt ingenui, & ad servitia certi temporis mercede se conduci patiuntur, cum illis personæ liberæ matrimonium contrahere possunt, & si vel maxime error conditionis interveniat, tamen coniugium est ratum. Secunda, quod, *si tempore copulae sciverit maritus liber uxoris conditionem servilem, tunc matrimonium valet, nec reddi potest irritum*, si vel maxime eam tempore consensus ignoraverit; sed si non tantum consensus, verum etiam copulæ tempore servilem illam conditionem ignoraverit, non poterit eiusmodi copula homini libero erranti præiudicare. Idem iudicium esto de fœmina. Piso Soaccius tract. de sponsal. part. II. p. 112. *Conditio non est separatim pro impedimento ponenda, sed sub errore comprehendenda, quia per se prohibitionem non inducit, nam nulli dubium est, quod inter servos hodie matrimonium consistere potest, & liber etiam ancillam ducere, si scit ipsam ancillam esse, secus si ignoret, & sic error conditionis est, qui impedit matrimonium, non conditio ipsa.* Lutherus in lib. de vit. coniug. anno 1522. edit. tom. II. Jen. Germ. f. 154. de primis illis duobus impedimentis, errore & conditione, sic pronunciat: *Irrthumb heist, wenn mir Katharin vertrauet würde, und legten mir Barbaram bey, das mag man zerreissen und die andere freyen. Anhang heist, wenn ich eine nehme, die da frey seyn solte, und befünde sich hernach, daß sie leibeigen wäre, das gehet auch wol hin. Aber ich halte, wo Christliche Liebe were, künte der Mann diese beyde Vrsachen leichtlich endern, daß keine grosse Noth da were. Auch so geschicht solches beydes iezt nimmer, oder gar selten, und ist beydes wol zu fassen in eins, nemlich in Irrthumb.* Coniungimus autem hisce duobus impedimentis libero consensui oppositis duo alia, videlicet 1.) *defectum consensus paterni* in nuptiis liberorum sub parentum potestate adhuc constitutorum, propter quem matrimonium reddi irritum, ostendimus superius cap. IV. sect. II. art. I. §. 59. 2.) *errorem qualitatis substantialis*, quando quis ducit compressam ab alio, quam putat esse virginem, propter quem itidem dissolutionem a parte innocente peti posse, demonstravimus superius cap. IV. sect. II. art. II. §. 111.

§. DCXLIII. *Votum*, scilicet *religionis*. Distinguunt autem inter votum continentiæ *simplex & solenne*. III.) *Votum religionis.*

Votum simplex statuunt *impedire matrimonium contrahendum, sed non dissolvere matrimonium post votum contractum: votum solenne iudicant non tantum impedire matrimonium contrahendum, sed etiam dissolvere matrimonium post ipsum votum celebratum.* Bellarminus de matrimonio cap. 21. Quod votum simplex non dirimat matrimonium post votum contractum, libenter acceptamus. Quæstionem priorem, an votum continentiæ simplex absolute ac simpliciter impediat matrimonium contrahendum, breviter tractavimus cap. IV. membr. II. art. I. §. 229. latius vero eamdem expositimus, & idoneis argumentis negativam quæstionis partem confirmavimus cap. X. sect. I. §. 545. Quæstionem alteram de voto continentiæ solenni, an dirimat matrimonium post votum contractum, breviter adtigimus cap. V. membr. II. art. I. §. 229. illa igitur hoc loco plenius explicanda restat. Statuimus igitur, matrimonia post votum solenne continentiæ contracta non esse irrita nec dissolvenda, quam sententiam probamus dupliciter: 1.) ex eo, quod contraria pontificiorum opinio sit ἀγραφος, 2.) quod sit ἀντιγραφος. Ἄγραφον eam esse tacite concedit Bellarminus, quando

do enim ex professo tractat hanc quæstionem lib. de matr. cap. 21. prop. 1. nullum pro adstruenda sua opinione adfert *scripturae dictum*, sed duntaxat autoritatem *conciliorum*, *pontificum*, *patrum*, cui subiungit quamdam rationem, quam ex verbo Dei ductam adserit, cum eidem potius sit contraria, ut suo loco adparebit. Atqui decreta conciliorum, responsa pontificum, dicta patrum non poterunt articulum aliquem fidei condere, vel conscientiam tranquillam reddere, nisi ex verbo Dei perspicua & clara testimonia adferantur. Quod pontificiorum opinio sit ἀντίγραφος, probamus: 1.) Ex *diserta & expressa Christi dictione.* Matth. XIX. 6. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Jam vero coniugium eorum, qui, postquam votum continentiæ emiserunt, dono illo sese destitutos animadvertentes coniugii remedium divinitus illis, qui uruntur, propositum arripuerunt, & fidem coniugalem honestæ personæ dederunt, illorum, inquam, coniugium est divina coniunctio. Ergo humana autoritate separari nequaquam debet. Quidquid de voto continentiæ hic excipiant pontificii, ad illud facile responderi potest ex illis, quæ de voto isto cœlibatus disputata sunt superius. 2.) Ex *apostolica huius decisionis repetitione.* 1. Cor. VII. 10. *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus: Vxor a viro non discedat, & vir uxorem non dimittat.* Ergo qui post votum continentiæ nuptias celebrarunt, non debent a se invicem discedere. 3.) Ex *voti huius conditione.* Ostendimus suo loco, donum continentiæ esse speciale, de quo nullum exstet mandatum, quod voveri debeat, nulla promissio, quod omnes illud desiderantes & expetentes precibus a Deo impetrare possint, quin potius illis, qui continere nequeunt, & ustiones sentiunt, coniugii remedium divinitus est præscriptum. Ergo qui temere & nondum satis exploratis viribus illud præstiterunt, si malum ustionis & periculum scortationis sentiant, nulla voti ratione habita matrimonium contrahere possunt. 4.) Ex *matrimonii a votariis illis contracti permissione.* Demonstravimus superius, quod votum cœlibatus nemini debeat esse laqueus, quo ita constrictus teneatur, ut, etiamsi postea gravissimis satanæ tentationibus propter incontinentiam subiectus, ustionis flammis, fornicationis periculo, pollutionibus carnis, &, quæ ex immunditie consequitur, perditioni corporis & animæ expositum sese videat, tamen non possit ex eo liberari & extricari; sed si continere nequeant & urantur, qui continentiam virginalem incaute voverunt, coniugii remedium arripere posse. 5.) Ex *veteris ecclesiae testificatione*, quam proposuimus cap. X. sect. I. §. 551. 6.) Ex *ipsorum adversariorum hypothesi.* Matrimonium post votum *simplex* contractum non redditur irritum. Ergo nec matrimonium post votum *solenne* contractum debet reddi irritum. Rationem *consequentiae* damus hanc, quia votum solenne a simplici non distinguitur essentialiter, sed tantum accidentaliter, nec coram Deo, sed tantum coram ecclesia, ut ex seq. adparebit. Polyd. Virgilius lib. VII. de invent. cap. 2. *Divus Augustinus Basilio aequalis permultis rationibus probavit, connubia post votum contracta non debere dirimi, ut in decr. 27. q. 1. c. Nuptiarum exstat.* Gratianus post c. Diac. 1. dist. 27. *Si diaconus a ministerio cessare voluerit, contracto matrimonio licite potest uti, nam etsi in ordinatione sua castitatis votum obtulerit, tamen tanta est vis in sacramento coniugii, quod nec ex violatione voti potest dissolvi ipsum coniugium.*

§. DCXLIV. Pontificii contra pronunciant, *votum solenne continentiae esse impedimentum non solum prohibens matrimonium contrahendum, sed etiam dirimens contra-*

tractum. Concilium Trid. seſſ. XXIV. canon. 9. *Si quis dixerit, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos vel regulares caſtitatem ſolenniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiae vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe, quam damnare matrimonium, poſſeque omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt caſtitatis, etiam ſi eam voverint, donum, anathema ſit.* Bellarminus de matrimonio cap. XXI. propoſ. 3. *Votum ſolenne continentiae dirimit matrimonium poſt ipſum votum celebratum.* Lib. de monachis cap. XXXIV. reſp. ad 19. *Convenit inter theologos, matrimonium poſt votum ſolenne contractum eſſe nullum.* Toletus lib. IV. inſtruct. ſacerd. cap. XVI. *Vovens continentiam & poſtea uxorem ducens, quamvis mortaliter peccat, non tenetur eam ſervare.* Maldonatus in ſumm. q. 12. art. 5. *Quidquid ſenſerint multi antiqui autores, an ſit verum matrimonium contractum ab iis, qui votum ſolenne caſtitatis fecerunt, tamen nunc certum eſt, matrimonium illud non eſſe verum.*

Diſſenſiones pontificiorum de matrimonio poſt votum contracto.

Antequam vero pontificiorum argumenta examinemus, probe animadvertendum, quod ne ipſi quidem pontificii de eo conſentiant, an matrimonium illud, quod poſt votum continentiæ ſolenne contrahitur, ſit irritum *iure eccleſiaſtico* tantum, an vero etiam *iure divino & naturali*, quam diſſenſionem ipſis Bellarmini verbis proponere placet. Lib. de monach. c. 34. ſic ſcribit: *Utrum poſt ſolenne votum nullum ſit matrimonium iure divino & naturali, an ſolum iure eccleſiaſtico, quaeſtio eſt. Nam Albertus, Thomas, Bonaventura, Richardus, Durandus in lib. IV. ſent. diſt. 38. & Dominicus a Soto lib. VII. de iuſt. & iur. q. 2. art. 5. volunt, iure divino ac naturali matrimonium nullum eſſe, ſi poſt votum ſolenne contrahatur. At Scotus & Paludanus* in lib. IV. diſt. 38. *& Cajetanus* in II. 2. q. 88. art. 7. *& omnis ſchola iureconſultorum* (canoniſtarum) *ut refert Panormitanus in c. Rurſus. Qui clerici vel voventes &c. aſſerunt, ſolo iure eccleſiaſtico matrimonium irritum eſſe, quod poſt votum ſolenne contrahitur. Utraque ſententia probabilis eſt, nec eſt noſtrae conſiderationis hoc loco quaeſtionem iſtam definire.* Lib. de matrim. cap. 21. propoſ. 3. *Multi iique graviſſimi theologi, Thomas, Bonaventura, Albertus, Richardus, Durandus, Dominicus a Soto & alii contendunt, votum ſolenne iure divino ac naturali dirimere matrimonium. Quorum haec eſt potiſſima ratio, quia votum ſolenne non eſt ſimplex promiſſio Deo facta, ut eſt votum, quod dicitur ſimplex, ſed eſt traditio de praeſenti ſui ipſius in perpetuum Chriſti obſequium, & ea traditio a Chriſto per miniſtros ſuos accepta ac probata eſt. Quare differt votum ſolenne a ſimplici, ut coniugium de praeſenti contractum a ſponſalibus de futuro. Sed iure divino ac naturali nemo poteſt alteri dare, quod ſuum non eſt, & ſi dederit, irrita eſt donatio. Igitur iure naturali & divino irritum eſt coniugium poſt votum ſolenne. Et quidem ſi ex ſcripturis aut evidenti aliqua ratione demonſtrari poſſet, votum ſolenne differre a ſimplici, quod in illo ſit donatio de praeſenti, in iſto vero promiſſio tantum de futuro, non oportet aliam quaerere rationem. Tamen quia principium illud multi negant, ut Scotus, Paludanus, Cajetanus & omnes iuris canonici interpretes, & contra potius exiſtimant, ſolo eccleſiae decreto factum eſſe, ut votum ſolenne dirimat matrimonium, ideo probandum ſupereſt, eccleſiam potuiſſe hoc impedimentum matrimonii conſtituere.* Hæc omnia Bellarminus, circa quæ notamus, 1.) diſſenſionem illam non eſſe de quæſtione parvi momenti, ſed de re longe maxima. Id enim quæritur, an Deus ipſe in verbo ſuo matrimonia poſt votum ſolenne contracta iudicet irrita; an vero tantum *eccleſiae* (hoc eſt, ut ultima analyſis docet, *pontificis Romani*) decreto

talia matrimonia sint irrita? Si prius, nullo ecclesiae decreto matrimoniorum illorum firmitas stabiliri potest: cap. *sunt quidam &c.* XXV. q. 1. *Si pontifex id, quod docuerunt prophetae & apostoli, destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur.* Atqui ostendimus superius, per papalem dispensationem monachorum & monialium matrimonia saepius fuisse confirmata. Item matrimonia illa semper & perpetuo in ecclesia iudicari debuissent irrita, quia ius divinum ac naturale est perpetuum & immutabile. Cur ergo Bellarminus de monach. cap. XXXIV. ad Augustini & Hieronymi dicta respondet, *decretum ecclesiasticum, quo inhabiles fiunt ad matrimonium, qui votum habent solenne, ad eorum notitiam non perveniisse?* Si posterius, in arbitrio ecclesiae, id est, pontificis, relictum erit talia matrimonia facere rata. 2.) Cum ergo tanti ponderis ac momenti sit illa quaestio, debuisset Bellarminus alterutri parti sese adiungere, quod tamen neutiquam facit, sed ἑταμφοτερίζων utramque sententiam dicit esse probabilem, & quamvis in lib. de matr. in posteriorem sententiam magis inclinare videatur, tamen mentem suam plane & perspicue non exponit. 3.) In iure canonico habetur expressa pontificis decisio, quam Bellarminus non debuisset praetermittere, multo minus in dubio eamdem relinquere. Sic enim scribit Bonifacius VIII. ad Biterensem episcopum cap. unic. de vot. & voti redemt. in 6. *Nos adtendentes, quod voti solennitas ex sola ecclesiae constitutione sit inventa, matrimonii vero vinculum ab ipso ecclesiae capite, rerum omnium conditore, ipsum in paradiso & in statu innocentiae instituente, unionem & indissolubilitatem acceperit, praesentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solenizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per sedem apostolicam adprobatis. Reliqua vero vota etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum, & quanto manifestius sunt emissa, tanto propter plurium scandalum & exemplum durior poenitentia transgressoribus debeatur, non tamen rescindere possent matrimonia post contracta.* Atqui si ex sola ecclesiae constitutione voti solennitas est inventa, utique etiam ex solo ecclesiae decreto dependet, quod votum solenne continentiae matrimonium post illud contractum irritum reddat, quod non faciat votum simplex. Lombardus lib. IV. sent. dist. 37. matrimonium post votum simplex contractum ideo non dirimi adserit, quia *simplex votum probari non potest.* 4.) Distinctio illa, quod votum simplex sit tantum *promissio de futuro*, votum solenne *donatio de praesente*, caret omni fundamento scripturae. Quando enim promissio perpetuae continentiae libera voluntate fit Deo excellentioris boni gratia, (quam promissionem votum simplex) tum non tantum est promissio de futuro sed etiam donatio de praesente, quia talis persona ex hypothesi pontificiorum tradit se in sponsam Christo, & spirituale matrimonium cum eo contrahit, quamvis ergo non accedant solennitates ex ecclesiae constitutione inventae, ipsi tamen (ut sic loquar) substantiae voti nihil decedit, sed per illud efficax obligatio introducitur, cum solennitates sint duntaxat externum aliquod accidens substantiam rei non mutantes nec variantes. Vidit hoc Bellarminus, ideo hypothetice loquitur: *Si ex scripturis aut evidenti aliqua ratione demonstrari posset, votum solenne differre a simplici, quod in illo fit donatio de praesenti, in isto vero promissio tantum de futuro, non oportet aliam rationem quaerere.* Atqui Bellarminus postea quaerit rationem aliam, videlicet

decre-

decretum eccleſiæ. Ergo agnoſcit, diſtinctionem illam nec ex ſcripturis nec evidenti aliqua ratione demonſtrari poſſe.

Argumenta Bellarmini I.) *ex autoritate.*

§. DCXLV. Videamus duplex Bellarmini argumentum. *Prius* deſumtum eſt ex *autoritate triplici, conciliorum, pontificum & patrum*, ad quam in *genere* reſpondemus, 1.) concilia, pontifices & patres non poſſunt novum aliquem fidei articulum extra verbum condere, nec ſub opinione neceſſitatis & cultus aliquid inſtituere. Ex verbo igitur demonſtrari primo omnium oportebat, talia coniugia eſſe irrita. 2.) Nec conciliorum decreta nec patrum dicta citra pontificis Romani autoritatem ad ius eccleſiaſticum introducendum apud pontificios quidquam valent, ut ſuo loco demonſtravimus; potuiſſet igitur Bellarminus concilia & patres omittere, vel certe pontificum decreta primo loco collocare. 3.) Quædam pro noſtra ſententia ex patribus & conciliis adduximus ſuperius in quæſtione illa: *An votum ſolenne impediat matrimonium contrahendum?* Si enim non impedit matrimonium contrahendum, longe minus diſſolvere poteſt contractum. Auguſtinus diſerte ſtatuit, *eos graviter peccare, qui nubentes poſt votum invicem dirimunt*, cuius ſententia citatur in iure canonico cap. *Quidam &c.* diſt. 27. cap. *Nuptiarum &c.* XXVII. q. 1. cui non potuit Bellarminus aliter reſpondere, quam quod *notitia iuris illius eccleſiaſtici ad Auguſtinum non pervenerit.* Utinam vero notitia illius iuris nunquam ad eccleſiam perveniſſet, cum divino & naturali iuri adverſetur, ut poſtea oſtendemus. Gregorius epiſt. XXXIX. & habetur cap. *Sunt qui &c.* XXVII. q. 2. *Sunt, qui dicunt, religionis gratia coniugia debere diſſolvi, verum ſciendum eſt, ſi lex hoc humana conceſſit, lex tamen divina prohibuit. Per ſe enim veritas dicit, quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* 4.) Diſtinguendum inter concilia *vetuſtiora & recentiora.* Vetuſtiora, utpote Toletanum & Chalcedonenſe, nequaquam illud ſtatuunt, quod Bellarminus in eis ſtatui adſerit, ut dicto loco oſtendimus, ſed pœnitentiam tantum nubentibus poſt votum iniungunt; recentiora, ut & pontificum decreta non moramur. Cyprianus noſtram potius confirmat ſententiam, uti itidem dicto loco demonſtravimus. Ac perquam abſurdum eſt, quod Bellarminus hoc loco ſcribit: *Quamvis illi, cum quibus ſacrae virgines dormierant, non ſe maritos earum dicerent, tamen idem iudicium de illis Cyprianus feciſſet, ſi ſe maritos earum profiteri voluiſſent.* Num vero idem flagitium, ſi virgo ſacra ſcortetur, & ſi matrimonium ineat? Cyprianus ibidem illud diſerte negat. Baſilii, Chryſoſtomi & Ambroſii dicta nituntur illa hypotheſi, quod per cœlibatus profeſſionem deſponſatio facta ſit inter Chriſtum & virginem votivam, ſed hypotheſin illam ab Auguſtino confutari oſtendimus ſuo loco.

II.) *Ex ratione.*

§. DCXLVI. *Poſterius* deductum eſt ex *ratione duplici*, quarum prior demonſtrare debet, *eccleſiam potuiſſe votum ſolenne conſtituere impedimentum matrimonium dirimens.* Poſterior probare debet, *eccleſiam habuiſſe graves & iuſtas id ipſum conſtituendi cauſas.* Nos utrumque negamus, audiamus igitur Bellarmini probationes. I.) *Eccleſia ab antiquiſſimis temporibus tum in conciliis tum per ſummos pontifices hoc ſtatuit. Fortaſſe etiam hoc de apoſtolica traditione deſcendit. Nam Cyprianus, Baſilius & Ambroſius, qui hoc impedimentum agnoſcunt, ante ea concilia eosque pontifices vixerunt, a quibus hoc decretum factum videtur, & ideo concilia & pontifices non tam novi aliquid ſtatuiſſe, quam vetus decretum inno-*

innovasse aut declarasse censendi sunt. Resp. 1.) Vera ecclesia utpote Christi sponsa vocem sponsi sui in propheticis & apostolicis scripturis sonantem audit & sequitur; ab ea si discedit, hactenus non facit veræ ecclesiæ officium. 2.) Iam vero ne unico quidem scripturæ dicto probari potest, votum solenne continentiæ esse impedimentum matrimonium dirimens. Contra autem Christus diserte pronunciat: *quod Deus coniunxit, homo non separet.* Matth. XIX. 6. 3.) Votum illegitimum non potest convellere ordinationem divinam. Atqui votum continentiæ in personis peculiari illo dono non instructis est illegitimum, ut suo loco ostendimus. Ergo non potest convellere divinam coniugii ordinationem. 4.) Bellarminus dubitanter pronunciat, *fortasse de apostolica traditione hoc descendere.* Sed illud *fortasse* non sufficit ad conscientiam tranquillandam & divinam coniugum ad individuam vitæ consuetudinem coniunctionem disiungendam. 5.) Patres nuspiam adfirmant, se id habere *ex traditione apostolica.* 6.) Nec concilia nec pontifices, qui id statuunt, ad antiquissima ecclesiæ tempora pertinent, nec patres constanter id adseruerunt, ut ex dictis constat.

§. DCXLVII. II.) *Illegitimas facere personas ad matrimonium non est mutare sacramenti essentiam, sed ratum vel irritum facere contractum humanum; qui in sacramento matrimonii praerequiritur. Non enim Christus declaravit, quis contractus humanus sit habendus legitimus, quis illegitimus. sed ea declaratione praesuppositа voluit contractum humanum legitimum inter virum & fœminam sacramentum esse. Posse autem ecclesiam eiusmodi contractus legitimos vel illegitimos decreto suo reddere personas habiles vel inhabiles efficiendo probatur:* 1.) *quia cura ecclesiae gubernandae apostolis & eorum successoribus est commissa Luc. X.* Qui vos audit, me audit. *Matth. XVI.* Tibi dabo claves. *Ioh. XXI.* Pasce oves meas. *Nam ad eum, qui praeest, pertinet leges condere de actibus humanis, eosque regere & ratos vel irritos facere.* 2.) *In test. vet. praeter ius divinum naturale erant etiam certae leges positivae iudiciales adcommodatae illi populo tum circa matrimonia, tum circa alios contractus humanos. Illae autem leges abrogatae sunt, nec habemus alias a Christo praescriptas. Ergo necesse est, in ecclesia esse potestatem similium legum pro locis & temporibus sanciendarum, alioquin christiana respublica imperfectissima ac plane miserrima esset.* 3.) *Possunt reges politici, qui reipublicae praesunt, circa humanos contractus humanas leges ferre, eosque certo modo factos ratos, secus autem irritos esse decernere ob communem pacem & concordiam populorum; ergo poterunt etiam id principes ecclesiastici ob salutem aeternam animarum.* Resp. 1.) Coniugium non est contractus humanus, sed divina unius maris & unius fœminæ ad individuam vitæ societatem coniunctio. Nam non de primis tantum coniugibus, Adamo scilicet & Eva, sed etiam de omnibus illis, qui adhuc hodie legitime & iuxta normam verbi coniunguntur, Christus pronunciat: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, Matth. XIX. 6. 2.) Quomodo matrimonium pontificiis esse poterit *contractus humanus*, cum in sacramentorum proprie sic dictorum classem illud numerent? 3.) Quod Deus unicuique reliquit liberum, ecclesiæ constitutione non potest fieri absolute necessarium. Illegitimas ergo personas ad matrimonium facere, ecclesiæ non licet, cum matrimonii libertas omnibus sit divinitus concessa, quin imo eum illis, qui uruntur & continere non possunt, mandatum sit, ut remedio coniugii utantur. 4.) Qua veritatis specie dici potest, *quod Christus non declaraverit, quis matrimonii contractus sit legitimus vel illegitimus*, cum a poly-

ga-

gamia & divortiis in populo Israelitico usitatis nos revocaverit ad primam coniugii institutionem, quam veluti normam in omnibus de coniugio motis controversiis sequamur, cumque unicam divortii causam statuerit, videlicet adulterium. 5.) Aliter apostoli, aliter eorum successores ecclesiam gubernant. Apostoli immediato Spiritus sancti ductu & impulsu inspirati ecclesiam gubernarunt, successores apostolorum in ministerio ecclesiastico ad verbum adstricti sunt & adligati. Quid? num pontificem, cardinales & episcopos, quos *apostolorum successores* Bellarminus statuit, immediatam Spiritus sancti adsistentiam, æque ut apostolos habere censebimus? 6.) Leges mosaicæ de prohibitis cognationis gradibus non fuere iudiciales positivæ, sed pertinuerunt ad legem moralem ac naturalem, ut suo loco ostendimus. 7.) Discrimen est inter *gubernationem politicam* & *ecclesiasticam*. Magistratus potestatem habet divinitus datam ferendi leges honestas ad statum cuiusque reipublicæ adcommodatas, sed fidei ac morum normam in ecclesia perpetuo observandam Deus ipse in verbo suo proposuit, cui nec addere nec detrahere quidquam licet, quod ad externam τάξιν & εὐχημοσύνην adtinet, ecclesiæ aliquid relictum. 8.) Cui competat potestas ferendarum legum ecclesiasticarum, in tractatu de magistratu fuit expositum.

§. DCXLVIII. III.) *Ecclesia habuit iustas causas votum solenne impedimentum matrimonii dirimens constituendi.* 1.) *Qui vota solennia continentiae suscipiunt, illi statum vitae mutant, & ab imperfecto ad perfectum adscendunt; absurdum autem esset, si iidem postea iterum redirent ad statum imperfectum.* 2.) *Qui haec vota faciunt, magna deliberatione & praecedente diuturna probatione faciunt: incongruum autem est, ut id, quod maturo consilio factum est, iterum mutetur.* 3.) *Vota solennia regulariter, publice & coram testibus multis imo toto populo inspectante fiunt, ergo non possunt sine ingenti scandalo violari. Quare decuit ecclesiam providere, ne id mutari possit, medium autem efficacissimum providendi fuit, irritare matrimonia post eiusmodi vota contracta.* 4.) *Qui vota solennia faciunt, non solum Deo sese obligant, sed etiam sponte se subiiciunt ecclesiae, ut ab ea cogi possint, etiam per viam iudicii, proinde queri non possunt, si eos inhabiles ad matrimonium ecclesia facit.* Resp. 1.) Nulla potest esse causa iusta & sufficiens irritum faciendi matrimonium, quod iuxta leges coniugii divinitus sancitas est contractum; alias humana autoritas & ecclesiastica potestas effertur supra verbum, quod tale matrimonium pronunciat esse ratum & indissolubile. 2.) Perfectio christiana consistit in fide Christi & sincero veræ pietatis studio, quod tam in vita coniugali quam cœlibe locum habet, quin imo fieri potest, ut in vita coniugali maior sit perfectio quam in cœlibatu, ut multis ostendimus superius. Plus Deo placet *humile coniugium* quam *superbus cœlibatus*. 3.) Tota argumenti structura nititur illa hypothesi, quod *votum perpetuae continentiae a quibusvis personis quocunque modo praestitum sit Deo gratum & stricte servandum*, etiamsi votarii illi animadvertant, se dono illo non esse instructos, sed coniugii remedio indigere, qua de re quid statuendum sit, in doctrina de cœlibatu fuit late disputatum. 4.) An vota illa solennia semper fiant magna deliberatione & diuturna probatione præcedente, merito dubitatur, praxis contrarium demonstrat. 5.) Matrimonia liberorum sine parentum consensu contracta fatetur Trident. concilium esse *scandalis plena*, neque tamen eadem pronunciat irrita. 6.) Illud duntaxat argumenta

adducta probant, quod a statu vitæ cœlibis, quam quis præcedente deliberatione & probatione diuturna elegit, non sit temere absque urgente necessitate discedendum, sed ex eo nondum inferri potest, quod si quis necessitate coactus ab eo discedat & matrimonium ineat, tunc matrimonium illud sit dissolvendum sive irritum pronunciandum. 7.) Melius est κρῖμα *in iudicio ecclesiae*, quam κατάκριμα *in iudicio Dei*, inquit Epiphanius hæres. LXI. Si vel maxime cum scandalo quodam coniunctum videatur, si quis a solenni cœlibatus professione ad matrimonium discedat, tamen coram Dei iudicio longe maius malum est ustionibus, pollutionibus & scortationibus, si non externis, tamen internis perpetuo subiectum esse, quod metuendum est in illis, qui coniugio inito re ipsa testati, se continentiæ dono destitutos esse, & coniugii remedio indigere, si ab eodem per divortium arceantur. 8.) Qui continentiæ dono instructus est, non potest nec debet ecclesiæ ita se obligare, ut ab ea ad perpetuam continentiam cogatur, alias peccat contra regulam apostolicam: *Si se non continent, nubant, melius est nubere quam uri* 1. Cor. VII. 9.

§. DCXLIX. IV.) *Cognatio*, id est, gradus consanguinitatis & adfinitatis, in quibus contrahere prohibitum. Pontificii cognationis nomine intelligunt 1.) non tantum cognationem *naturalem*, quæ consanguinitatem & adfinitatem complectitur, sed etiam cognationem *spiritualem*, quæ oritur ex baptismo & confirmatione, & cognationem *legalem*, quæ oritur ex adoptione, ac utramque cognationem, tam spiritualem quam legalem, non minus quam cognationem naturalem esse impedimentum matrimonii dirimens statuunt. 2.) Per prohibitos cognationis gradus intelligunt non tantum eos, qui lege mosaica Lev. XVIII. & XX. prohibentur, sed etiam eos, quos pontifex in iure canonico prohibitos esse voluit, olim quidem usque ad *septimum*, hodie vero usque ad *quartum* gradum. 3.) In gradibus lege divina prohibitis pontifici suo dispensationem concedunt, non minus quam in illis, qui iure duntaxat ecclesiastico prohibentur. Nos 1.) cognationem *naturalem in gradibus consanguinitatis & adfinitatis divina lege prohibitis* esse matrimonii impedimentum & contrahendum impediens, & contractum dirimens concedimus. Quidam putant hic distinguendum inter eos, qui *scientes in gradibus lege divina prohibitis, & quidem propinquioribus contrahunt*, & eos, qui *ex ignorantia in gradibus divina lege prohibitis, & quidem remotioribus contrahunt*; priorum matrimonia dissolvenda esse concedunt, posteriores pœnæ magistratus subiiciendos, interim ex quadam ἐπιεικείᾳ matrimonia eorum toleranda esse statuunt, nimirum *si bene inter pios conveniat, si diu cohabitarint, si nati ex coniugio liberi, si absque scandalo separari nequeant.* Beustius de matrim. pag. 210. Sed nos b. Luthero in epist. ad Spalatin. apud Conrad. Portam in pastorali absolute & indistincte pronunciamus, coniugia in gradibus lege divina prohibitis contracta esse dissolvenda, cuius sententiæ rationes ignotæ esse non poterunt ei, qui, quæ de prohibitione illa superius disputata sunt, memoria repetere voluerit. *De lege nemo dispensare potest, nisi qui eam tulit.* 2.) *Cognationem spiritualem* nec dirimens nec impediens ἐμπόδισμα esse statuimus. 3.) *Cognatio legalis* erit impedimentum prohibens, si provinciali quadam lege magistratus stabilietur, nunquam autem fieri potest impedimentum dirimens. 4.) *Pontificiam prohibitionem*, quæ usque ad quartum se extendit gradum, neutiquam probamus, magistratui autem christiano hanc pote-

IV.) *Cognatio.*

potestatem concedimus, ut gradibus divina lege prohibitis cum consensu ministerii & ecclesiæ addat quasdam prohibitiones, sed quæ impedimentum duntaxat prohibens, non autem dirimens introducunt. 5.) Pontifici potestatem dispensandi in gradibus divina lege expresse prohibitis ἀποτόμως negamus, quæ omnia suo loco idoneis argumentis sunt confirmata.

§. DCL. V.) *Crimen*, id est, *maleficium*, & quidem duplex, 1.) *adulterium*, 2.) *homicidium*. Sanciunt enim canones, *esse impedimentum dirimens matrimonium, si quis cum ea coniugium contrahat, quam per adulterium polluit, non quidem perpetuo & semper, sed in tribus duntaxat casibus* 1.) *cum adulter procurat mortem coniugis suae vel mariti adulterae, ut cum adultera coniugium celebrare possit, vel contra si adultera procuret mortem viri sui vel uxoris adulteri, ut adulterum in maritum accipiat.* 2.) *Si adulteri dederint sibi invicem fidem de matrimonio inter se contrahendo post mortem uxoris adulteri vel mariti adulterae.* 3.) *Si de facto adulteri inter se contraxerint viventibus prioribus coniugibus. Sed duo illi casus intelliguntur, si adulter uterque fit conscius vitae coniugis alterius, alioquin enim si vir adulterum decipiat adfirmans coniugem suam esse mortuam, vel contra mulier adulterum decipiat, adfirmans virum suum esse mortuum, tunc matrimonium non est irritum.* Extra hos casus non dirimi statuunt matrimonium inter adulteros contractum. *Crimen autem homicidii sine adulterio in uno tantum casu dirimere matrimonium* statuunt, *quando videlicet in morte alterius coniugum procuranda conveniunt tam vir quam fœmina, qui inter se coniugium inire cupiunt, si enim alter tantum homicidium procuraret altero inscio, & adulterium non praecessit, matrimonium non dirimitur.* Hæc omnia capitulis ex iure canonico adductis probare satagunt. Nos primo omnium magistratum officii sui admonendum dicimus, ut adulteros & homicidas e medio tollat, ita quæstio omnis de crimine erit sublata, sin vero magistratus in officio sit negligens, dicimus crimen illud adulterii & homicidii esse impedimentum matrimonium contrahendum impediens, non autem contractum dissolvens. Vide superius cap. V. §. 380.

V.) *Crimen.*

§. DCLI. VI.) *Cultus disparitas*, id est, *infidelitas*. Pontificii enim communi consensu docent, *matrimonia fidelium cum infidelibus non baptizatis esse non solum illicita, sed etiam irrita, cum haereticis autem baptizatis esse illicita, non tamen irrita.* Bellarminus de matrim. cap. 23. format has propositiones: 1.) *Non licet fidelibus cum infidelibus aut etiam haereticis matrimonia iungere.* 2.) *Matrimonium inter fidelem & infidelem non est irritum iure divino, naturali, vel positivo, vel certa aliqua lege ecclesiae.* 3.) *Matrimonium inter fidelem & infidelem non baptizatum irritum est ex more populi christiani vim legis habente.* 4.) *Potest summus pontifex, si causa id postulet, cum fideli dispensare, ut cum infideli matrimonium contrahat.* Quid de hisce propositionibus statuamus, late expositum fuit superius cap. V. §. 386. & seqq. Infidelitatem dicimus esse impedimentum matrimonium contrahendum impediens, non autem contractum dirimens.

VI.) *Cultus disparitas.*

§. DCLII. VII) *Vis*, id est, *coactio*. Ut enim ignorantia, ita quoque coactio repugnat libero consensui, ex quo matrimonium suam firmitatem obtinet. Facile igitur concedimus, vim ac metum esse impedimentum matrimonium impediens, quin & sponsalia dissolvens, sed an consummatum etiam matrimonium

VII.) *Vis.*

dirimendum sit, si alteruter coniugum conqueratur, se vi & metu ad illud adactum esse, non iniuria dubitatur. Quemadmodum enim per consensum liberum subsequentem hoc impedimentum tollitur, & sponsalia valida redduntur; ita quoque per subsequentem copulam ex libera voluntate ortam idem purgari & corrigi iudicandum. Putarim igitur hic distinguendum inter *matrimonium ratum & consummatum.* Vis sive coactio est impedimentum dirimens matrimonium ratum, proinde si qua alteri per vim desponsata & ad benedictionem ecclesiasticam suscipiendam ab aliis vi & metu coacta postea aufugiat & de vi conqueratur, audienda erit cap. *Consultationi &c.* X. de sponsalibus & matrim. *Mulieres, quae veniunt ad valvas ecclesiae benedicendae cum sponsis, & ibi reclamantes affirmant, se nunquam in eorum matrimonium consensisse audiri (sponsis legitime probantibus contrarium) non oportet, cum legitimis & idoneis testibus non debeat illarum simplex assertio praevalere. Sane illae, quae benedictione accepta mox a sponsis aufugiunt ante carnis copulam subsecutam asserentes, se nunquam in illos veraciter consensisse, sed metu illato compulsas verba protulisse consensus, licet animo dissentirent, non statim est audientia deneganda, sed de illato metu est cum diligentia inquirendum, & si talis metus inveniatur illatus, qui potuit cadere in constantem virum, erunt non immerito audiendae.* Sed matrimonium *consummatum* per voluntariam copulam, ac sponsalia per consensum subsequentem tacitum vel expressum confirmata non poterunt propter antegressam coactionem dirimi. Lutherus tom. II. Ienens. Germ. de vita coniug. fol. 154. *Wann ich mein Weib haben muß und darzu gezwungen werde, es sey von Eltern oder mit Gewalt der Obrigkeit, das ist freylich keine Ehe für GOtt. Aber doch solt ein solcher den Zwang nicht bewilligen und drob das Land meiden, auff daß er die Magd oder das Weib nicht auffs Narrenseil führet und betrüge, denn damit bist du nicht entschuldiget, daß du darzu gezwungen bist. Du solltest dich nicht zwingen lassen deinen Nechsten zu beleidigen, und ehe das Leben lassen, denn wider die Liebe thun. Denn du wolltest nicht gern, daß dich iemand beleidiget, er würde gezwungen oder nicht. Darumb kündte ich den nicht sicher sagen, der umb dieser Sachen willen sich scheiden lässet. Lieber, wenn dich iemand zwünge, mir zu stelen oder mich zu tödten, solts darumb recht seyn? Warumb folgest du dem Zwang, der dich wider GOttes Gebot und wider deinen Nechsten zu thun dringet? Doch die Magd sprech ich frey loß, denn du lessest sie wider ihren Willen.* Et postea: *Wie aber, wenn einer begrieffen wird mit einer Magd, daß man sie ihm mit der Axt gibt? ob der Zwang auch gelte? Dieser Zwang gilt nicht, denn die Magd sihet, daß es Zwang ist, und wird nicht betrogen. Aber doch ists recht, daß man ihn zwinget sie zu behalten, umb deswillen, daß er sie zu nichte gemacht hat, denn solches hat auch Moses geschrieben Exod. XXII.* Idem tom. V. Ien. Germ. de caus. matrim. fol. 254. *Wie, wenns denn geschehen ist, daß ein Kind gezwungen wird zur Ehe, soll es auch ein Ehe seyn und bleiben? Antwort, ia, es ist eine Ehe, und soll eine bleiben, denn ob sie wol dazu gezwungen ist, hat sie doch mit der That in solchen Zwang gewilliget, den angenommen und gefolget, daß ihr Gemahl ehelich Recht zu ihr bekommen hat öffentlich, daß man sie ihm nun nicht nehmen kan. Da sie aber den Zwang fürhanden fühlet, solte sie bey zeit dazu thun, sich des wegern und nicht annehmen, etliche gute Freund anruffen, wo das nicht hülffe, die Obrigkeit ersuchen, oder dem Pfarrer klagen, oder öffentlich mit dem Munde bezeugen, daß sie es nicht thun wolle, und also schreyen öffentlich wider den Zwang. Denn diese vier Mittel, nemblich gute Freunde anruffen, Obrigkeit ersuchen, dem Pfarrer*

rer klagen, öffentlich schreyen, solten ia mechtig gnug seyn gezwungene Ehe zu wehren, ia es kans die Obrigkeit mit Recht, oder der Pfarrer mit gutem Rath wol allein thun, schweiget sie aber im öffentlichen Verlöbnüß, und leßt solche Mittel unersucht anstehen, so soll sie halten was sie gelobt, und hernach auch still schweigen, und nicht klagen noch fürwenden, sie sey gezwungen, man soll ihr auch nicht gleuben. Quid si vero non solum ad desponsationem sed etiam ad concubitum iusto metu quædam fuisset coacta, nec potuisset vel aufugere, vel magistratus auxilium implorare? Illam de vi & metu conquerentem omnino audiendam esse, & si coactionem legitime probaverit, ab oppressore absolvendam esse iudicamus, quæ ipsa etiam b. Lutheri est sententia, sic enim paulo post addit: *Wenn aber ein Fall sich künd finden, da ein Kind fest verwahret, solche Mittel nicht könte haben, und würde also abwesend verlobet durch Mittelpersonen, die sie mit Gewalt vergeben, und sie kündte hernach Zeugen bringen, daß sie nie nicht bewilliget hette, diese wolte ich loß sprechen, auch nach dem Beschlaffen, denn es geschicht ihr eben, als wenn einer Dirne mit Gewalt ihre Ehre genommen wird, das man heißt* raptum, *und keine Ehe zu rühmen ist, und alle die solches treiben, und darzu helffen, sind alle schuldig des Gewalts und des Raubes ihrer Eltern. Kan man sie aber bereden, daß sie es lasse gut seyn, und will bey dem Mann bleiben, wie sie thun müßte in der Türckey, so ists desto besser, und wird nun aufs neue durch ihre Bewilligung eine rechte Ehe.* Iud. ult.

§. DCLIII. VIII.) *Ordo* VIII.) *Ordo.* scilicet *sacer.* Qui enim in maioribus ordinibus ecclesiasticis constituti sunt, illi propter votum perpetuæ continentiæ, quod præstare tenentur, quando ad sacerdotium evehuntur, a coniugio per totum vitæ tempus arcentur, ac si de facto matrimonium contrahant, illud irritum pronunciatur. Sed quid de hac matrimonii prohibitione & coacto sacrificulorum cœlibatu statuendum sit, in tractatu de ministerio late fuit expositum. Lutherus in lib. de capt. Babyl. capit. de matrim. tom. II. Jen. Lat. f. 281. a. *Impedimentum ordinis est merum hominum commentum, praesertim cum garriant, eo dirimi etiam contractum, semper suas traditiones ultra Dei mandata exaltantes. Ego quidem de sacerdotii ordine non iudico, qualis hodie est, sed video Paulum iubere, episcopum unius uxoris virum esse, ideo non posse dirimi matrimonium diaconi, sacerdotis, episcopi, seu cuiuscunque ordinis, quamquam hoc genus sacerdotum & eos ordines non noverit Paulus, quos hodie habemus. Pereant itaque maledictae istae hominum traditiones, quae non nisi ad multiplicanda pericula, peccata, mala in ecclesia introierunt. Est ergo inter sacerdotem & uxorem verum & inseparabile matrimonium mandatis divinis probatum. Quid si impii homines illud prohibeant aut dirimant mera tyrannide sua? Esto, sit illicitum apud homines, licitum tamen est apud Deum, cuius mandatum si contra hominum pugnet mandata, est praeferendum.* De tota hac re dicto loco egimus plenissime. Recte Synesius, Cyrenensis episcopus, referente Nicephoro lib. XIV. hist. cap. 55. *Omnibus praedico testatumque volo, me prorsus non desertum esse uxorem, quam & Deus ipse & leges, ipsaque sacra Theophili manus mihi coniunxit, neque cum illa veluti mœchum clandestinam consuetudinem habiturum, alterum enim minime pium, alterum minime legitimum est.* Addimus hoc loco argumentum, quod in tractatu de ministerio in quæstione de coniug. sacerdotum prætermissum: quibus fundamentis Bellarminus lib. V. de rom. pont. cap. 8. conatur probare, *non repugnare, ut episcopus sit simul spiritualis & temporalis alicuius*

ius provinciae princeps, iisdem demonstrari potest, non repugnare, ut episcopus simul sit maritus & ecclesiae doctor. Producit Bellarminus exempla *Melchisedeci*, *Noachi*, *Abrahami*, *Iacobi*, *Mosis*, *Heli & Maccabaeorum*, *qui fuerunt simul principes & pontifices*. Atqui illi ipsi, adeoque omnes vet. test. sacerdotes simul & Deo in ecclesiastico officio ministrarunt, & liberos ex coniugio susceperunt. Adfert quatuor rationes, quas totidem verbis ad coniugium sacerdotum adcommodare possumus. *Primo* sacerdotium & coniugium *non sunt contraria*, sed *utrumque bonum*, *utrumque a Deo*, *utrumque laudabile & unum alteri servit*. Ergo non pugnant inter se, sed simul in eodem subiecto esse possunt. *Secundo* magis diversa sunt pax & bellum, quam coniugium & sacerdotium. Sed *unus & idem princeps potest praeesse senatui & exercitui*, *togatis & armatis*. Ergo unus idemque episcopus potest praeesse ecclesiae & familiae. Tertio *potest pontifex universam ecclesiam regere*, *& longe lateque patentes regiones imperio politico gubernare*, *& christianis principibus leges dare*. Ergo multo facilius poterit sacerdos gregem dominicum verbo pascere, & familiam suam gubernare. *Quarto* qui duxerunt uxores ex episcopis in primitiva ecclesia, fuerunt *pii homines*, imo prophetae & apostoli. Ergo non est verisimile, illud esse licitum. Provocat Bellarminus ad experientiam, quae testata fuerit, *coniunctionem illam summi sacerdotii & imperii fuisse utilem*, nos itidem provocare possumus ad experientiam, quae testatur, separationem coniugii & sacerdotii mundum libidinibus & ecclesiam scandalis repleviſſe, ac proinde non solum inutilem, sed etiam multis modis noxiam ac pernicioſam fuisse. Agnoscat igitur Bellarminus, aut argumenta pro coniunctione sacerdotii & imperii politici non esse efficacia, aut eadem pro coniunctione sacerdotii & coniugii adducta vim eamdem obtinere. Si non obstat decretum Christi, *vos autem non sic*, quo minus sacerdotium & politicum imperium in uno homine coniungantur, quanto minus obstabit decretum ecclesiae, quo minus sacerdotium & coniugium in uno homine copulentur.

§. DCLIV. IX.) *Ligamen*, quo scilicet quis alteri iam ante obstrictus & colligatus est. Tale ligamen duplex esse potest: *sponsaliorum & matrimonii*. Quod *matrimonii* ligamen adtinet, illud omnino prohibet & dirimit matrimonium sequens. Qui enim *uxori iamdum adligatus* est, *non habet corporis sui potestatem sed uxor*; 1. Cor. VII. 4. ergo non potest corporis sui potestatem alteri tradere, & cum alia matrimonium contrahere; sin contrahat de facto, irritum illud posterius pronunciandum, imo pro adulterio habendum. Potest huc referri exemplum *Micholis* filiae Saulis, illa primum data fuit *Davidi in uxorem* 1. Sam. XVIII. 27. sed cum David esset in exsilio, a parente rege data fuit *Palti* filio Lais, 1. Sam. XXV. 44. postquam vero David ab exsilio reductus & regno restitutus esset, eamdem sibi restitui curavit, 2. Sam. III. 14. An vero ligamen *sponsaliorum* matrimonium cum alio postea contractum reddat irritum, ardua & difficilis est quaestio, in qua ex utraque parte argumenta adferuntur. Facti species proponitur eiusmodi: Susanna Titio solenniter & publice desponsatur, post sponsalia celebrata in aliam proficiscitur regionem, & sponso inscio dat fidem matrimonialem Sempronio, quin & celebratis nuptiis in domum mariti deducitur, & coniugaliter ei cohabitat; Titius de eo certior factus advolat, Susannam Sempronio nuptam eidem eripi, sibique restitui postulat, quaestio oritur, quid IX.) *Ligamen.*

quid iudex causarum matrimonialium statuere debeat? Qui eam a marito Sempronio divellendam, Titio sponso restituendam, & posterius illud matrimonium irritum pronunciandum esse existimant, hisce utuntur argumentis: 1) Ex *iuris divini decisione.* Sponsa coram Deo est uxor illius, cui legitime & solenniter est desponsata, unde etiam *uxor* adpellatur, Gen. XXIX. 21. Matth. I. 20. ac qui alterius sponsam violavit, non minus nec mitius punitur, quam si alterius coniugem violasset: Deut. XXII. 23. *Si quis sponsam alterius violaverit, lapidibus obruetur;* & additur ratio, *quia humiliavit uxorem proximi sui.* 2.) Ex *sponsae obligatione.* Omnis donatio rata requirit potestatem donantis, *nemo enim potest donare, quod non habet in sua potestate.* At sponsa, quae fidem matrimonialem uni dedit, non amplius potestatem habet eamdem fidem dandi alteri. Ergo si de facto illud tentet, contractus erit irritus. Si quis distinguere velit inter *promissionem & traditionem*, quasi possit sponsa uni promittere coniugium per sponsalia, & cum alio matrimonium contrahere per praesentem traditionem, regerunt, *eam quae promisit sui traditionem uni, non amplius habere potestatem se tradendi alteri.* Ut enim *maritus non habet potestatem corporis sui, sed uxor, nec uxor habet potestatem corporis sui, sed maritus;* 1. Cor. VII. 4. sic sponsa non habet potestatem se elocandi alteri sponso, nec sponsus habet potestatem sibi adiungendi aliam sponsam propter intercedens pactum contrarium. 3.) Ex *divina prohibitione.* Deus severe prohibuit in *negotio fratrem circumvenire*, 1. Thess. IV. 6. At quae alteri desponsata alteri nubit, contra illam Dei prohibitionem agit. Ergo ratum & firmum matrimonium nequaquam contrahit. Quae enim contra manifestam Dei prohibitionem contrahuntur, non sunt rata & legitima coniugia, ut constat exemplo eorum, qui contra parentum consensum vel in gradibus divina lege prohibitis contrahunt. Si quis excipere velit, *peccari quidem a contrahente, sed matrimonium propterea non esse irritum, sic ut peccat & decipit, qui se divitem promittit, si ea talis non sit, nec tamen matrimonium est irritum;* obvertunt, inter *accidentalia* & *substantialia* matrimonii esse distinguendum; fraudem enim, qua sponsa se venditat pro libera, adtingere ipsam coniugii substantiam, quod de adducto fraudis exemplo dici nequit. 4.) Ex *matrimonii posterioris conditione.* Sponsa copiam sui faciens alteri committit adulterium, ut constat non solum ex lege divina, sed etiam ex constit. LXXIV. Leonis, quae sic habet: *Sacra & magna sexta synodus statuit pro adulterio habendum, si sponsa vivente adhuc sponso in matrimonium alteri coniungatur.* Atqui adulteria non sunt confirmanda, nec eorum continuatio promovenda, sed adultera potius a complexibus adulteri abstrahenda, & legitimo marito restituenda. Ergo etiam sponsa ab eo, cui post desponsationem alteri factam nupsit, eripienda. *Diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed auget, tantoque graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam detinent adligatam;* cap. *Non debet &c.* de consang. & adfinit. 5.) Ex *comparatione.* Si licet marito uxorem suam repetere non obstante religionis sive perpetuae continentiae voto, utique etiam licet sponso repetere suam sponsam non obstante fide matrimoniali alteri postmodum data. Sed verum prius. Ergo & posterius. *Connexio* confirmatur, quia votum Deo, fides matrimonialis homini datur, quod si ob antiquiorem promissionem & obligationem votum Deo factum redditur irritum, utique multo magis propter antiquiorem promissionem & obligationem promissio homini facta irrita pronuncianda. Si quis velit excipere, *esse discrimen inter mari-*

maritum & sponsum, cum ille iam habeat & possideat ut rem suam corpus uxoris suae, iste autem nondum habeat nec possideat sponsae suae corpus, nisi in spe & promissione; regerunt, ius mariti in uxorem & sponsi in sponsam esse æquale, sed iuris usum variare, possessionem ex obligatione æquali utrobique esse parem & æqualem, sed fruitionem nondum eamdem esse. 6.) Ex *iuris canonici determinatione.* Gregorius cap. *Si inter virum* &c. 31. X. de sponsal. & matrim. *Si inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat de praesenti, ita quod unus alterum mutuo consensu verbis consuetis expresso recipiat utroque dicente, ego te in meam accipio & ego te accipio in meum, vel alia verba consensum exprimentia de praesenti, sive sit iuramentum interpositum, sive non, non licet alteri ad alia vota transire, quod si fecerit secundum matrimonium de facto contractum, etiam si sit carnalis copula subsecuta, separari debet & primum in sua firmitate manere.* Cap. *Duobus &c.* 1. de sponsa duorum, & tribuitur Augustino de fide pactionis: *Duobus modis dicitur fides pactionis & consensus. Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere. Si aliam duxerit, paenitentiam debet agere de fide mentita, manet tamen cum illa, quam duxit, non enim rescindi tantum debet sacramentum. Si autem fecerit fidem consensus, non licet ei aliam ducere, si autem duxerit, dimittet ipsam, & adhaerebit priori. Est autem fides pactionis, quando aliquis promittit alicui fidem, quod eam ducet, si permiserit eum rem secum habere vel etiam pro consensu. Fides autem consensus est, quando non stringit manum, corde tamen & ore consentit ducere, & mutuo se concedunt unus alii & mutuo se suscipiunt.* Cap. *Accepisti* &c. 2. tit eod. ex Burchardo: *Accepisti illam in uxorem tibi, quam alter sibi desponsatam habuerat, dimitte illam, quia nunquam potest tibi fieri legitima.* Cap. *Licet* &c. 3. eod. & est Alexandri III. *Si inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat de praesenti, ita quidem, quod unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expresse recipiat, utroque dicente, ego te accipio in meam & ego te accipio in meum, sive sit iuramentum interpositum sive non, non licet mulieri alii nubere. Etsi nupserit, etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, & ut ad primum redeat, ecclesiastica districtione compelli.* Cap. *Tuas dudum* &c. 5. eod. & est Innocentii: *In matrimoniis de caetero contrahendis illud te volumus observare, ut postquam inter legitimas personas consensus legitimus intervenerit de praesenti, qui sufficit in talibus iuxta canonicas sanctiones, etsi solus defuerit, caetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, si personae iunctae legitime cum aliis postea de facto contrahant, quod prius de iure factum fuerat, non poterit irritari.* Huic sententiæ calculum suum adiicere videtur Lutherus in lib. de caus. matrim. anno 1530. edit. tom. V. Jen. Germ. f. 249. b. *Wie wenn sich einer öffentlich mit einer vertrauet, darnach eine andere nimpt, mit derselben lang zu Hause gesessen, Kinder gezeuget und in eine Nahrung kommen, &c. Es hilfft nicht, weil er der ersten öffentlich vertrauet und ihr rechter Ehemann ist, kan er die andere mit den Kindern nicht behalten, und wie das geistliche Recht saget, desto erger ists, daß sie so lang im Ehebruch beyeinander gesessen sind, und ihre Seelen ins Teuffels Banden gelegen, so sie anders beyde umb das öffentliche Verlöbniß der ersten gewust haben, denn welches Theil nicht darumb gewust, das ist unschuldig am Ehebruch, und ist betrogen gewest, wiewol es ein Unvorsichtigkeit gewest ist, daß es nicht zuvor erkundiget und gewiß worden ist, ob sein Gemahl anderswo verbunden sey, darumb mag es auch nu solch scheiden und schimpff zur Busse annehmen und ihm selbst und allen andern ein Witzung und Warnung seyn, daß sich niemand verlobe, er habe denn gewisse Kundschafft, daß sein Gemahl ledig und frey*

frey ſey. Wie wenn die erſte Vertrawte, da ſie geſehen, daß ihr Gemahl ſie verlaſſen und ſich mit einer andern geſetzet hat, auch zugefahren iſt und einen andern genommen, mit dem ſie nun auch Kindlein und Güter hat &c. Antwort, das iſt auch unrecht, und ſie ſoll auch geſchieden werden vom andern Manne, denn ſie hat ſich ſelbſt zum Richter gemacht und ſich ſelbſt frey und loß geſprochen und den erſten Mann fahren laſſen, nicht gefoddert noch erſucht mit Recht, damit ſie als eine ſtillſchweigende gleich verwilliget hat in des erſten Mannes Ehebruch oder unrechte Ehe, und darüber ihre eigene unrechte Ehe darzu gethan &c. Wie aber wenn dieſelbe erſte Verlobte ſo zornig were und wolte den andern unehlichen Mann nicht laſſen und den erſten verlobten Mann nu nicht wieder haben, ob er wol gerne zu ihr wolte und die ander verlaſſen? Antwort, ſoll ſie die Obrigkeit darzu halten, daß ſie es thue und den Mann wiederumb annehme. Will ſie aber ja nicht, ſoll ſie vertrieben werden, und ewiglich, weil der Mann lebet, ohne Ehe bleiben, und der Mann nach geſchehener Straffe bey der andern bleiben. Was ich aber vom Weibsbilde gegen dem Mann in dieſem Fall geſagt habe, das will ich auch vom Mannsbilde gegen das Weib geſagt haben. Eamdem ſententiam in pronunciando ſecutus eſt Schurffius cent. I. conſil. XVII. ac Cypræus de ſponſalib. part. I. cap. 10. §. 26. recitat formulam ſententiæ in conſiſtorio Sleſvicenſi pronunciatæ, in qua explorato prius Lutheri, Pomerani & Melanchtonis iudicio matrimonium primo promiſſum ſecundo per concubitum conſummato præferendum eſſe ſtatutum fuit anno 1544. & addit §. 25. n. 13. eamdem fere omnium iuris interpretum eſſe ſententiam, quod ſcilicet poſterius matrimonium diſſolvendum.

§. DCLV. Qui Suſannam a Sempronio nequaquam divellendam, nec matrimonium conſummatum propter antegreſſa cum Titio ſponſalia irritum pronunciandum ſtatuunt, hiſce nituntur fundamentis: 1.) Ex *matrimonii poſterioris qualitate.* Sponſa coram Deo eſt illius uxor, cui legitime & ſolenniter eſt deſponſata, ac proinde ſi copiam ſui alteri facit, adulterium committit. Ergo quando Suſanna Titio deſponſata Sempronio copiam ſui fecit, adulterium commiſit, quod prioris ſententiæ adſertores præſupponunt. Iam vero adulterium diſſolvit matrimonii etiam conſummati vinculum, ut ſuo loco demonſtratum fuit, quanto magis diſſolvet ſponſaliorum vinculum. Ergo Titius non amplius Suſannæ, utpote adulteræ, erit obſtrictus, ſed ab eadem utpote fornicaria ſeparari poteſt, & per conſequens cogi nequit, ut ſponſam adulteram a Sempronio avulſam ad ſe recipiat. Etenim ſi maritus cogi nequit, ut uxorem adulteram etiam reſipiſcentem ad ſe recipiat, quod ſuperius multis confirmavimus, multo minus Titius cogi poterit, ut Suſannam ſponſam Sempronio nuptam ad ſe recipiat. Ratio eſt, quia adultera, quæ reſipiſcit, virum non habet, a quo divellatur, ſed relicto adultero, ad maritum legitimum revertitur; ſed Suſanna, quæ relicto ſponſo alteri nupſerat, virum habet, a quo non niſi multis cum incommodis & ſcandalis avellitur. 2.) Ex *rationis in aliis caſibus paritate*, & quidem multiplici. *Primo* uxor lege moſaica a viro repudiata & alteri nupta, ne quidem poſt mortem poſterioris mariti, reduci poterat ad priorem, Deut. XXIV. 4. Jer. III. 1. Iam vero qui relicta ſponſa, cui fidem matrimonialem dedit, aliam ducit, videtur ſponſæ quaſi repudium dare. Ergo non poterit eam utpote ſemel repudiatam in torum ſuum reducere, cumprimis quia alteram maritali conſortio ſibi copulavit. *Secundo:* ſponſalia poſteriora, ad quæ copula carnalis acceſſit, prioribus ſine copula con-

tractis præferenda, id est, rata pronuncianda, & priora dissolvenda esse, uno ore fere omnes matrimonialistæ adserunt, idque eo extendunt, quod etiam clandestina sponsalia per copulam consummata publicis sit præferenda, rationem decisionis proferunt talem, quod per copulam sponsalia transeant in matrimonium, & quod illi sponsæ, cui præter datam coniugii fidem dos præstantissima, pudicitia scilicet erepta, maior illata sit iniuria, quam illi, cui fides matrimonii duntaxat, licet publice sit data, ac proinde potiorem illius habendam esse rationem. Idem statuit Lutherus dicto tom. V. f. 244. *öffentliche Verlöbniß soll dem heimlichen, so mit Beyschlaffung vollzogen, weichen.* fol. 248. *Wenn sich jemand mit einer Person öffentlich verlobet und schweiget dieweil, daß er zuvor sich mit einer andern heimlich verlobet, und dazu beschlaffen oder auch geschwengert hat &c. soll das öffentliche Verlöbniß, so noch unbeschlaffen ist, dem heimlichen Verlöbniß, so beschlaffen ist, weichen*, id quod late ibidem confirmat. Quod si vero sponsalia posteriora etiam clandestina per copulam consummata prioribus etiam publicis sine copula contractis præferenda, utique etiam matrimonium per copulam consummatum præferendum est sponsalibus prioribus sine copula contractis, cui argumento quo modo solide responderi possit, probe dispiciendum. *Tertio:* qui sponsam suam ab alio compressam deprehendit, cogi nequit, ut matrimonium cum ea consummet, ut superius multis ostendimus. Ergo etiam qui sponsam suam alteri elocatam, & per coniugalem copulam ipsi adhærentem deprehendit, cogi nequit, ut eam ad se recipiat, & in thorum maritalem collocet. *Quarto:* iure civili si quis duobus rem in solidum vendiderit, & posteriori tradiderit, rata est emtio cum postremo inita, licet cum priori etiam contractum sit l. Quoties C. de rei vindicat. In pignore idem servatur, ille qui prius pecuniam solvit, & nactus est pignus, illud retinet, licet cum alio de pignore antea egerit l. potior. C. Qui potior in pign. Illud Cypræus d. l. ad præsentem quæstionem adplicari posse docet. *In matrimonio*, inquit, *idem ius servandum esse rationis est, ut is, qui uxorem sibi desponsatam & traditam accepit & possidet, potior sit illo, cui ea tantum promissa est, nam copula causat possessionem matrimonii, & sponsus post congressum accipit plenam traditionem corporis uxoris; & in dubio potior est conditio possidentis.* Bartolinus l. si duo. ff. uti possidetis. 3.) Ex *multiplici absurditate* contrariam opinionem consequente. *Primo:* si is, qui post sponsalia contracta ducit aliam, ex maritæ sinu avelleretur, ac sponsæ, cui prius fidem matrimonialem dederat, traderetur, tunc eius, quæ minorem passa est iniuriam, haberetur ratio maior, & vicissim eius, quæ maiorem iniuriam passa erat, haberetur ratio minor. Sed consequens æquitati adversatur. Ergo. *Connexio* probatur, quia etsi maritus utrique iniuriam fecerit, priori quidem fidem coniugalem datam violando, posteriori id quod in potestate sua non erat, tradendo, qua in parte æqualem passæ sunt iniuriam, tamen ad priorem minus incommodi redit, si sponso carere cogatur, quam ad posteriorem, si maritus illi eripiatur; priori enim nondum erepta est virginitas, ideoque facilius aliam conditionem quærere & invenire potest, sed posteriori illud, quod in fœmineo sexu præstantissimum censetur, ereptum, virginalis scilicet integritas. Hanc rationem urget Lutherus dicto loco de caus. matrim. f. 248. *Secundo:* si mulieri integrum relinquitur a marito, cui solenniter nupta est & copulata ob sponsalia cum alio prius contracta discedere, facile subornare poterit alium, qui eam sibi desponsatam fuisse prætexat, ut hac ratione a poste-

posteriore marito, cuius tædio & satietate laborat, abstrahatur. *Tertio:* si ex posteriore matrimonio nati liberi, illis magna irrogaretur iniuria, si cogerentur matre dulcissima carere, propterea quod illa ante coniugium sponsalia forte cum alio contraxisset, iam vero intuitu *liberorum* coniugia non adeo ab initio firma, fuerunt ab imperatoribus confirmata l. Qui in provincia 57. ff. de rit. nupt. *Movemur & temporis diurnitate, quo ignara iuris in matrimonio avunculi tui fuisti, & quod ab avia tua collocata es, & numero liberorum vestrorum, idcirco cum haec omnia in unum concurrunt, confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quaesitorum, quod ante annos quadraginta contractum est, proinde atque si legitime concepti fuissent. Quarto:* marita a viro, qui alteri sponsae prius fidem matrimonialem dedit, abstracta haud facile iterum inveniet sponsum, metuendum igitur, ne animum malis artibus adplicet, quod in sponsa non metuendum. *Quinto:* non sine maximo scandalo in una civitate videri potest fœmina, quæ duos habet maritos, unum, cui sponte nupsit & ab eo defloratа est, alterum, ad quem marito dimisso propter fidem matrimonialem antea datam redire coacta est, eidemque cohabitat. *Sexto:* si vel maxime adulteræ loco habere velimus eam, quæ post sponsalia alteri nupsit, tamen non tam corpore, quod intactum ad maritum adtulit, quam animo & mente adultera erit, quod fidem coniugalem fregerit, sed si a marito abstrahatur, & sponso cohabitare cogatur, tunc demum publicam adulterii speciem obtinebit, si vivente eo, cui in matrimonium data & ab eo carnaliter cognita, alteri viro in matrimonio cohabitet. *Septimo:* si fœmina nubens sponso, qui alteri puellæ fidem coniugii dedit, promissionis illius alteri factæ fuerit ignara, (id quod in quæstione fuit additum) præter omnem culpam gravissimam sustinet pœnam, quando a marito, cui forte per aliquot annos cohabitavit, & liberos ex eo suscepit, avellitur, & in viduitatis statum cum liberis suis coniicitur, imo adulterii suspicione gravatur, quale incommodum in separatione antegressorum sponsaliorum minime omnium metuendum. 4.) Ab *exemplorum raritate.* Cypræus dicto loco multa adducit exempla fœminarum, quæ post sponsalia contracta aliis viris in matrimonium sunt elocatæ, sed vix occurret aliquod exemplum, quod maritis illis fuerint ereptæ, & sponsis suis iterum traditæ. Judic. XV. 2. Simsonis sponsa vel potius uxor traditur cuidam Philistæo, sed Simson eam non repetit, quin potius eo nomine Philistæis mala infert, ac Philistæi audientes, quod Samsonis socer uxorem eius alteri tradiderit, & ad vindictam illam generum suum impulerit, *adscenderunt, & combusserunt tam mulierem quam patrem eius*, quæ fuit iusta perfidiæ pœna. 1. Sam. XVIII. 17. Merob Saulis filia Davidi desponsata datur Hadrieli Molathitæ, quod coniugium perquam infeliciter cessit, quia liberi ex eo geniti post annos aliquot suspendio perierunt, 2. Sam. XXI. 8. David vero hanc iniuriam a Saule regi sibi factam dissimulavit. 5.) Ex *iure canonico.* Alexander III. cap. *Licet praeter solitum* &c. X. de sponsa duorum, statuit, quod *uxor, quae post sponsalia de praesenti contracta alteri nupserat, ad priorem redire debeat;* sed diserte addit, *a praedecessoribus suis fuisse aliquando aliter iudicatum.* In Mutinensi ecclesia id ipsum usitatum fuisse colligitur ex cap. *Tuas dudum* &c. tit. eodem: *De consuetudine, quae diu in Mutinensi obtinuit civitate, virum si quis iuraret, se aliquam ducturum, & citra carnis copulam desponsasset, si consequenter desponsasset aliam, & etiam cognovisset, primo cognita adiudicaretur viro, non quae*

prius exſtitit deſponſata. In ſponſalibus de futuro etiam cum niſu copulæ coniunctis, quæ poſtea ſecutum eſt matrimonium cum alia, idem pronunciavit Gregorius cap. *Adoleſcens* &c. extra de ſponſal. & matrim. *Adoleſcens, qui deſponſatam ſibi per verba de futuro, licet ſaepe niſus fuerit, carnaliter non cognoſcens, cum alia poſtmodum per verba de praeſenti contraxit, non primam, cum qua nec fuit verum matrimonium ex parte contractus, nec praeſumtum, cum conatus non habuiſſet effectum, ſed ſecundam debet habere uxorem.* 6.) Idem ſtatuit Lutherus in eo caſu, quando ex poſteriore matrimonio nati liberi. lib. de vita coniug. tom. II. Jen. Germ. f. 154. *Die dreyzehend Urſach iſt Ehe ſcheiden, wenn ichs einer Magd gelobe und neme darnach eine andere. Diß iſt eine weitleufftige und gemeine Sache, darinn man ſich auch vil verſucht &c. wo ſolch Verloben nicht hinter der Eltern Willen geſchehen, achte ich, er ſoll bey der erſten bleiben, denn er hat ſich ihr ergeben, und iſt nicht mehr ſein ſelbſt, darumb hat er der andern nicht können geloben, daß der erſten und ſein nicht war. Thut ers aber und fehret fort biß daß er Kinder mit der andern zeuget, ſo bleib er bey derſelbigen, denn ſie iſt auch betrogen und zu gröſſerm Schaden kommen, wo er von ihr weicht, denn die erſte, darumb hat er an beyden geſundiget. Aber die erſte kan ihres Schadens nachkommen, weil ſie noch ohne Kinder iſt, darumb ſoll ſie der andern aus Liebe weichen und einen andern nehmen, denn ſie iſt frey von ihm, weil er ſie verlaſſen hat und ſich einer andern geben. doch ſolt man ihn ſtraffen und Buß geben laſſen der erſten, daß er das ihre vergeben hat.* Eamdem ſententiam adprobat Mauſerus de nupt. pag. 21. Cypræus de ſponſ. cap. 10. §. 26. p. 340. Hemmingius de coniug. p. 209. ubi duo urget argumenta: 1.) *Iuſtitia requirit, ut qui alterum laeſit, compenſet iniuriam. Iam vero deſponſatae poteſt ſatisfieri iudicio bonorum virorum, ut non coniqueratur de iniuria ſibi facta ab eo, cui fidem dedit, etiamſi diſcedat ipſe a pactione. Ductae autem domum & paſſae maritalem congreſſum poſt ſolennitatem nuptiarum non poteſt ſatisfieri, ſi dimittatur a marito, nam virginitas amiſſa reſtitui nequit, neque infamiam ulla pecunia aequat.* 2.) *Minus malum reſpectu maioris mali bonitatis quamdam rationem habere videtur, minor profecto iniuria cedet maiori. Nunc autem minor iniuria eſt, diſcedere a pactione nuptiarum ante conſummatum matrimonium, quam poſt conſummatum matrimonium defiorata virgine matrimonii vinculum ſolvere.*

§. DCLVI. Si quis roget, cui parti accedere velimus, cum plurimi ut in re maxime dubia nihil certi concludant, (Chytræus in comm. Levit. XVIII. fol. 387. & alii in conſil. matrim. Germ. II.) breviter absque ullo veritatis & ulterioris indaginis præiudicio reſpondemus: 1.) Diſtinguendum eſſe inter *ſponſalia proprie ſic dicta*, & *matrimonium ratum nondum conſummatum.* Sponſalia proprie ſic dicta, quæ ſunt promiſſio futurarum nuptiarum, & conſenſu ſponſalitio contrahuntur, non introducunt tam arctum & indiſſolubile vinculum ut matrimonium ratum, quod nuptiali conſenſu in benedictione ſacerdotali publice & ſolenniter expreſſo ac traditione ſponſæ in maritalem poteſtatem ſponſi contrahitur, uti ſuperius multis oſtendimus. Si ergo quæſtio ſit de *ſponſalibus proprie dictis*, id eſt, de promiſſione futurarum nuptiarum, an propter illa irritum pronunciandum ſit matrimonium cum alio vel alia conſummatum, negamus id fieri debere, propter argumenta pro parte quæſtionis altera adducta, quæ tamen non omnia æqualem concludendi vim obtinent. Si vero quæſtio ſit de *matrimonio rato*, id eſt, quod conſenſu nuptiali in ſacerdotali benedictione expreſſo & traditione unius in poteſtatem alterius

rius mutua & reciproca contrahitur, aliud forte ſtatuendum. Hanc diſtinctionem innuit ius canonicum non quidem per diſtinctionem inter *ſponſalia de praeſenti* & *de futuro*, quid enim de ea ſentiamus, ſuperius fuit expoſitum, ſed per diſtinctionem inter *fidem pactionis*, id eſt, promiſſionem ſponſaliorum, & *fidem conſenſus*, id eſt, matrimonium ratum nuptiali conſenſu confirmatum. Ac probe notandum, quod in verbis Alexandri cap. *Licet* &c. 3. extra de ſponſ. duorum omiſſa ſint illa verba, *ſi legitimus conſenſus ea ſolennitate, qua fieri ſolet, praeſente ſcilicet ſacerdote aut etiam notario, ſicut etiam in quibusdam locis adhuc obſervatur, coram idoneis teſtibus interveniat de praeſenti, ita quod unus alterum in ſuum mutuo conſenſu verbis expreſſo recipiet &c.* quæ omnia deſcribunt non nuda ſponſalia, ſed matrimonium ratum nuptiali conſenſu initum, quamvis copula nondum ſit conſummatum. 2.) Si de matrimonio *rato* quæſtio inſtituatur, an propter illud ſequens matrimonium *conſummatum* pronunciandum ſit irritum, cogitandum prudentioribus relinquo, an diſtingui poſſit inter *ſtrictum iuris rigorem* & ἐπιείκειαν, quemadmodum de matrimoniis conſummatis *citra parentum conſenſum* contractis dicebamus ſuperius. Si ſtrictum iuris rigorem ſequi ac reſpicere velimus, dubium nullum, quin ob matrimonium ratum præcedens irritum pronunciandum ſit ſubſequens; quamvis enim prius ſit duntaxat ratum, non autem conſummatum per copulam, tamen conſummatio per copulam non introducit eſſentiale aliquod diſcrimen inter matrimonium *ratum* & *conſummatum*, ſed eſt tantum uſus coniugii, ut ſuperius itidem docuimus, ac matrimonium ratum coram Deo æque matrimonium eſt ac conſummatum, quo ſenſu & reſpectu etiam ratum dicitur. Si vero habita circumſtantiarum ratione ἐπιείκειαν ſequi velimus, puta, ſi poſterius matrimonium absque ſummo ſcandalo diſſolvi nequeat, ſi nati ex eo liberi, ſi per aliquot annos conſtiterit, ſi ſponſa recuſet ac detrectet recipere eum, qui alteram duxit, ſi ipſa quoque alteri nupſerit &c. ibi matrimonium poſterius per copulam *conſummatum* priori *rato* fortaſſis anteferri poſſet. Nihil autem hic temere definio, ſed prudentioribus ac pie eruditis rem ulterius æſtimandam relinquo; ægre enim eo adducar, ut ſtatuam, matrimonium præcedens *ratum*, quod coram Deo vere eſt *indiſſolubilis coniunctio*, matrimonio poſteriori *conſummato* cedere debere. Eo potius cauſarum matrimonialium iudici reſpiciendum, ut animum contrahentium adtendat, an *ſponſalia*, an vero *matrimonium ratum* contrahere voluerint; neque enim arbitror pro matrimonio rato id habendum, ſi ſponſalia præſente ſacerdote & dextras coniungente contrahantur, non enim animus eſt matrimonium ſed ſponſalia contrahere, & de individua vitæ ſocietate ſuo tempore (niſi quid intervenerit, quæ conditio ſemper ſubintelligitur) contrahenda promiſſionem facere. 3.) Sive ſponſalia duntaxat ſive ratum matrimonium contractum fuerit, is, qui poſt fidem matrimonialem puellæ vel viduæ datam aliam ducit, graviſſimæ magiſtratus pœnæ ſubiiciendus erit. Quod ſi enim iure civili & canonico infamis eſt, qui bina ſponſalia contrahit, ut ſuo loco ſuperius docuimus, quanto maiori pœna adficiendus erit, qui poſt ſponſalia vel ratum matrimonium cum alia contractum nuptias celebrat. Deus ipſe adulterii pœnam infligit illi, qui ſponſam alterius violat, Deut. XXII. 23. ac divinitus tales fœdifragos ac perfidos puniri multis comprobari poſſet exemplis. Conſt. elect. Auguſt. eccleſiaſtica cap. de cauſis matrimon. ſub tit. de ſponſalibus fol. 112. *Würde ſich die Perſon,*

ſo ſich mehr dann eins verbundlich verlobet, mit der lezten verlobten Perſon fleiſchlich einlaſſen, ſo ſoll dieſelbe an Pranger geſtelt und des Landes ewig verwieſen, und die andere, wofern ſie ſich wiſſentlich des erſten Verlöbniß mit dem verbrechenden Theil dergeſtalt in Ehegelübd und fleiſchliche Unzucht eingelaſſen, mit gleicher Straff beleget werden. Sub tit. de pœn. ſtupri f. 116. *Würde iemand eines andern Braut, ehe denn der Bräutigam beygelegen, wiſſentlich beſchlaffen, ſo ſollen beyde Perſonen zur Staupen geſchlagen, und des Landes ewig verwieſen werden, es wolte denn der Breutigam die Braut wiederumb annehmen, auff ſolchen Fall ſie mit Gefengniüß geſtrafft, und der Brautſchender nichts minders mit Staupenſchlagen des Landes ewig verwieſen werden.*

X.) *Honeſtas publica.*

§. DCLVII. *Honeſtas*, ſcilicet *publica*, id eſt, adfinitas ex ſponſalibus orta, quæ *publicae honeſtatis iuſtitia* a canoniſtis adpellatur. Sic ſponſam fratris demortui frater ducere nequit, ac ſi eam ducat, matrimonium pronunciatur irritum. Nos iuſtitiam publicæ honeſtatis ſtatuimus impedimentum matrimonium contrahendum impediens, non autem contractum diſſolvens, cuius ſententiæ noſtræ rationes adduximus cap. V. memb. II. art. II. §. 360. Iure canonico iuſtitia publicæ honeſtatis olim æque late patebat, quam naturalis cognatio adfinitatis, ſed concilium Tridentinum huic impedimento reſtrictionem addidit, ut intra primum duntaxat gradum matrimonia dirimat. Adfinis eſt huic honeſtatis publicæ impedimento adfinitas, quæ oritur ex matrimonio rato ſed nondum conſummato, de qua Bellarminus libr. de matrim. cap. 24. §. ult. ſcribit, *eam haud dubie eſſe aliquid perfectius quam eſt honeſtas ex ſponſalibus orta*, unde Pius V. declaraverit, reſtrictionem publicæ iuſtitiæ *ad primum gradum* in Tridentino concilio factam non habere locum, niſi in ſponſalibus de futuro.

§. DCLVIII. XI.) *Si ſis adfinis*, id eſt, adfinitas, quæ per carnalem copulam adquiritur. Sic ſororem eius, cui ſtuprum intulit, iure canonico ſcortator ducere prohibetur, ſin eam ducat, matrimonium irritum pronunciatur. Quid de hoc impedimento ſtatuamus, ſuperius fuit expoſitum. XII.) *Si forte coire nequibis*, id eſt, impotentia coeundi. De hoc impedimento ſcribit Lutherus in libr. de vit. coniug. tom. II. Ienenſ. German. fol. 154. *Das iſt die einige redliche Vrſache die Ehe zu reiſſen.* Nota autem, hic non eſſe quæſtionem de *impotentia ſuperveniente*, quæ ſcilicet poſt ratum & conſummatum matrimonium ex accidente ſupervenit, de qua quid ſtatuendum ſit, poſtea diſpicietur; ſed de tali impotentia ſeu inhabilitate, quæ ab initio adfuit, ac nuptias præceſſit, propter illam ſeparatio fieri poteſt, perſona ſana id petente, quia inter inhabiles & impotentes non eſt nec eſſe poteſt coniugium, proinde quando propter impotentiam, quæ ab initio adfuit, coniuges ſeparantur, proprie & adcurate loquendo non eſt divortium, ſed duntaxat declaratio, coniugium inter eos nullum eſſe vel fuiſſe. Eſſe hoc legitimum impedimentum dirimens matrimonium probatur: 1.) Ex *iure divino*. Coniuges ex divina coniugii inſtitutione ſunt *una caro*, Geneſ. II. 24. Matth. XIX. 6. proinde ſi per impotentiam illud obtineri nequit, coniugium eſt irritum. 2.) Ex *rationibus*. Non adeſt legitimus conſenſus, ſed dolus & error in ſubſtantialibus, impotens turpiter decipit, perſona ſana miſerabiliter errat, at Deus nec fraudes nec errores in hac divina con-

XI.) *Si ſis adfinis.*

XII.) *Si forte coire nequibis.*

coniunctione adprobat. Praeterea ut in aliis contractibus non est conveniens obligatio, si quis se obliget ad hoc, quod non potest dare vel facere: in contractu matrimonii, quo unus obligatur alteri ad debitum carnale solvendum, 1. Cor. VII. 4. non est conveniens contractus, si fiat ab aliquo, qui debitum solvere non potest. Denique persona sana perpetuis ustionibus & periculo scortationis obiiceretur, nisi per matrimonii ineundi potestatem ipsi consuleretur, ex quo fundamento facile adparet, quid respondendum ad argumentum contrarium: *Copula carnalis non est de coniugii essentia. Ergo impotentia non facit matrimonium irritum.* 3.) Ex *iure canonico.* cap. *Decreta &c.* XXVII. q. 2. *De his, qui causa frigiditatis uxoribus debitum reddere non possunt,* statuit Gregorius, *ut uterque eorum septima manu propinquorum iureiurando dicat, quod nunquam per commixtionem carnis coniuncti una caro effecti fuissent, tunc mulier secundas nuptias poterit contrahere, vir autem, qui frigidae naturae est, maneat sine spe coniugii.* cap. *Quod autem &c.* caus. & quaest. iisdem: *Vir & mulier si se coniunxerint, & postea dixerit mulier de viro, quod non possit coire cum eo, si potest per verum iudicium probare, quod verum sit, accipiat alium.* Videatur etiam cap. *Requisisti &c.* 33. quaest. 1. & libr. IV. decretalium titul. 15. de *frigidis & maleficiatis & impotentia coeundi.* 4.) Ex *lege civili.* Labeo. I. Quod pupillae 30. ff. Quando dies legat. *Non potest videri nupta, quae virum pati non potest.* Iustinianus l. in causis 10. C. de repudiis. *Si maritus uxori ab initio matrimonii usque ad duos annos continuos computandos coire minime propter naturalem imbecillitatem valeat, potest mulier vel eius parentes sine periculo dotis amittendae repudium marito mittere.*

§. DCLIX. Caeterum impotentiam canonistae ratione *causarum* statuunt triplicem, 1.) *naturalem*, 2.) *accidentalem* & 3.) *maleficialem. Naturalem* vocant, quae a natura provenit, eaque contingit vel ratione *aetatis*, ut in impubere, quae progressu aetatis cessat, vel in adulto ex *vitio quodam conformationis*, quod curationem non recipit, Matth. XIX. 12. *Sunt eunuchi, qui de utero matris sic nati sunt. Accidentalem* vocant, quae ex accidenti infertur, videlicet vel a *morbo* vel a *ferro*, quando vel aliena violentia fiunt eunuchi, Matth. XIX. 12. *sunt eunuchi ab hominibus facti*, vel praeposterum caelibatus studium ad illam corporis partem laedendam aliquem impulit, quale quid de Origene commemoratur. *Maleficialem* adpellant, quae fascino ac veneficio infertur. Ratione *subiecti* impotentia seu inhabilitas est vel *in viro* vel *foemina.* In viro est tum ratione *frigiditatis* tum ratione *conformationis*, in foemina tantum ratione *conformationis.*

Quotuplex impotentia.

§. DCLX. Antequam vero iudex causarum matrimonialium ob impotentiam sive inhabilitatem pronunciet matrimonium irritum, adcurate prius consideret: 1.) an impotentia contractum matrimonii *praecesserit* vel *secuta* fuerit. Illa enim duntaxat, non haec, quae ex accidenti supervenit, matrimonium reddit irritum, ut inferius demonstrabimus. Canonistae tamen in cap. *Fraternitatis &c.* extra de frig. & malef. admonent, *in dubio semper praesumi hoc impedimentum praecessisse, ex quo nunquam potuit coniugem cognoscere.* 2.) An sit *vera & certa* impotentia. Ergo non debet esse contentus nuda & simplici adseveratione alterutrius vel utriusque coniugis de impotentia conquerentis, sed si de foeminae impotentia agitur, per obstetrices & honestas personas rei veritas inquirenda, si de viro dubitatur, per iuramentum & signa externa. Facile enim contingere

possit,

posset, ut tædio coniugis vel ex mutuo pacto querela de impotentia instituatur, ideo sine firmatione ob corporum inhabilitatem matrimonium non est irritum pronunciandum. Veræ impotentiæ nomine intelligitur ea, quæ congressum coniugalem penitus impedit, non ea, quæ generationis duntaxat effectum intervertit, unde scholastici distinguunt inter *impotentiam ad generationis actum* & *impotentiam ad generationis effectum*, non hæc, sed illa duntaxat matrimonium irritum reddit. Canonistæ ad specialiora descendunt, sed casti pudoris habenda est ratio, & prudentia iudicis ex generali regula eadem facile colligit. 3.) An sit impotentia *constans & perpetua*. Si enim ratione ætatis in impuberibus est inhabilitas, propter eam non est irritum faciendum matrimonium, siquidem ea corrigitur progressu temporis; unde etiam certum tempus exspectari solet, antequam propter impotentiam fiat separatio, qua de re canonistæ sic statuunt: si est impotentia naturalis, ac veraciter per signa evidentia de perpetuitate impotentiæ constat, nullo tempore exspectato, sed statim solvitur matrimonium; si vero veraciter probari ea nequit, tunc *triennii* tempus exspectari iubetur, (Iustinianus l. in causis. 10. C. de repudiis, *biennium* statuit) quo præterlapso, si uterque confiteatur impotentiam, & iuret cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonæ famæ, tunc solvitur matrimonium, & parti sanæ datur potestas aliud coniugium ineundi. (Rectius autem ad medicorum ac chirurgorum iudicium quam ad biennii vel triennii explorationem hic decurritur.) Si vero unus confiteatur, & alter neget, non debet separari matrimonium, nisi is, qui stat contra matrimonium, probet impedimentum per iustum iudicium. Si est impotentia *accidentalis*, quæ nullam admittit curationem nec spem sanationis, statim matrimonium separari potest. Si est impotentia *maleficialis*, iuxta canonistas solvitur matrimonium, si post triennalem cohabitationem iuraverit uterque vir & uxor cum septima manu propinquorum, quod nunquam carnaliter commisceri potuerint, rationem addit glossa in cap. final. x. de frig. & malef. *quia progressu temporis talis impotentia removeri solet*, atqui nec *dolus* nec *error* in tali coniugio interfuit, quando alterutri vel utrique coniugum per fascinum impotentia conciliatur, adde quod ultra annum etiam tertium impotentia per fascinum illata durare, ac nihilominus postea tolli possit, iam vero propter eam duntaxat impotentiam irritum pronunciandum est matrimonium, quæ est prorsus incurabilis. Rectius igitur fecerint pii coniuges, si impotentiam per fascinum sibi illatam animadvertant, ut pœnitentia, fide, precibus &c. contra satanam pugnent, quam si propter eam matrimonium irritum pronunciari postulent. 4.) An sit impotentia *incurabilis*, quæ enim remediis adhibitis corrigi potest, ea non est impedimentum matrimonium dirimens. cap. *Ex litteris &c.* de frig. & malef. Scholastici dicunt, aliam impotentiam excludere *actum secuturum*, aliam duntaxat *actum praesentem*. 5.) Si est impotentia *praecedens*, *vera*, *perpetua* & *incurabilis*, dispiciendum, an is, qui cum impotente contraxit, *notitiam huius impedimenti* habuerit, si enim sciens ac volens cum impotente quis contraxit, non facile separatio instituitur, nisi scilicet periculum fornicationis parti sanæ impendeat. cap. *Consultationi &c.* extra de frig. & malef. Beza tamen in libr. de divort. etiam illud coniugium irritum pronunciandum statuit, *quia ludit benedictionem divinam, nullum coniugii finem adtingit, & continuum quasi homicidium coniunctum habet*. 6.) Si est impotentia *praecedens*, *vera*, *perpetua*, *incurabilis*, & utri-

utrique prius *incognita*, tamen canones iubent prius exquiri, an impotentia laborantem velit habere non *ut coniugem* sed *ut sororem*; cap. *Laudabilem* &c. de frig. & malef. at si ustionis malum vel fornicationis periculum in coniuge sano metuendum, non debet vel persuaderi vel cogi, ut impotenti cohabitet.

Quaeritur I.) *An in casu impotentiae maleficialis medicamentis sit utendum.*

§. DCLXI. Quæritur hoc loco: I.) *An in casu impotentiae maleficialis medicamentis & remediis naturalibus uti conveniat?* Resp. prima & potissima cura sit de remediis spiritualibus, videlicet de seriis precibus ex vera pœnitentia & fide profectis, quibus efficacissime contra asmodæum, coniugii vastatorem, maleficiati pugnabunt, id quod denotatur per fumum ex iecore super carbones vivos positum, quo Tobias fugabat dæmonium Tob. VIII. 3. Cogitent ergo pii coniuges illud angeli effatum: Tobiæ VI. 18. *Hi qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se & sua mente excludant, & suae libidini ita vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem daemonium super eos*, (quæ tamen verba in vulgata duntaxat Latina versione habentur.) Quia vero impotentiam satanas infert plerumque *adplicando naturalia agentia passivis*, calorem scilicet refrigerando, spiritus præcludendo, adfectus excitando, phantasiæ species varias imprimendo; Ferneliuslib. II. de abd. rer. causis cap. 16. ideo non erit incongruum, præmissis piis ad Deum precibus etiam naturalia medicamenta adhibere. Neque tamen Paracelso adsurgimus, qui existimat, *a geniis oriri fascinum, & posse genios virtute aliqua magica cogi, & ad nutum artificis compelli.* Paludanus in lib. IV. sent. dist. 34. disputat, diabolum quinque modis congressum coniugalem impedire, primo *locis secernendo coniuges vel sese interponendo, ne eorum corpora conglutinentur*; secundo *refrigerando coniunctionis adpetitum*; tertio *movendo phantasias, & menti obiiciendo speciem fœminae deformis, ut eam vir invisam habeat*; quarto *retinendo membra generationi destinata*; quinto *spiritus occludendo, qui coniunctionis adpetitum invehunt*, in quibus amoliendis nec nihil nec omnia præstare poterunt remedia naturalia convenienter adhibita. Sed a superstitiosis characteribus, ligaturis, benedictionum formulis, quas Grillandus de fortileg. Wierus de præstig. dæmon. libr. III. & alii recitant, pii coniuges sedulo caveant, quia pactum cum dæmone expressum vel tacitum includunt, ac ad minimum cum profanatione divini nominis sunt coniuncta.

An solutae propter impotentiam matrimonio novarum nuptiarum potestas coniugibus concedenda.

§. DCLXII. Quæritur II.) *An matrimonio propter impotentiam irrito pronunciato solutis novi matrimonii potestas concedenda?* Distinguendum hic est inter species impotentiæ. Si impotentia fuerit *naturalis* vel *accidentalis*, incurabilis, tum parti sanæ quidem novi matrimonii potestas concedenda, impotenti vero minime. Si impotentia fuerit *maleficialis*, utrique solet novum coniugium concedi, hæc enim differentia est inter frigiditatem, vitium conformationis & maleficium, quod frigidus æque ad omnes fœminas impotens est, fœmina conformationis vitio impotens æque ad omnes viros talis est, sed ex maleficio potest quis esse impotens ad unam & non ad aliam. Thomas distinguit hoc modo: *Impedimentum ex maleficio proveniens aut est universale, & hoc in casu non est concedendum novum matrimonium, aut particulare respectu unius tantum, quo in casu concedendum esse adserit.* Sed huius rei inquisitio ad-

modum occulta, dubia & incerta erit futura, præsertim in fœminis. *Fœminae inhabilitas*, inquit Hemmingius de coniug. p. 193. *occultior est, cum viri congressum propter naturae vitium aut morbum incurabilem, adde etiam maleficium, ferre nequit.*

§. DCLXIII. Quæritur III.) *An mulier ab impotente marito decepta cum eodem paciſci possit de furtivis cum ipsius consanguineo congressibus?* Affirmativam Pistorius & iesuitæ tribuunt Luthero, eumque hoc nomine pessime traducunt. Sed observa, 1.) Lutherum tale quid consuluisse eo tempore, quo vigente adhuc papali tyrannide non nisi longis processibus & magnis sumtibus matrimonii dissolutio ob impotentiam impetrari poterat, editum enim est illud Lutheri scriptum anno 1520. 2.) Fuisse consilium privatum illis datum, quæ ustionibus ferendis impares scortationis periculo præsentissimo obnoxiæ, quibus per occultum matrimonium prospici posse censuit. 3.) Non fuisse simpliciter, sed alternative consilium eiusmodi datum, videlicet ut vel dissolutionem illius matrimonii per se irriti coram legitimo iudice requirerent, vel impotenti, cum quo per errorem contraxerunt, ustiones suas revelarent, & accedente ipsius consensu occultum matrimonium cum quodam ex cognatis proximis contraherent, & desiderio liberorum satisfacerent, vel deceptorem illum desererent, & in aliam regionem profugerent, ibidemque maritum quærerent. 4.) Lutherum ipsum, cum videret in alienam plane mentem a depravatoribus illud rapi, in posteriori scriptorum recognitione id ipsum abolevisse. Vid. ipsum Lutherum de vit. coniug. tom. II. Ienens. fol. 151. ubi inter cætera sic scribit: *Sie haben mir Schuld geben, ich solte gelehret haben, wenn ein Mann seinem Weib nicht könte den Küzel gnug büssen, soll sie zum andern lauffen. Aber las lügen die verkehrten Lügner, es wurden Christo und seinen Aposteln ihre Wort verkehret, solten sie denn nicht auch mir meine Wort verkehren?* 5.) Augustinus tractans quæstionem, an in casu desperatæ sterilitatis cum coniugis consensu liceat ex alia prolem suscipere lib. de bon. coniugali cap. XV. modeste scribit: *Plane uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur unius commixtione ac semine, alterius autem iure ac potestate, apud antiquos patres fas erat, utrum & nunc fas sit, non temere dixerim.* Eccur igitur Lutherum tantopere fugillant, quod in casu desperatæ impotentiæ, quæ coniugium plane irritum facit, consilium suum privatum exposuerit? 6.) Quod si perrexerint Lutherum ob privatum illud consilium pessime traducere, opponemus illis Gregorii III. pontificis rescriptum cap. *Quod proposuisti &c.* XXXII. quæst. 7. *Si mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, quid eius faciat coniugalis? bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret, sed quia hoc magnorum est, ille, qui non poterit se continere, nubat magis, non tamen ei subsidii opem subtrahat, quam infirmitas praepedit, non tamen detestabilis culpa excludit.* De quo rescripto Gratianus ibidem addit, quod *sacris canonibus imo evangelicae & apostolicae doctrinae penitus inveniatur adversum.* Vid. script. Wirtenberg. theologorum contra Pistorium p. 67. Hassiacorum contra eumdem p. 90. Tarnovium libr. III. de matrim. cap. XXXV. q. 7.

III.) *An mulier impotenti nupta possit eius consanguineo iungi.*

§. DCLXIV. Enumerata illa duodecim impedimenta, quæ *matrimonium contrahendum impediunt, & contractum dirimunt*, quidam minutius definiunt, & numerum ea ratione augent, unde Lutherus in libr. de vit. coniug. tom. II. Ienens.

Ienenſ. German. f. 152. ſcribit, *papam duodeviginti cauſas in ſuo iure conſinxiſſe, quibus omnibus matrimonium vel diſſipat vel impedit, quas fere omnes ſe reiicere addit.* (ubi connumerat impedimenta quatuor, quæ contrahendum impediunt, contractum vero non diſſolvunt, quæ ſunt *eccleſiae vetitum, tempus feriatum, conſuetudo, defectus viſus vel auditus.*) Sic impedimentum quartum, quod eſt *cognatio*, cum & *conſanguinitatem* & *adfinitatem* complectatur, in duo ſpecialia impedimenta a quibusdam ſubdiſtinguitur. Item cognationi *naturali* additur cognatio *ſpiritualis* ex baptiſmo & confirmatione, ac cognatio *legalis* ex adoptione orta, qua ratione quindecim erunt impedimenta dirimentia. Bellarminus libr. de matrimon. cap. XVIII. addit *carentiam uſus liberi arbitrii*, quæ non minus quam *ignorantia* & *coactio* libertati conſenſus opponitur, ex quo infert, *pueros, furioſos & amentes contrahere non poſſe, cum deliberatum conſenſum habere nequeant*, qua de re quid ſtatuendum ſit, ſuo loco fuit expoſitum. Ibidem monet, *eccleſiae vetitum, id eſt, prohibitionem, ne matrimonia clam fiant, cum debeant in facie eccleſiae & coram teſtibus celebrari, fuiſſe olim impedimentum tantum prohibens, hodie vero eſſe etiam impedimentum dirimens propter concilii Tridentini ſanctionem*, ſeſſ. XXIV. ideoque illud vel reducendum eſſe ad impedimentum quintum, quod eſt *crimen*, vel pro impedimento 13. habendum. Cap. XXXI. rationem redditurus, quare patres Tridentini clandeſtinum matrimonium, quod in concilio Lateranenſi can. LI. tantum pro *impedimento prohibente* habebatur, ſtatuerunt eſſe *impedimentum dirimens*, nullam adferre poteſt aliam, quam quod patribus illis ita placuerit. *Potuiſſe* (inquit) *eccleſiam haec matrimonia irritare, dubitare non poteſt, qui credit, potuiſſe eamdem eccleſiam irritare matrimonium in certis gradibus cognationis, vel ob votum ſolenne continentiae, aut aliis de cauſis, cum eadem ſit omnium ratio.* Et poſtea: *Si eſſentiam matrimonii ſpectes, ante concilii Tridentini decretum verum, ratum, legitimum & divinum erat coniugium clandeſtinum, nihil enim ei deerat eorum, quae ad eſſentiam matrimonii Deus requiri voluit, cum adeſſet materia, forma atque intentio.* Sic ergo patres illi patrati poteſtatem ſibi arripuerunt, coniugium, quod coram Deo ratum, verum, legitimum & divinum, faciendi irritum, an characterem beſtiae in fronte ſeſe gerere, & antichriſti mancipia eſſe demonſtrarent.

§. DCLXV. Ab impedimentis illis matrimonium contrahendum prohibentibus, contractum vero diſſolventibus, (quæ improprie inter cauſas divortii referuntur,) tranſitum facimus ad *cauſas divortii proprie ſic dictas*, quæ ab aliquibus adnumerantur duabus illis, quas ſuperius conſtituimus, *adulterio* ſcilicet & *deſertioni*. Prima divortii cauſa a quibusdam ſtatuitur *infidelitas*. De ea pontificii ſic ſtatuunt: *Coniugia infidelium ſolvi poſſunt quoad vinculum, ſi alter coniugum convertatur ad fidem, & alter ei nolit cohabitare, ſine iniuria creatoris. Coniugia vero fidelium negant ſolvi poſſe quoad vinculum quacunque ex cauſa, quod ſi alterutra pars a fide catholica recedat, fidelem quoad cohabitationem ab eadem diſſolvi poſſe autumant;* Bellarminus libr. de matrimon. cap. XII. §. 2. cap. XIV. §. 5. hoc eſt, propter infidelitatem *praecedentem*, quando uterque coniux primo eſt infidelis, & poſtea alter ad fidem convertitur, concedunt divortium quoad vinculum; propter infidelitatem *ſequentem*, quando uterque coniux primo eſt fidelis, & poſtea alter a fide diſcedit, concedunt divortium quoad thorum & cohabitationem. Nos utrumque negamus, ideoque pontificiis op-

Cauſae divortii ab aliis additae.

I.) *Infidelitas.*

ponimus 1.) *Christi decisionem*: Matth. XIX. 6. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* At Deus etiam infideles coniunxit. Ergo, excipit Bellarminus, *matrimonium illud non dirimi ab homine, sed a Deo, quando fidelis ab infideli separatur, cuius*, inquit, *interpretem habemus apostolum Paulum.* Sed de loco illo apostolico dicemus paulo post. 2.) *Eiusdem exclusivam locutionem*: Matth. V. 32. XIX. 9. *Qui dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, mœchatur.* Atqui infidelitas non est fornicatio, quamvis enim in scriptis propheticis idololatria fornicationis & adulterii spiritualis nomine indigitetur, tamen quia Christus agit de corporali duntaxat scortatione, quæ unitatem carnis dirimit, & essentiæ matrimonii adversatur, ideo non potest hoc ad infidelitatem referri, quæ unitatem carnis neutiquam dirimit. Excipit Caietanus in 1. Cor. VII. *Christum dedisse libertatem solis viris dimittendi causa fornicationis uxores, non autem uxoribus dimittendi viros, Paulum autem locutum esse de causa, quae sit communis viro & uxori, & hanc esse voluisse conversionem alterius coniugis ab infidelitate.* Sed hæc exceptio ratione partis *prioris* falsa est, quod ipse Bellarminus agnoscit, cum uxor non minus virum adulterum relinquere possit, quam maritus uxorem adulteram dimittere; ratione *posterioris* petit principium. Aliter igitur Bellarminus excipit, *Christum loqui de matrimonio inter fideles, Paulum de matrimonio contracto inter infideles.* Sed *prius* gratis dicitur, quia Christus in genere loquitur de matrimonio, cuius firmitatem indissolubilem ex primaeva institutione deducit, aut igitur negandum erit, inter infideles esse verum matrimonium, aut concedendum, Christum loqui de matrimonio etiam infidelium. *Posterius* verum est, sed ex eo inferri nequit, quod Bellarminus probandum suscepit, ut paulo post videbimus. 3.) *Apostoli concessionem*: 1. Cor. VII. 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* v. 13. *Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat eum.* Excipit Bellarminus, *Paulum non tantum permittere coniugi deserto ab infideli, ut aliud matrimonium ineat, sed etiam permittere simpliciter, ut dimittat infidelem, etiam si cohabitare velit; solum enim consulit, non autem praecipit, ut coniux fidelis non dimittat coniugem infidelem, si is velit cohabitare, & ideo si quis dimittat volentem cohabitare, non peccat contra ullum praeceptum.* Resp. exceptio illa contrariatur disertis apostolicis verbis: μὴ ἀφιέτω ἀυτὴν, μὴ ἀφιέτω ἀυτὸν, contrariatur etiam rationibus gravissimis, quas ibidem apostolus addit, quibus probat, fidelem non debere dimittere coniugem infidelem, si velit ei cohabitare, quas superius exposuimus. Adde, quod hoc apostoli pronunciatum nitatur primæva coniugii institutione, quæ ostendit coniunctionem maris & fœminæ in legitimo coniugio esse indissolubilem. Frustra Bellarminus confugit ad verba: *caeteris dico ego, non Dominus;* quasi apostolus privatum aliquod consilium duntaxat, non autem præceptum proponat; quid enim de hac canonistarum, a quibus Bellarminus eam mutuatus est, exceptione statuendum sit, ostendimus superius. §. 390. 4.) *Infidelitatis conditionem*: Infidelitas non repugnat essentialibus matrimonii, sicut adulterium; possunt enim esse duo in carne una, qui fidei & Spiritus unitate non sunt invicem coniuncti, alias inter maritum pium & fœminam impiam, ac vice versa inter maritum impium & fœminam piam non esset verum & ratum matrimonium. 5.) *Cum haeresi comparationem*: Propter hæresin non solvitur vinculum matrimonii. Ergo nec propter infidelitatem solvi debet. Excipit Bellarminus, *magnum esse discrimen in-*

inter coniugia contracta in infidelitate, & coniugia contracta post baptismum. Priora enim etsi rata sint & firma ex natura sua; tamen sacramenta non sunt, & ideo deest illis potissima ratio indissolubilitatis. At posteriora sacramenta sunt, & proinde duplicem habent rationem insolubilitatis. Resp. petitur principium, ut constat ex illis, quæ de quæstione, *an matrimonium sit sacramentum proprie sic dictum*, superius disputata. Coniugii firmitas non pendet ex sacramentali quadam ratione, sed ex divina institutione. Præterea si vel maxime demus Bellarmino, coniugia in infidelitate contracta non habere duplicem rationem insolubilitatis, quæ ex Dei institutione & sacramentali ratione iuxta Bellarmini hypothesin descendit; negare tamen nequit, eadem esse rata & firma ex natura sua, & rationem insolubilitatis habere ex divina institutione, ergo saltim propter hanc insolubilitatis rationem non erunt dissolvenda. Plura qui desiderat, adeat §. 388.

Argumenta Bellarmini I.) *ex 1. Cor. VII. Si infidelis discedit, discedat.*

§. DCLXVI. Argumenta, quibus Bellarminus demonstrare nititur, *coniugia infidelium solvi posse quoad vinculum*, duo tantum adfert. I.) Prius desumtum ex 1. Cor. VII. *Si infidelis discedit, discedat.* Resp. dictum illud apostolicum expendimus superius, §. DCXXII. hic breviter dicimus, apostolum nequaquam in his verbis causam faciendi divortii statuere infidelitatem, quasi scilicet fidelis propter infidelitatem debeat ab infideli discedere, sed consulere parti innocenti divortium propter desertionem passæ, quando scilicet infidelis malitiosa desertione de facto divortium instituit. Si, inquit, *infidelis*, nolens cohabitare fideli, *discedit*, id est, si coniugale vinculum per desertionem suam nefarie disrumpit, *discedat*, id est, æquo animo illud a fideli ferendum ac Deo commendandum, *non enim servituti subiectus est frater & soror in huiusmodi*; hoc est, in tali casu christianus maritus aut christiana uxor non tenetur propter malitiosam coniugis desertionem a matrimonio in perpetuum abstinere, sed libertatem obtinet rebus suis novo matrimonio consulendi. II.) Posterius deductum ex iure canonico cap. *Si infidelis &c.* XXVIII. q. 2. cap. *Quanto &c.* cap. *Gaudemus &c.* de divortiis. Resp. cap. *Si infidelis. &c.* petitum est ex Ambrosio, neque quidquam nobis adversatur; loquitur enim de fideli *divortium passo* propter infidelis desertionem, non autem de fideli propter infidelitatem *divortium faciente*, & infidelem sibi cohabitare volentem repudiante. Verba Ambrosii integra sic habent: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat eam &c. Hoc dixit apostolus, quia inter illa primordia, cum ambo utique essent gentiles, fiebat, ut unus ex his crederet, & quia horrebant perfidi culturam Dei, similiter & credentes contaminationem praeteriti erroris, ideo praecipit,* (nota verbum praecipiendi contra Bellarminum) *ut si contenti essent habitare cum immutatis, contenti essent fideles cum illis &c. Si autem infidelis discedit, discedat, propositum religionis custodit praecipiendo, ne christiani relinquant coniugia, sed si infidelis odio Dei discedit, fidelis non erit reus dissoluti matrimonii, maior enim causa Dei est quam matrimonii.* Et postea: *Non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se iunxerit. Contumelia enim creatoris solvit ius matrimonii circa eum, qui relinquitur, ne adcusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens & in Deum & in matrimonium* (nota) *peccare dignoscitur, quia noluit sub Dei devotione habere coniugium, itaque non est ei fides servanda coniugii, qui ideo recessit, ne audiret, autorem esse Chri-*

II.) *Ex iure canonico.*

stianorum Deum coniugii &c. Cap. *Gaudemus* &c. est Innocentii, & agit de eo casu, si alter infidelium coniugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, quod tunc qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transire possit. Bellarminus autem disputat, quod *fidelis dimittens infidelem volentem cohabitare non peccet contra ullum praeceptum*, cum ex ipsius hypothesi sit tantum *consilium* apostoli de infideli, qui cohabitare consentit, non deserendo. Nec dissimulat ibidem Innocentius, quemdam ex suis praedecessoribus aliter sensisse. Cap. *Gaudemus* &c. habetur pulcerrima sententia, quod *per sacramentum baptismi non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur*, quae pontificiae eiusmodi matrimoniorum dissolutioni merito opponitur.

III.) *Ex Luc. XIV. Qui non odit uxorem &c.* III.) In exceptionibus ad argumenta nostra inserit Bellarminus tertium sententiae suae fundamentum. *Si infidelis non deserat fidelem, sed velit ei cohabitare cum iniuria creatoris, perpetuo scilicet persuadendo reditum ad infidelitatem & Christum blasphemando, certe poterit a fideli dimitti, iuxta illud* Luc. XIV. *Qui non odit patrem & matrem, uxorem, filios &c. propter me, non est me dignus.* Resp. 1.) Non de matrimonii dissolutione Christus agit, sed de posthabitione eorum, qui nobis sunt & esse etiam debent charissimi, si in cultu divino & veritatis confessione nobis obstaculo esse velint. Matth. X. 37. 2.) *Odisse* enim hoc loco non significat hostili adfectu prosequi, penitus deserere, officia alioquin debita denegare &c. sed posthabere, non obsequi, &c. iuxta regulam phraseologiae Hebraicae: *Verba adfirmata saepius ponuntur pro contrariis negatis.* Genes. XXIX. 31. Deut. XXI. 15. Prov. XIII. 24. Item: Odisse & diligere saepe non tam hos ipsos animi adfectus, quam actiones adfectus illos consequentes, sive adsint adfectus illis actionibus sive non, imo saepe etiam cum plane contrarii adfectus illis actionibus adsunt, indicant. Flacius part. II. clav. p. 316. *De tali odio loquitur*, (inquit Basilius in orat. quomodo instruendi venient ad bapt. tom. I. p. 452.) *non quod insidiandi studium generat, sed pietatis virtutem, ut non obediatur ab illa seducentibus, adfert.* 3.) Scopus dicti est, Deum & ipsius verbum ac cultum debere nobis esse cariora quibusvis rebus. Invertimus igitur argumentum: Divina coniugii institutio requirit, ut vinculum illud sit indissolubile. Ergo ex amore Dei leges illas coniugales reverenter observemus, nec infidelem cohabitare volentem repudiemus. 4.) Christus absolute & indistincte loquitur de quovis coniuge pietati impedimentum obiiciente. Unde Bellarminus ipse in cap. 14. seq. §. 5. illud Christi dictum refert ad coniugem, qui *prius fuit fidelis, postea vero a fide catholica recedit.* Quod si ergo ex illo Christi dicto efficaciter probari posset, propter infidelitatem *praecedentem* solvi posse coniugium *quoad vinculum*, utique etiam ex eodem inferri posset, propter infidelitatem *sequentem* coniugium *quoad vinculum* itidem solvi posse, quod tamen Bellarminus non concedit.

§. DCLXVII. II.) *Haeresis.* Eam esse iustam divortii causam statuunt: I.) *Anabaptistae*, qui propter dissensum in religione coniuges dimittendos censent, & pietatis praetextu matrimonia dirimunt. Tres enim coniugii gradus statuunt, primum *animae seu spiritus hominis cum Deo*, secundum *animae cum corpore*, tertium *corporis cum corpore, id est, coniugis & mariti, quem gradum dicunt esse*

II.) *Haeresis.*

esse minimum atque infimum; unde inferunt: *Si primus & secundus gradus non serventur, hoc est, si vir non sit vera fidei confessione Deo obstrictus, tum factum esse adulterum, & uxorem ab eo posse facere divortium.* Disputant etiam, *coniugium infidelium non esse coram Deo coniugium, sed impuritatem & fornicationem*, nimirum ut obtinere possint, *licitum esse marito orthodoxo, coniugem haereticam deserere, & aliam fidei suae addictam ducere*, infideles enim habentur ab ipsis omnes, quicunque cultu & professione sunt a secta ipsorum alieni. Münsterus coniugium & thorum coniugalem infidelium & carnalium vocavit meretricium thorum & diaboli prostibulum. Vid. Bullingerus lib. I. contra Anabapt. cap. 1. Jac. Andreæ in conc. Eslingens. &c. II.) Anabaptistarum vestigiis insistunt *Photiniani*, qui *praecepto sexto*, quod ipsis est septimum, *de non adulterando, in nov. test. hoc a Christo additum esse censent, ne fidelis in matrimonio habeat infidelem.* Catechismus Racov. p. 172. Laborant autem spiritu vertiginis, quia ibidem addunt, *in lege expresse vetita fuisse connubia inter fidelem & infidelem.* At si in lege iam ante fuere eiusmodi coniugia prohibita, quomodo a Christo potest illa prohibitio dici addita? III.) Quidam etiam ex *Calvinianis* statuunt, nuptias inter disparis religionis homines, cumprimis vero inter fidelem & infidelem contractas, non tantum prohibitas, sed etiam propter interdictum illud divinum irritas esse. Martyr in comm. 1. Reg. III. Zanchius in hexaem. p. 709. Albericus Gentilis lib. II. de nupt. cap. 19. Quae argumenta huic opinioni sint opponenda, expositum fuit superius §. 390.

§. DCLXVIII. Contra *Anabaptistas* hoc loco sic concludimus: Quod coniugium 1.) conforme est divinae institutioni, 2.) habet requisita συζατικὰ coniugalis contractus, 3.) oppositum est incestuosis & adulterinis congressibus, 4.) a Christo, & 5.) ab apostolis est confirmatum, illud est verum, ratum & indissolubile matrimonium. Coniugium infidelium & haereticorum tale est. Ergo. *Maioris* veritas est in aprico. *Minor* sigillatim confirmari facile potest. Coniugium infidelium 1.) est conforme institutioni divinae; quamvis enim legem moralem scriptam infideles ignorent, tamen legem naturalem cordibus inscriptam habent, ex qua matrimonium inter eos originem ducit, & ex qua natae sunt apud ipsos honestae leges matrimonii decus custodientes. 2.) Habet requisita συζατικὰ coniugalis contractus; adest enim legitimus consensus, qui est *causa efficiens:* adsunt personae idoneae mas unus & foemina una, quae est *materia:* adest legitima & indissolubilis in unam carnem coniunctio, quae est *forma:* adest sobolis propagatio, mutuum adiutorium & libidinis remedium, qui est coniugii *finis.* 3.) Oppositum est incestuosis & adulterinis congressibus, quia incestuosas coniunctiones & adulteria Deus in Cananaeis puniit Levit. XVIII. 24. sed honesta eorum coniugia adprobavit. 4.) Confirmatum est a Christo, qui Samaritanam superstitionibus haereticis immersam cum quinque viris suis in legitimo coniugio vixisse adserit, idque a scortatione, in qua postea vivebat, distinguit, Ioh. IV. 18. 5.) Confirmatum est ab apostolis, qui in praedicatione evangelii inter gentiles nuspiam leguntur, coniugia eorum dissolvisse, quin imo Paulus 1. Cor. VII. 12. diserte praecipit, *si infidelis cohabitare velit cum fideli*, non esse eum repudiandum. Quod propter *haeresin* vel infidelitatem, sive *praecedentem* sive *supervenientem*, non sit faciendum divortium, breviter sic demonstramus: Si 1.) Christus diserte pronunciat, neminem hominum debere separare, quod

Deus

Deus coniunxit, Matth. XIX. 6. & 2.) unicam tantum faciendi divortii causam statuit, videlicet adulterium, 3.) si apostolus infidelem cum fideli cohabitare consentientem non esse dimittendum adserit, 1. Cor. VII. 12. 4.) nec infidelitas nec hæresis cum matrimonii substantialibus pugnant, 5.) nullum omnino ex sacris literis proferri potest vel mandatum vel permissio vel probatum exemplum divortii propter infidelitatem & hæresin facti, 6.) contra vero plurima adferri possunt exempla eorum, qui in matrimonio coniuges infideles & hæreticos retinuerunt, 7.) denique si separatio coniugum propter hæresin vel infidelitatem multa secum trahit incommoda, pericula & absurda; consequens est, quod propter hæresin vel infidelitatem non sit faciendum divortium. Sed illud, ergo & hoc. Plura qui desiderat, ex §. 390. ea petere potest.

§. DCLXIX. III.) *Votum solenne continentiae*, sive ingressus in religionem.

III.) *Votum solenne continentiae.*

Pontificii hac de re sic statuunt, *matrimonium ratum nondum consummatum solvi etiam quoad vinculum per votum solenne continentiae sive ingressum in religionem, dissentiente etiam parte altera facto; matrimonium consummatum solvi quoad thorum & cohabitationem tantum, non autem quoad vinculum per idem continentiae votum utriusque coniugis consensu susceptum.* Concilium Trid. sess. XXIV. can. 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solennem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.* (Matrimonium *ratum* vocant, quando fides coniugalis quidem data, sed nondum accessit copula carnalis; matrimonium *consummatum* vocant, quando non solum consensus nuptialis adest, sed etiam concubitus accessit. Solutionem quoad *thorum & cohabitationem* vocant, quando manente coniugali vinculo coniuges a societate lecti ac mensæ separantur: solutionem quoad *vinculum*, quando non solum lecti & mensæ societate excluduntur, sed etiam ipse nexus coniugalis solvitur, ita ut liceat utrique vel alterutri ad alias nuptias transire. Votum *solenne* continentiæ vocant, quod factum est in conspectu ecclesiæ, cui se vovens post magnam deliberationem & diuturnam probationem sponte subiicit ut ipsi Deo, & hoc ipso statum mutat. Distinguunt illud a voto *simplice*, quod est promissio continentiæ perpetuæ Deo privatim liberæ voluntate excellentioris alicuius boni gratia facta. *Religionis* nomine intelligunt monachatum, per ingressum igitur in religionem intelligunt monasticam professionem.)

Rationes nostræ sententiæ: 1.) ex defectu divini mandati.

Nos utrumque negamus. Prius igitur quod adtinet membrum, videlicet *per votum solenne continentiae non solvi matrimonium ratum quoad vinculum*, sequentibus demonstramus fundamentis: 1.) Nullo scripturæ dicto demonstrari potest, per votum solenne continentiæ solvi matrimonium ratum. Ergo hæc pontificiorum adsertio tanquam ἄγραφος & dubia merito reiicitur. Bellarminus lib. de monach. cap. 38. demonstraturus contra quosdam sui ordinis homines, *matrimonium consummatum non solvi per monasticam professionem*, adfert scripturæ dicta: *Quod Deus coniunxit, homo non separet. Qui dimiserit uxorem, facit eam mœchari. Iis, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxor a viro non discedat &c.* sed cum contra nos probare deberet, *matrimonium ratum solvi per monasticam professionem*, ne unicum quidem scripturæ locum adducit, sed testimonia *ecclesiae*, id est, Romanorum pontificum & concilii Tridentini, exempla sanctorum, & rationem duplicem male

male consarcinatam. Atqui novit, nos non nisi ex proprio theologiæ principio, ex scriptura scilicet sacra, argumenta requirere, quibus cum se destitutum fateatur, agnoscat, se in nostra sententia refellenda omnem operam ludere.

2.) *Ex indissolubilitate matrimonii.*

2.) Adsertio illa pontificia, quod *matrimonium ratum solvatur per ingressum in religionem*, non modo est ἄγραφος, sed etiam *ἀντίγραφος*, id quod sic demonstramus: Matrimonii divinitus coniuncti vinculum est indissolubile. Matth. V. 32. XIX. 9. Marc. X. 11. Luc. XVI. 18. 1. Cor. VII. 10. Atqui matrimonium ratum, si iuxta ordinem divinitus institutum sit contractum, est matrimonium divinitus coniunctum. Ergo vinculum eius est indissolubile.

§. DCLXX. Bellarminus videt nervum huius argumenti esse fortissimum, unde in hæc verba erumpit §. 1. *Sunt pro hac sententia gravissima argumenta. Nam* Matth. XIX. & 1. Cor. VII. *matrimonium insolubile esse pronunciatur, quod autem hoc de rato dicatur, patet* primo, *quia matrimonium ratum non differt a consummato ulla essentiali differentia; copula enim carnalis actus quidam coniugii est, non essentia coniugii.* Secundo *matrimonium ratum est verum sacramentum, significans Christi & ecclesiae unionem inseparabilem. Ergo indissolubile. Praeterea* tertio *per matrimonium ratum dat vir uxori potestatem corporis sui, ergo non potest invita uxore sua continentiam Deo vovere.* Hæc omnia Bellarminus, vim veritatis in corde suo procul dubio sentiens; conatur tamen utcunque effugere, nimirum quia semel obfirmavit animum, velle se decreta Tridentina, qualia qualia sint, confirmare, videamus, quid prosit. *In genere* dicit, *duplicem* ad argumenta illa *adferri solutionem. Una est communis theologorum* (scholasticorum) lib. IV. sent. dist. 27. *quod tam insolubile sit matrimonium ratum tantum quam consummatum, & tunc ad omnia illa argumenta respondent, ea probare optime, matrimonium ratum non posse dirimi ab homine, id est, humana ulla autoritate, sed tamen non probare, quin possit dirimi a Deo, Deum autem esse, qui dirimit, dum sponsum vocat ad religionem. Altera solutio communis est canonistarum, qui docent matrimonium consummatum non esse solubile nisi a Deo, matrimonium autem ratum tantum esse solubile autoritate pontificis, & etiam sine illa autoritate solvi per ingressum in religionem, & tunc ad argumentum ex verbis Domini* Matth. XIX. Quos Deus coniunxit &c. *respondent, ea verba intelligi solum de matrimonio consummato. Nam haec verba non sunt dicta a Domino, nisi postquam dixerat*, erunt duo in carne una, *quod non fit, nisi per copulam carnalem. Et sic docet exponi debere hunc textum Alexander III. cap. Ex publico de conversi coniug.* Resp. utraque exceptio turpiter petit principium. Quod enim *priorem* adtinet, facile concedimus, ex dictis Christi & apostoli illud duntaxat probari, quod vinculum matrimonii divinitus contracti sit insolubile humana autoritate; nequaquam vero illud, quod non possit a Deo idem dirimi, hoc inquam libenter concedimus; probet vero Bellarminus, Deum esse, qui matrimonium dirimit, quando sponsum vocat ad religionem. Deus voluntatem suam per Christum sic manifestavit, quod coniuges fidem matrimonialem sibi invicem datam non debeant fallere, nec propria autoritate illud separare, quod divinitus coniunctum est, Matth. XIX. 6. quod unica inter vivos coniuges divortii faciendi causa sit adulterium, Matth. V. 32. XIX. 9. Per apostolum Paulum suam sic declaravit voluntatem, quod vinculum coniugale non nisi morte solvatur, Rom. VII. 1. 1. Cor. VII. 39. quod *uxor non debeat a viro discedere, nec vir uxorem*

dimittere; 1. Cor. VII. 10. huius contrarium Deo tribui nequit, alias duæ contrariæ in Deo ſtatuerentur voluntates, una occulta, altera revelata, proinde non eſt ſancta, nec a Deo profecta, nec Deo placens cogitatio, ſi maritus propter ingreſſum in monaſterium datam coniugalem fidem fallere inſtituit. Proponimus autem Bellarmino expendendum hoc argumentum. Coniugii vinculum aut per mortem, aut propter adulterium, aut per deſertionem malitioſam ſolvitur. Ergo propter aliquam harum trium cauſarum ſolvitur, quando ſponſus monaſterium ingreditur. Non propter *primam*, quia non intercedit mors naturalis. Si de morte ſpirituali nugari incipiant, quaſi ſcilicet ſponſus per ingreſſum in religionem moriatur mundo, & veterem hominem mortificet; breviter reſpondemus, non ſpiritualem illam mortem a peccatis, quæ ab omnibus vere piis requiritur, quæque interiori mentis renovatione, non autem exteriore ſtatus mutatione perficitur, ſed naturalem duntaxat ſive corporalem mortem coniugii vinculum diſſolvere. Nec propter *ſecundam*, quia non intercedit adulterium, niſi dicere velimus, ut in monaſteriis pontificiis ſpiritualis fornicatio & idololatria per invocationem ſanctorum, cultum religioſum imaginum & reliquiarum, per ἀρτολατρείαν &c. exercetur, ita quoque corporalem fornicationem in illis vigere, quod ut credamus, facile induci poſſumus. Relinquitur igitur, quod ob *tertiam* cauſam, videlicet ob malitioſam deſertionem, fiat diſſolutio, ſi quando ſponſus monaſterium ingreſſus fidem coniugalem ſponſæ datam fallit, id quod libenter concedimus; ſed addimus, deſertorem illum graviſſime peccare, cum non de iure ſed de facto coniugale vinculum nefarie disrumpit. Negamus igitur, Deum eſſe, qui matrimonium ratum dirimit, quando ſponſus ingrediatur religionem. Si enim Deus eſſet, qui matrimonium ratum dirimeret per ſponſi ingreſſum in religionem, dicendum etiam foret, Deum eſſe, qui matrimonium conſummatum dirimit, quando maritum ad religionem vocat, quod tamen pontificii non concedunt. Excipit Bellarminus, *ex eccleſiæ declaratione ſciri, quod Deus dirimat matrimonia rata, & non dirimat etiam matrimonia conſummata per vocationem ad religionem.* At hac ratione denuo petitur principium. De eo enim quæſtio eſt, an hæc ſit vera veræ eccleſiæ declaratio, cum in verbo Dei, cui eccleſia, utpote Chriſti ſponſa, unice adſtricta eſt, contrarium doceatur. Quam vero Bellarminus intelligit eccleſiam? num pontifices Romanos? at illorum autoritatem apud nos eſſe nullam novit, ſi ſuffragio divini verbi deſtituatur; adde quod Romanorum pontificum ſanctiones in quæſtione de matrimonii ſolubilitate plurimum varient, ut ex præcedentibus conſtare poteſt.

§. DCLXXI. Quod *poſteriorem* exceptionem adtinet, in ea itidem repetitur id, quod erat in quæſtione. Probamus nos ex verbis Chriſti & apoſtoli, matrimonii divinitus coniuncti, ſive *ratum tantum* ſit, ſive *ratum ſimul & conſummatum*, vinculum eſſe ab homine indiſſolubile. Bellarminus reſpondet, *matrimonium conſummatum non eſſe ſolubile niſi a Deo, matrimonium autem ratum tantum eſſe ſolubile autoritate pontificis, & ſine illa autoritate per ingreſſum in religionem.* At de eo ipſo quæritur, *an matrimonium ratum pontificis autoritate propter ingreſſum in religionem ſolvi poſſit?* contrarium docemus ex verbis Chriſti & apoſtoli. Quod divinitus coniunctum, nullus hominum ſeparare debet; pontifex eſt homo, modo velit ſe illius ſucceſſorem agnoſcere, qui Act. X, 26. ad Cornelium dicit, κἀγὼ ἄντὸς ἄν-

ἄνθρωπός εἰμι, ac nisi canonistarum adulatorum voces admittere velit: *Papa stupor mundi, nec Deus est nec homo, sed neuter inter utrumque.* Ergo matrimonium ratum, utpote divinitus coniunctum, separare non debet. Sed invenit Bellarminus aliquid, quo probare possit, verba Christi: *quod Deus coniunxit, homo non separet;* intelligi de matrimonio *consummato tantum*, non autem de matrimonio *rato*, quia scilicet Christus ea protulit, postquam dixerat: *erunt duo in carne una;* cui breviter respondemus: 1.) Christus in genere de omnibus legitimo matrimonio coniunctis adserit, quod divinitus coniuncti sint in copulam humana autoritate indissolubilem, neque hic inter matrimonium ratum & consummatum distinguendum esse vel verbulo innuit. 2.) Nullus interpretum vel veterum vel recentiorum verba Christi ad matrimonium consummatum duntaxat referenda esse docuit. Alexandrum III. verbis Christi vim inferentem non moramur. 3.) Matrimonium ratum non minus quam consummatum est matrimonium divinitus coniunctum, quando scilicet est legitimum. Aut ergo negandum fuerit, Deum illos coniunxisse, qui in matrimonio rato vivunt, aut concedendum, illorum coniunctionem esse humana autoritate indissolubilem. 4.) Ipsimet pontificii concedunt, copulam carnalem non pertinere ad essentiam coniugii, sed duntaxat ad eius usum, unde in iure canonico adprobatur regula iuris civilis: *Consensus non concubitus facit nuptias.* Cap. *Sufficiat &c.* q. 27. q. 2. cap. *Ubi non est &c.* XXX. q. 2. cap. *Tuas dudum &c.* extra de sponsa duorum. Quamvis igitur ad matrimonium ratum nondum accesserit copula, tamen essentiæ eius ad integritatem & perfectionem nihil deficit. 5.) Unitas carnis in coniugio non tam ex copula carnali, quam ex divina institutione & libero ac legitimo consensu dependet. Ius indissolubilitatis oritur non ex concubitu, qui est illius iuris actus, sed ex consensu mutuo. 6.) Quid quod eadem verba: *erunt duo in carne una;* in propria institutionis sede, Gen. II. 24. de coniugio tantum rato, nondum per copulam consummato proferuntur, quia Adamus & Eva nondum carnali copula erant usi. Perquam igitur absurdum est, quod Bellarminus ex ordine horum verborum apud Matthæum evincere conatur, ea non pertinere ad matrimonium ratum.

§. DCLXXII. Expendamus, quomodo in *specie* ad triplicem illam rationem adsumtioni principalis argumenti confirmandæ adhibitam excipiat. Ad *primam* rationem a negato essentiali discrimine inter coniugium ratum & consummatum petitam excipit, *matrimonium ratum & consummatum non differre solum accidentaliter, ut rem operantem & non operantem, nec tamen differre proprie essentialiter, quasi desit matrimonio rato altera pars essentiae, quomodo differunt homo & animal; sed differre sicut perfectum & imperfectum, sicut differunt homo, cui non deest ulla pars integralis, & homo mancus, surdus vel cæcus, id quod ipsa verba ostendunt. Cur enim dicitur matrimonium ratum & non consummatum, si nihil ei deest, nisi operatio sive effectus? & cur non etiam dicitur sacerdotium ratum & non consummatum, antequam presbyter incipiat exercere sacros ordines? Porro id quod deest matrimonio rato, id est, quod facit illud solubile. Nam sacramentum matrimonii triplicem habet significationem.* Primo *significat gratiam invisibilem, sive coniunctionem Christi cum anima.* Secundo *coniunctionem Christi cum ecclesia per charitatem.* Tertio *coniunctionem Christi cum ecclesia per naturae conformitatem; ex quibus matrimonium ratum habet solam primam, quae significatio sufficit ad constituendum verum sacramentum,*

sed ea non facit matrimonium insolubile, nam illa coniunctio Christi cum anima non est insolubilis, ut patet. Matrimonium autem consummatum habet alias (reliquas) *duas, ut patet ex Paulo* Ephes. V. *qui non dixit:* sacramentum hoc magnum est *&c. nisi postquam dixerat:* Erunt duo in carne una; *quod certe fit per copulam, & confirmatur hoc totum ex eo, quod si matrimonium ratum non consummatum significaret unionem Christi cum ecclesia, sequeretur esse digamum, qui duo matrimonia rata contraxerit, licet unum tantum aut nullum consummaverit,* quod est contra cap. *Debitum* &c. de digamis. *Sequela patet, nam digamia contrahitur ex defectu significationis unius Christi cum una ecclesia, quam non habet, qui cum duabus contrahit.* Resp. 1.) Matrimonium ratum, ad quod nondum accessit copula, non propter defectum alicuius partis integrantis *non consummatum* dicitur, (quod Bellarminus in sua comparatione præsupponit) sed propter defectum usus sive operationis, quæ ad rei essentiam neutiquam pertinet. Albericus Gentilis lib. VI. de nupt. cap. 18. *Consummatio, quam sic improprie dicimus, quasi ante concubitum aliquid desit ad matrimonii perfectionem, nihil nisi usus perfecti matrimonii est.* Vide superius cap. VI. §. 412. q. II. 2.) Recognoscat Bellarminus sua verba lib. de matrim. cap. 5. resp. ad 6. *De copula coniugali sunt duae opiniones catholicorum. Quidam enim docent copulam illam neque sacramentum neque partem sacramenti esse, sed actum solum, sive officium matrimonii, proinde quid accidentarium esse respectu matrimonii. Alii volunt copulam coniugalem esse partem quamdam sacramenti, non quidem essentialem sed integralem, & ideo ante copulam adpellari ratum, sed non consummatum. Omnes tamen in eo conveniunt, ut* (quod) *copula non sit pars essentialis, & propterea sacramentum matrimonii totum ac plenum, quantum ad partes essentiales, inveniatur in contractu per verba de praesenti.* Cum illis igitur catholicis prius transigat, qui negant, copulam esse partem sacramenti integrantem. 3.) Rato matrimonio aliquid deesse concedimus, (alias a consummato non distingueretur) sed defectus ille nec essentialem nec integralem aliquam coniugii partem, sed usum sive operationem duntaxat concernit. Quando igitur Bellarminus sic infert: *Matrimonio rato aliquid deest. Ergo illud, quod ei deest, est pars quaedam integrans;* procedit a non distributo ad distributum affirmative, quod est ἀσυλλόγιστον. 4.) Perfectio duplex est, *essentialis* & *accidentalis.* Si de perfectione *essentiali* quæritur, coniugium ratum a consummato non differt, ut imperfectum a perfecto, quia coniugio rato nihil quidquam deficit, quod ad essentialem coniugii perfectionem requiritur, adsunt enim omnes causæ, ex quibus essentialis rei perfectio dependet. Inter Mariam & Josephum fuit verum & perfectum coniugium, teste Augustino lib. II. de cons. evang. cap. 1. lib. I. de nupt. & concupisc. cap. 11. nec diffitente Bellarmino dicto loco, neque tamen Iosephus Mariam cognovit Matth. I. 25. male igitur coniugium ratum confertur homini claudo vel cœco, cum non desit ei aliquod membrum integrale. Si de *accidentali* perfectione quæritur, concedimus, matrimonium ratum a consummato differre, ut imperfectum a perfecto; sed ex eo inferri nequit, quod illud sit solubile, hoc vero insolubile, miserabilis enim petitio principii est, quando Bellarminus hoc loco scribit: *id quod deest matrimonio rato, est id, quod facit illud solubile.* 5.) Quare eorum sacerdotium, qui partes officii sui nondum administrant, non dicatur *sacerdotium ratum & non consummatum,* eius rei ratio frustra quæritur, cum hoc ex usu loquendi unice dependeat; sufficit nobis, quod matrimonium ratum,

tum, ad quod copula nondum accessit, dicatur non consummatum, non propter defectum alicuius essentialis vel integrantis partis, sed ratione usus & actus. Ac si rem recta æstimare velimus iudicii trutina, haud absurde illorum sacerdotium diceretur non consummatum, qui nullam sacerdotalis muneris, cui destinati & consecrati sunt, adtingunt partem, neque enim *implent ministerium suum* nec *cursum suum consummant*, 2. Tim. IV. 5. & 7. 6.) Firmitas & indissolubilitas matrimonialis vinculi non dependet *ex sacramentali quadam significatione*, sed *ex divina institutione*, & ex legitimo contrahentium consensu. 7.) Si matrimonium ratum est verum sacramentum, non minus erit insolubile quam matrimonium consummatum, cum ex hypothesi pontificia firmitas & indissolubilitas matrimonii pendeat ex natura sacramenti. Sed prius negare non possunt pontificii, ut ex verbis Bellarmini de matrim. cap. V. constat. Ergo 8.) triplex illa significatio non minus in matrimonio rato, quam in consummato deprehenditur. Quia enim in matrimonio rato coniunguntur, qui caritatis glutine invicem uniti & naturæ conformitatem obtinent, eccur eorum coniunctio non posset significare coniunctionem Christi cum ecclesia per caritatem, & coniunctionem Christi cum ecclesia per naturæ conformitatem? Contrarium ex verbis apostoli Ephes. V. nunquam demonstrabitur. 9.) Qui duo matrimonia rata contrahit, licet unum tantum aut nullum consummet, vere est coram Deo digamus, cum prius contractum fuerit verum matrimonium.

§. DCLXXIII. Ad *secundam* rationem a veritate sacramenti κατ' ἀνθρωπον ex hypothesi pontificia ductam excipit, *matrimonium ratum esse verum sacramentum, sed non perfectum quoad omnes significationes.* Resp. 1.) Sufficit, quod sit perfectum quoad partes essentiales, id quod Bellarminus negare nequit, sic enim scribit lib. de matrim. cap. V. *Sacramentum matrimonii totum ac plenum, quantum ad partes essentiales, invenitur in contractu per verba de praesenti.* 2.) Insolubilitas coniugii non dependet a perfectione significationis, sed a perfectione secundum partes essentiales. 3.) Nullum est verum sacramentum, quod non etiam sit perfectum, institutioni scilicet divinæ congruum, & partibus suis συσατικαῖς absolutum, ex quo fundamento ποτηριοκληψίαν pontificiam impugnamus. 4.) Quomodo matrimonium ratum erit verum sacramentum, si non significat illud, in cuius significatione ratio sacramenti consistit? 5.) Iam ante ostendimus, matrimonium ratum illud ipsum significare posse, quod consummatum.

§. DCLXXIV. Ad *tertiam* rationem a mutua coniugum obligatione petitam dupliciter excipit: Primo *eos, qui dant se ipsos uxori, semper intelligere, se dare cum ea conditione, nisi vocentur a Deo ad spirituales nuptias.* Secundo *non teneri coniugem ad solvendum eiusmodi debitum cum detrimento boni spiritualis sui, quando id potest fieri sine ullo detrimento alterius coniugis, ut in praesenti accidit.* Utramque solutionem dicit *esse bonam;* sed posteriorem *esse magis conformem decretis & factis pontificum, qui dispensant in matrimonio rato non consummato.* De priore dicit quod *nitatur testimonio Nicolai* XXVII. quæst. 2. cap. *Scripsit &c.* ubi dicit, *Deum esse, qui solvit matrimonium, cum aliquem vocat ad religionem. At* (inquit) *fundamentum hoc non est solidum, quia Nicolaus loquitur de matrimonio consummato, & intelligit illud solvi quoad thorum & non quoad vinculum.* Resp. utraque exceptio est absurda, puerilis, principii petitionem involvens. *Priori* hæc opponimus: 1.) Conditio illa non potest subintelligi, quia repugnat

naturæ coniugii, quippe quod ex divina institutione est vinculum indissolubile. 2.) Si conditio illa in coniugii contractu semper subintelligitur, consequens fuerit, quoties ob talem conditionem supervenientem matrimonium dirimitur, non solvi matrimonium ratum, sed tantum pronunciari irritum, quod sua natura ratum non erat. At Bellarminus præsupponit, matrimonium illud ante dissolutionem fuisse ratum, nec hoc loco agit de impedimentis matrimonium contrahendum prohibentibus & contractum dissolventibus, sed de iustis veri divortii, hoc est, solutionis quoad *vinculum* causis. 3.) Qui conditionem in contractu adpositam fuisse prætendit, & ex ea contractum a iudice irritum pronunciari postulat, conditionem illam adpositam fuisse demonstrare debet. Sed tale quid de matrimonio rato simpliciter & absolute contracto demonstrari nequit. 4.) Deus voluntatem suam in verbo sic revelavit, quod coniuges utpote divinitus indivisibili vinculo coniuncti a se invicem discedere minime debeant. Ergo non possunt dici divinitus solvi, qui per ingressum in religionem matrimonium solvunt, alias Deus sibi ipsi adversaretur. 5.) Recte igitur agnoscit Bellarminus, *hoc fundamentum Nicolai non esse solidum, quod Deus solvat matrimonium, cum aliquem vocat ad religionem.* Sed hac ratione propria vineta sua cædit, & cruribus suis imprudenter asciam illidit; nam hypothesin de infallibilitate papalis iudicii labefactat, & scholasticorum exceptionem ad primam rationem penitus subruit. 6.) Num vero illos solos, qui religionem ingrediuntur, hoc est, monasticam profitentur, ad *spirituales nuptias* vocari dicemus? Num ab illis excluſi erunt coniugati? Num soli cœlibes sunt Christi sponsa? Num spiritualis desponsatio perficitur monastices professione, non autem vera in Christum fide? חלילה חלילה.

§. DCLXXV. Ad *posteriorem* exceptionem hæc regerimus, 1.) ex consummatione matrimonii rati nullum sequitur boni spiritualis detrimentum, cum in coniugio etiam sit vera & Deo grata castitas. 2.) Si matrimonium consummatum cum detrimento spiritualis boni semper est coniunctum; consequens fuerit, matrimonium esse in se ac per se ἐμπόδισμα pietatis & virtutum, atqui contrarium ostendimus superius in quæstione de cœlibatu. 3.) Ut aliud est bonum ἁπλῶς, aliud τινί, ita quoque bonum aliquod æstimatur maius ac melius vel *absolute* vel *relate*. Virginalis continentia absolute & ἁπλῶς in personis idoneis est maius ac melius bonum, quam continentia coniugalis; sed illi, qui fidem matrimonialem alteri dedit, & in matrimonio rato vivit, non est maius ac melius bonum, quia ad fidem servandam lege divina adstringitur, & indissolubili matrimonii vinculo iamdum alteri obligatur. 4.) Adhuc in quæstione est, an in professione monastices, qualis hodie est, maius bonum spirituale adquiratur, quam per consummationem coniugii rati, præsertim ab illis, qui continentiæ dono esse instructos non esse, ipso matrimonii contractu demonstrarunt. 5.) Falsum est, *matrimonium ratum dissolvi sine ullo detrimento alterius coniugis*; quia insignis per fidei violationem ipsi infertur iniuria & ignominia, adeoque nisi continentiæ dono instructus sit, in periculum ustionis & scortationis præcipitatur. 6.) Possem ex eodem principio concludere, etiam consummatum coniugium per ingressum in religionem solvi, quia non tenetur coniux ad solvendum eiusmodi debitum cum detrimento boni spiritualis sui, quando id potest fieri sine ullo detrimento alterius coniugis. Iam vero ex hypothesi Bellarmini est maius bonum spirituale, quando coniuges vovent perpetuam continentiam, nec

nec alter de damno potest conqueri, quia precibus a Deo obtinere potest eandem continentiam.

§. DCLXXVI. Atque hæc sunt duo potiora sententiæ nostræ argumenta, quibus addimus 3.) ex *metu periculi: Qui dimittit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*, inquit Christus Matth. V. 32. XIX. 19. Atqui viri, qui post matrimonium ratum ingrediuntur monasterium, sine causa fornicationis uxores suas dimittunt, quod ipsum etiam de uxoribus monasterium ingredientibus intelligendum. Ergo fornicationis periculo sese invicem exponunt. Circa *maiorem* notandum, quod sit generalis de quovis vero & legitimo matrimonio agens, sive sit ratum tantum, sive consummatum, quia matrimonio rato essentialis definitio coniugii competit, ut ex dictis constat. 4.) Ex *regula apostoli* 1. Cor. VII. 17. 20. 24. *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, maneat. Unusquisque in quo vocatus est, in hoc maneat apud Deum.* At qui matrimonium ratum contraxit, a Deo ad coniugium vocatus. Ergo in vocatione illa maneat. 5.) Ex *testimonio patrum.* Bellarminus ne unicum quidem ex veteribus ecclesiæ doctoribus adducit testimonium, facturus utique, si aliquid invenire potuisset. Urgemus autem contra Bellarminum duas illas hypotheses, quas negare nulla veritatis specie potest: *Prior* hæc est: patres communi suffragio docent, *coniuges non nisi ex mutuo consinsu continentiam vovere posse.* Basilius in qq. fuse explicatis q. 12. Hieronymus epist. XIV. ad Celant. Augustinus epist. 199. ad Ediciam & epist. 45. ad Arment. & Paul. Gregorius lib. IX. ep. 39. ad Theotistam &c. *Posterior* hæc est: *Coniugium non copula, sed consensus facit.* Ambrosius de inst. virg. c. 6. Chrysostomus hom. 16. in Matt. Augustinus lib. I. de nupt. & concup. c. 11. Isidorus lib. IX. etym. c. 7. &c. ex quo immote colligimus, quod iuxta piorum veterum sententiam post matrimonium consensu ratificatum non possit alter coniugum absque alterius consensu continentiam vovere. Memorabile est illud Gregorii ad Theotistam relatum a Gratiano in ius canonicum cap. *Sunt qui* &c. 27. q. 2. *Sunt, qui dicunt, religionis gratia coniugia debere dissolvi, verum sciendum est, si hoc lex humana concessit, lex tamen divina prohibuit, per se enim veritas dicit:* Quos Deus coniunxit, homo non separet, *qui etiam ait:* Non licet dimittere uxorem excepta causa fornicationis; *quis ergo huius latori legis contradicat?* 6.) Ex *suffragio adversariorum.* Erasmus in adn. 1. Cor. VII. nostram probat sententiam. In eamdem propendet Claudius Espensæus lib. VI. de continent. c. 4.

3.) *ex metu periculi.*

4.) *ex regula apostoli 1. Cor. VII.*

5.) *ex testimonio patrum.*

§. DCLXXVII. Restat ut Bellarmini *argumenta* excutiamus, ea vero non excedunt numerum ternarium, nec ex scriptura, nec ex dictis patrum petita sunt; sed *primum* desumitur ex *testimoniis ecclesiae*, hoc est, Romanorum pontificum. c. Ex publico c. Ex parte tua c. Verum de conversi. coniugator. c. Desponsatam 27. q. 2. & aliis ibidem canonibus, quibus accessit concilium Trid. sess. XXIV. can. 6. *Resp.* 1.) *Ex solo Domini verbo sapientia vera.* Ecclesia ad vocem sponsi in scripturis sonantem est adligata. 2.) Recentiorum illorum pontificum decreta hanc opinionem magis suspectam reddunt, quam probatam. 3.) Concilii Trid. nulla apud nos autoritas, de quo in tract. de magistr.

Argumenta Bellarmini 1.) *ex testimoniis ecclesiae.*

§. 202. late eginus. 4.) Quod Bellarminus addit, *rectam rationem docere, potius credendum esse tot sanctis pontificibus & uni generali concilio, quam simplici inficitioni paucorum hominum*, illi opponimus regulam Panormitani, Marsilii Patavini, Gersonis, Pici Mirandulani, *quod uni homini etiam laico meliores ex scriptura rationes adferenti credendum sit potius, quam pontifici aut toti concilio sine sacrarum literarum testimonio aliquid statuenti.*

§. DCLXXVIII. *Alterum* ab *exemplis sanctorum* est petitum, ubi adfertur exemplum Theclæ, Alexii, Euphrasiæ, Cæciliæ, duorum militum, Leobardi & Gregorii. Resp. 1.) Non exemplis sed legibus in civitate Dei vivendum. 2.) In hoc ipso capite Bellarminus adfert exemplum Theonæ abbatis, qui sine consensu uxoris, cum qua per quinquennium in coniugio vixerat, matrimonium consummatum solvit, & ad illud respondet, *hoc esse unum ex illis factis sanctorum, quae sunt admiranda, non imitanda. Credendum enim est, peculiari Spiritus sancti admonitu id factum esse praeter communem ordinem ac legem.* Id ipsum nos ad exempla adducta respondere possemus, si vel maxime constaret, ea esse *vere sanctorum* exempla. 3.) Theclæ historia est supposititia & conficta, ut ex Tertulliano, Hieronymo & Gelasio ostendimus superius. 4.) Alexii, Euphrasiæ & Cæciliæ exempla petita sunt ex Simeone metaphraste, qui nono post Christum natum seculo vixit, cui quantum fidei tribuendum sit, patet ex hoc iudicio ipsius Bellarmini lib. de script. eccl. cap. de Sim. metaph. *Observandum est*, (inquit) *a metaphraste scriptas fuisse historias de vitis sanctorum multis additis ex proprio ingenio, non ut res gestae fuerunt, sed ut geri potuerunt.* Item: *videri quasdam historias sanctorum additas a posterioribus, & non omnes esse eiusdem autoris, quia inveniuntur vitae aliquae sanctorum, quae post obitum metaphrastae vixerunt.* Similia habet Baronius in annal. ad annum Christi 859. 4.) Duo illi milites non uxores matrimonio rato sibi coniunctas, sed sponsas reliquerunt. 5.) Gregorii Turonensis historiis & Gregorii dialogis parum fidei tribuendum, ut multis confirmari posset.

2.) *Ab exemplis sanctorum.*

§. DCLXXIX. *Tertium* argumentum continet duplicem rationem. *Prior* sic habet: *Semper est licitum transire e statu minus perfecto ad perfectiorem, si id possit fieri sine ullius detrimento. At status coniugii est imperfectior statu religionis. Ergo poterit alter uno ad alium fieri transitus, quando id fiat* (fieri possit) *sine ullius detrimento; fit autem sine ullius detrimento, quando matrimonium est ratum, sed nondum consummatum, duplex detrimentum oritur, si dirimatur:* unum *proli iam natae vel conceptae, quae non poterit tam bene educari*, alterum *ipsi coniugi, quae manet ligata, nec potest alteri nubere, & quando etiam posset, non tam commode, cum non sit amplius virgo. At nihil horum invenitur in matrimonio non consummato.* Resp. 1.) Praecepta prophetica & apostolica de studio perfectionis sunt generalia, nec ad certum quemdam vitae statum restringenda. Deut. XVIII. 13. 1. Reg. VIII. 6. Matth. V. 48. 1. Cor. XIV. 20. Eph. IV. 13. &c. 2.) Vera perfectio christianorum non consistit in externa status mutatione, sed in interiore regeneratione & renovatione, videlicet in vera ad Deum conversione, in iustitiae Christi perfectae per veram fidem imputatione, in veteris hominis mortificatione, in imperfectionis nobis & operibus nostris adhuc adhærentis agnitione, in summa animi ad pietatem contentione. At hæc omnia tam in coniugata quam cœlibe vita locum

3.) *ex duplici ratione.*

cum habere possunt. 3.) Thomas ipse disputat, *monasticam non esse perfectionem, sed statum perfectioni adquirendae adcommodatum.* Gerson testatur suo tempore novam fuisse vocem, *quod monastica sit status perfectionis.* Anshelmus dicit, *unam esse veram religionem a Christo institutam & omnibus christianis communem, reliquas vero vocat factitias & ab hominibus introductas.* Erasmus in praefat. enchir. mil. christ. p. 22. *In adfectibus est Christi perfectio, non in vitae genere. In animis est, non in palliis aut cibis.* 4.) Tantum vero abest, ut monastica, qualis est hodie sub papatu, sit status perfectionis, ut sit potius schola multiplicis superstitionis & idololatriae. Tribuunt enim monachi sibi tantam perfectionem, *quod non solum pro suis peccatis satisfacere possint, sed etiam opera supererogationis in alios conferre*, quod in sanctissimum Christi meritum & satisfactionem est iniurium. *Monasteria* (scribit Bucerus in defens. reform. Herm. archiepiscop. Colon. cap. CXXXVIII. p. 444.) *iamdudum ab antiqua vere monastica vivendi ratione tam longe recesserunt, tamque multis superstitiosis ac falsis cultibus conspurcata sunt, ut nemo christianorum pia mente praeditus in eiusmodi monastica vita, qualis nostris temporibus ac monasteriis est, tranquilla conscientia vivere possit, adeo ut deserere monasteria in plurimis sit argumentum verae pietatis & cognitionis Christi, non dissolutionis.* 5.) E statu minus perfecto ad perfectiorem transire licet, si praesto sit legitima ac divina vocatio; alias enim erit temeraria ac desultoria levitas, si quis ex statu vitae, in quem divinitus collocatus est, absque vocatione ad alium transvolare cupiat. At qui in matrimonio rato vivunt, non ad coelibatum, sed ad coniugium a Deo sunt vocati. 6.) Quamvis maritae a viro ante coniugii consummationem desertae non tanta inferatur iniuria, quanta coniugi per copulam carnalem cognitae; non tamen ex eo licet colligere, quod plane nulla inferatur, & quod liceat eam deserere, quia fides ei data violatur. Sic maior iniuria infertur coniugi, ex qua liberos desertor suscepit, non tamen ex eo licet inferre, quod plane nulla inferatur ei, ex qua nullos suscepit liberos, & quod proinde licitum ipsi sit eam deserere. 7.) Si vel maxime nulla iniuria, nulla ignominia, nullum damnum ex eo in coniugem desertam redundaret, tamen a violatione foederis coniugalis divinitus confirmati abstinendum erat, Malach. II. 14. Matth. XIX. 6. 1. Cor. VII. 10.

§. DCLXXX. *Posterior* ratio aequalis est monetae. *In matrimonio invenitur duplex vinculum, unum spirituale, quod ex solo consensu nascitur, alterum carnale, quod oritur ex copula, sed istud carnale dirimitur per mortem corporalem*, ergo vinculum spirituale dirimi debet per mortem spiritualem. *Talis est monastica professio, qua homo toti mundo quodammodo moritur.* Resp. 1.) Vinculum coniugale ex mutuo consensu contractum non potest humana autoritate vel consensu iterum dissolvi, ut ostendimus superius §. 638. Deus ipse pro adultero habet, & poenis adulterii subiicit eum, qui alterius sponsam violaverit; Deut. XXII. 24. ergo matrimonium est verum coram ipso matrimonium, ac proinde indissolubile, licet copula nondum accesserit. 2.) Si vinculum coniugii spirituale per mortem spiritualem dirimi potest, utique etiam consummatum matrimonium per mortem spiritualem, hoc est, per ingressum in religionem dissolvi posset. 3.) Non in omni vero, legitimo & perfecto matrimonio intercedit duplex illud vinculum, quia in coniugio Mariae & Iosephi non interceſſit vinculum carnale, & tamen fuit verum, legitimum & perfectum matrimonium. 4.) Firmissimum matrimonii vinculum est ipsa lex divina de matri-

trimonii indissolubilitate. Ea vero pertinet non solum ad matrimonium consummatum, sed etiam ratum, spirituali igitur morte ratum matrimonium dissolvi non poterit. 5.) Si per mortem spiritualem solveretur matrimonii vinculum, multo magis per mortem civilem, deportationem scilicet, solveretur, quia civili contractui magis repugnat mors civilis quam spiritualis. At consequens est absurdum. Ergo. 6.) Si per mortem spiritualem solvitur matrimonii vinculum, maritus infidelis & impius, quippe spiritualiter mortuus, non habebit potestatem maritalem in suam coniugem, & vice versa. 7.) Spiritualem mortem scriptura non definit per *ingressum in religionem*, sed duplicem spiritualem mortem nobis proponit, *unam bonam & laudabilem*, qua morimur peccatis, hoc est, ab illis desistimus, & in Christo vivimus; *alteram malam & damnabilem*, qua morimur in peccatis, hoc est, secure illis indulgemus, & a vita Dei alienamur. Neutra dissolvit matrimoniale vinculum, non prior, quia illa communis est omnibus vere piis & renatis, qua ratione inter pios coniuges non esset verum matrimonium; non posterior, quia illa communis est omnibus impiis & infidelibus, qua ratione inter impios & infideles non esset verum matrimonium. 8.) Recte addit Bellarminus vocabulum *quodammodo*, quod monachi quodammodo mundo moriantur, scilicet si externam professionem & vanam ipsorum gloriationem respicere velimus, at secus res se habet, si rei veritatem intueamur, unde Erasmus dicit, *monachos tam esse extra mundum, quam reues extra corpus animalis.*

An matrimonium consummatum solvatur per votum continentiae quoad thorum?

§. DCLXXXI. Ab hac quæstione de matrimonio *rato*, an illud sit solubile quoad vinculum per votum solenne continentiæ, transitum facimus ad quæstionem alteram, eidem cognatam, de matrimonio *consummato*, an illud sit solubile quoad *thorum & cohabitationem* per votum solenne continentiæ sive ingressum in religionem? Bellarminus adfirmat. sic enim scribit lib. de matrim. cap. XIV. *Sententia theologorum* (scholasticorum) *& ecclesiae totius* (pontificum Romanorum & eorum, qui illis adhærent) *est, posse matrimonium consummatum inter fideles solvi quoad thorum & cohabitationem ex consensu propter maiorem atque altiorem statum adquirendum, ut si uterque coniugum continentiam perpetuam voveat, & ad religionem transeat, cuius rei plurima exempla sanctorum exstant.* Nos contra negamus, cuius sententiæ nostræ fundamenta expositimus in quæstione superius pertractata, *an liceat coniugatis ex mutuo consensu vovere perpetuam continentiam?* §. 441. ubi etiam ad exempla sanctorum a Bellarmino adducta respondimus. Hoc loco explicandum est dictum Christi Matth. XIX. 29. *Omnis, qui reliquerit domum vel agrum vel uxorem &c.* id adcommodat Bellarminus ad coniuges per monasticam professionem a se invicem discedentes, sed perquam absurde & præpostere. Nam 1.) Christus in eodem capite unicam divortii faciendi causam constituit *adulterium*, v. 9. abfit igitur, ut cogitemus, ipsum in verbis de relinquenda uxore aliam causam, videlicet studium maioris perfectionis, addere voluisse. 2.) Si ob studium maioris perfectionis licet coniugem deserere, ac de tali desertione dictum Christi accipiendum, parum aberit, quin ad Anabaptistarum castra transitum faciamus, qui ob diversitatem religionis eiusmodi desertionem concedunt. 3.) Christus non loquitur de spontanea dimissione uxoris quoad *vinculum*, nec quoad *cohabitationem & thorum* propter ingressum in religionem, sed de violenta separatione a coniuge, liberis, ac facultatibus, quam per-

persecutores propter evangelii confessionem nobis inferunt. 4.) Quemadmodum enim *domus & agri* sunt relinquendi, quando scilicet persecutores ea nobis eripiunt, & quemadmodum *parentes & liberi* sunt relinquendi, quando confessioni evangelii impedimentum obiiciunt: ita quoque *uxor* relinquenda est, ut connexio verborum ostendit. Atqui parentes & liberi non sunt ita relinquendi, ut subsidia vitæ, ad quæ præstanda iure naturali ipsis obstricti sumus, eis denegentur, 1. Tim. V. 8. *Si quis suorum &c.* v. 4. ἀμοιφὰς ἀποδιδόναι, sed ut eorum amor Christi amori in confessione evangelii postponatur. Ergo etiam uxor ita relinquenda est, non ut ab officiis iure matrimonii illi debitis discedatur, sed ut patienter feramus, si a persecutoribus nobis eripiatur, neve quidquam contra evangelii confessionem ex amore uxoris agamus. Quemadmodum Christus dicens: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* nequaquam hoc voluit, quod nos ipsos interimere debeamus, sed quod animæ, id est, vitæ nostræ fidem in Christum & fidei confessionem anteferre debeamus: ita quoque hoc loco dicens: *Qui reliquerit uxorem;* non hoc voluit, quod uxorem a nobis sponte abdicare debeamus, sed quod coniugi evangelium & eius confessionem præponere conveniat. 5.) Qualem desertionem Christus intelligat, omnium rectissime colligitur ex apostolorum, ad quos loquitur, exemplo. Post desertionem enim illam, qua relictis omnibus Petrus cum reliquis apostolis Christum erat secutus, adhuc est & vocatur *domus Simonis & Andreae*, cuius proprietatem ita sibi vindicat, ut convivium in illa instruat, Matth. VIII. 14. Marc. I. 29. Luc. IV. 38. ac tanquam civis Capernaiticus didrachma solvit, Matth. XVII. 24. & post resurrectionem utitur naviculis & retibus tanquam suis, Iohan. XXI. 11. Matthæus etiam post vocationem domo & facultatibus suis ita utitur, ut in ea convivium instruat, Matth. IX. 10. Iohannes etiam post crucifixum Christum Mariam, Domini matrem, recipit εἰς τὰ ἴδια, Ioh. XIX. 27. Apostolica igitur desertio *non fuit abdicatio proprietatis dominii & usus facultatum, sed ab administratione & usu tunc abstinuerunt, quando aliis apostolicae vocationis laboribus occupati fuerunt*; Chemnitius in harm. cap. 38. p. 74. multo minus coniuges suas penitus a se repudiarunt, quia Petrus coniugem suam circumduxit, 1. Cor. IX. 5. cui ad martyrium raptæ adfuit, eamque ad constantiam hortatus est; Clemens lib. VII. strom. p. 340. nec fuerunt apostolorum uxores in numero eorum, quæ a Christo ipsos avocabant, ideo etiam nulla desertione fuit opus. Confer loc. de minist. eccles. §. 333.

§. DCLXXXII. IV.) *Crimen.* Pontificii de hac divortii causa sic statuunt: IV.) *Crimen.*

Posse matrimonium fidelium consummatum solvi quoad thorum & cohabitationem sine alterius coniugis consensu ob triplex crimen. Primum *est adulterium, de quo Matth. V.* secundo *si alter coniugum a fide catholica recedat, quo referunt dictum apostoli generale Tit. III.* Hæreticum hominem post unam atque alteram admonitionem devita; *ut & verba Christi Luc. XIV.* Si quis venit ad me, & non odit uxorem suam. Denique *si alter coniugum impellat alterum ad peccatum, ita ut non possit alter cum eo sine periculo Deum offendendi cohabitare, quo referunt dictum Christi Matth. XVIII.* Si oculus tuus scandalizaverit te, erue eum. Bellarminus de matrim. cap. 14. §. 5. Resp. 1.) Propter adulterium non tantum quoad thorum & cohabitationem, sed etiam quoad vinculum matrimonii dissolutio fieri potest, ut ostendimus superius §. 563. & seqq. 2.) Quid de se-

paratione quoad *thorum & cohabitationem* ſtatuamus, itidem iam ante expoſitum fuit §. 573. 3.) Propter *infidelitatem & haereſin* nec quoad thorum & cohabitationem, nec quoad vinculum facienda eſt ſeparatio, ſi infidelis fideli cohabitare conſentiat, ut ex manifeſto dicto apoſtoli 1. Cor. VII. 12. 13. & fundamentis aliis docuimus §. 390. 4.) Idem iudicium eſto de coniugis *impietate*, qua alterum ad peccatum pertrahere nititur, eam enim quo minus pro vera legitimi divortii cauſa acceptemus, obſtat *excluſiva* locutio Chriſti Matth. V. 32. XIX. 9. *niſi ob fornicationem*, obſtant fundamenta reliqua ſuo loco pro noſtræ ſententiæ confirmatione adducta. 5.) Conſulendum quidem innocenti, ſi a coniuge apoſtata atque impio ad defectionem vel peccata ſolicitetur, non autem per divortium, ſed per alia convenientia ac legitima media, videlicet per informationem a miniſterio eccleſiaſtico requirendam, per auxilium & coercitionem a magiſtratu politico implorandam, per preces, patientiam, obſequium & manſuetudinem partis innocentis &c. quibus mediis divina favente gratia plurimum profici poterit. Sic Petrus 1. epiſt. III. v. 1. iubet uxores fideles ſubditas *eſſe maritis infidelibus*, *ut qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant*, v. 2. *conſiderantes caſtam converſationem earum &c.* 6.) Quod ſi extrema requirat neceſſitas, ut ad ſeparationem quoad *thorum & cohabitationem* deſcendatur, ea tamen non debet eſſe perpetua, ſed reconciliatio, quibuscunque fieri poteſt modis, tentanda. Vide Mentzerum de coniug. p. 229. 7.) Dictum apoſtoli de *haeretico poſt unam & alteram admonitionem fugiendo*, ac præceptum Chriſti *de oculo ſcandalizante eruendo*, non opponuntur firmitati & indiſſolubilitati matrimonii ex divina inſtitutione deſcendenti, nec corporalem aliquam ſeiunctionem, ſed ſpiritualem ſugam & ſeparationem requirunt, ne ſcilicet hæreticæ doctrinæ adſenſum præbeamus, neque quidquam ex rebus omnibus nobis maxime caris divinæ vocationi, veritatis confeſſioni & pietatis ſtudio præferamus.

§. DCLXXXIII. V.)

Vitae periculum. Diſputat Beza lib. de divort. p. 201. *fidelem ab infideli diſcedere poſſe, ſi ob haeretici vel infidelis coniugis importunitatem vel vitae periculum ipſi ſubeundum, vel contra veram religionem aliquid faciendum, cum pro paribus cenſenda ſint, ſive quis uxorem malitioſe deſerat, ſive minis ac vi ad idololatrica ſacra cogendo & vitae inſidias ſtruendo eam a ſeſe abigat.* Contra Bezam diſputat Albericus Gentilis lib. VI. de nupt. cap. 14. *non debere eum dici deſertorem, qui cogat fidelem ad impia ſacra;* iubet igitur, *ut preſſa pars auxilium a Domino petat, aut ſi diſcedit, innupta maneat.* Putamus hoc loco diſtinguendum. Si fidelis infideli cohabitans magiſtratus auxilium implorare & habere poteſt, utatur illo remedio; ſin vero magiſtratus falſæ religioni addictus auxilium ipſi deneget, ac maritus indefeſſo ſtudio cum vitæ etiam periculo ipſam ad idololatriam & impietatem pertrahere laboret, nec ullum ipſi aliud ſuppetat remedium, poteſt conſcientiæ & vitæ ſuæ conſulendi cauſa in locum tutiorem ad tempus ſe recipere, ita tamen ut aperte teſtetur, diſceſſionis initium a ſe minime eſſe factum, ſed mariti importunitate intolerabili ſeſe eiectam, & ad reconciliationem atque reditum eſſe promtiſſimam, modo maritus vitæ & conſcientiæ velit parcere, & legibus coniugalibus ſeſe obſequentem præbere. Quod ſi vero maritus in pertinacia pergat & diſerte teſtetur, ſe nolle ullo unquam tempore eam recipere, nec reconciliationem admittere, nec a priſtinis moribus V.) *Vitae periculum.*

ribus

ribus desistere, dubium esse nequit, quin pro malitioso desertore sit habendus, ac proinde desertæ aliter consuli possit.

§. DCLXXXIV. VI.) *Sterilitas.*

VI.) *Sterilitas.* Spurius Carbilius, qui primus apud Romanos divortium fecisse scribitur, uxorem, cum qua optime sibi conveniebat, a se dimittens apud censores iurabat, *sobolis quaerendae gratia* se aliam coniugem quæsiturum. Gellius lib. XVII. cap. 21. Apud gentiles perquam usitatum fuisse propter sterilitatem uxorem repudiare, colligitur ex Galeno lib. V. aphor. com. 59. ubi tanquam generalem aliquam consuetudinem illud refert. At sterilitas non est iusta divortii causa. 1.) Christus unicam tantum faciendi divortii causam expressit, videlicet adulterium. 2.) In sterili coniugio quamvis finis aliquis principalis, sobolis scilicet generatio desit, tamen reliqui fines in eo locum habent. 3.) Sterilitas progressu temporis sæpe corrigitur, ut adparet exemplo Isaaci & Rebeccæ, qui per viginti annos in sterili coniugio vixerunt, postea vero Dei benedictione sobolem generarunt, Genes. XXV. 26. Idem colligitur ex Abrahæ & Saræ, Jacobi & Rachelis, Helkanæ & Annæ, Manoæ & coniugis eius, Zachariæ & Elisabethæ exemplis. 4.) In vet. test. sterilitas opprobrii loco habebatur, nec tamen sancti Dei homines propter sterilitatem divortia faciebant; quanto minus in nov. test. illud faciendum, postquam a Christo ad primævam coniugii institutionem revocati sumus? 5.) Si propter sterilitatem faciendum esset divortium, utique etiam ob ætatem senilem vel alterutrius vel utriusque coniugis facienda foret separatio, cum in ea etiam generationis opus cesset. 6.) Causa sterilitatis utplurimum in occulto est, nec constare potest, an ea penes virum, an penes uxorem, an penes utrumque hæreat, iniquum igitur foret, innoxium luere culpam nocentis; incertum insuper foret, cui concedendæ sint novæ nuptiæ, cui vero eædem denegandæ. 7.) Idem statuunt pii veteres, Augustinus lib. de bon. coniug. cap. 7. circa medium: *Tantum valet illud sociale vinculum coniugum, ut cum causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi solvatur. Posset enim homo dimittere sterilem uxorem, & ducere, de qua filios habeat, & tamen non licet.* Cap. 15. in principio: *Manet vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cuius causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur, ita ut iam scientibus coniugibus, non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum, atque aliis copulare, non licebat. Quod si fecerint, cum eis, quibus se copulaverint, adulterium committunt, ipsi autem coniuges manent.* Adlegatur hoc Augustini dictum cap. *Tantum* &c. 32. q. 7. 8. Ne quidem in *iure civili*, quod multas divortii causas admittit, sterilitas iisdem connumeratur l. Consensu 8. C. de repud.

§. DCLXXXV. VII.) *Impotentia superveniens.*

VII.) *Impotentia superveniens.* Diximus superius, impotentiam præcedentem irritum facere matrimonium, sed si constante & consummato per copulam matrimonio *superveniat*, non solvit coniugale vinculum. Cap. *Quod interrogasti* &c. 27. q. 2. *Impossibilitas coeundi, si post carnalem copulam inventa fuerit in aliquo, non solvit coniugium, si vero ante carnalem copulam deprehensa fuerit, liberum facit mulieri alium virum accipere.* Cap. *Quod autem* &c. 37. q. 1. *Postquam coniugium carnali officio confirmatum fuerit, nisi causa fornicationis, non licet viro uxorem dimittere, nec uxori a viro discedere, verum antequam confirmetur, impossibilitas officii solvit vinculum coniugii.* Pars ergo

sana agnoscat se divinitus vocari ad continentiam, & remediis continentiæ suo loco enumeratis utatur. Ratio, quare ob supervenientem impotentiam coniugium dissolvendum non sit, dependet *tum* ex generali regula, quod divina coniunctio humana autoritate ob causam in verbo Dei haud expressam dissolvi nequeat; *tum* ex eo, quod coniuges ad fortunam quamcunque ferendam sint obstricti, nec possint propter casus vel morbos adversos, postquam matrimonium iam consummatum est, invicem separari. Idem statuendum de superveniente paralysi, convulsione, frigiditate, fascino ac maleficio, castratione violenta ab alio illata & impotentiam adferente, quod scilicet propter illas causas non sit faciendum divortium. Lutherus tom. II. Jenens. Germ. de vit. coniug. f. 156. b. *Wie denn, wenn iemand ein krankes Gemahl hat, das ihm zur ehelichen Pflicht kein nütz worden ist, mag der nicht ein anders nehmen? Bey leibe nicht, sondern diene Gott in dem Krancken, und warte sein, dencke daß dir Gott an ihm hat Heiligthumb in dein Haus geschickt.* Et postea ad obiectionem de incontinentia respondet, quod Deus neminem supra vires tentet.

§. DCLXXXVI. *Quid si vero maritus praeposterο castitatis studio pharmacis aut ferro se impotentem reddat?* Hemmingius de coniug. p. 194. respondet, *eum ut homicidam a magistratu puniendum, ut divortio per gladium facto sanae personae consulatur.* Quod si magistratus in officio negligens sit, eunuchum istum malitioso desertori comparandum, & parti sanæ consulendum existimarim. Idem statuit Bidenbachius de caus. matrim. p. 101. *Si quis* (inquit) *etiam post nuptias se ipsum ferro vel pharmacis data opera fecit inhabilem ad matrimonium, ibi citra dubitationem persona integra & sana pronunciatur libera.* Ratio dari potest ea, quod talis malitioso desertori comparetur. *Quid si matrimonio nondum per copulam consummato paralysis, frigiditas ac genitalium depravatio immedicabilis consummationem matrimonii impediens superveniunt?* Beza lib. de div. p. 229. separationem concedit, & parti sanæ novarum nuptiarum potestatem facit. Contra Bezam disputat Albericus Gentilis lib. VI. de nupt. cap. 19. *Quis*, inquit, *poterit de ista vi morbi immedicabili nos docere?* Qui *morbi incurabiles visi Hippocrati, eos curatos narrat Plinius* lib. XXVI. nat. hist. cap. 12. *ac Mercurialis refert saepe etiam desperatos vitae restitutos esse.* Refert ibidem Albericus, Genevæ virum nobilem repudiatum, ut frigidum, aliam duxisse uxorem, ex qua liberos suscepit. Putamus hic distinguendum 1.) inter impotentiam manifeste incurabilem, ut in exsectione eius partis, qua viri sumus, & inter impotentiam, cuius adhuc sperari potest correctio; 2.) inter sponsalia, & matrimonium ratum; 3.) inter strictum iuris rigorem, & ἐπιείκειαν ratione circumstantiarum adhibitam.

§. DCLXXXVII. VIII.) *Morbi incurabiles, abominabiles, contagiosi.* Sarcerius in lib. de caus. matrim. in casu *leprae & morbi incurabilis* divortium fieri, & parti sanæ novarum nuptiarum potestatem dari permittit. In eamdem sententiam propendent Aretius part. I. problem. p. 71. Danæus in isagog. christ. part. V. lib. IV. cap. 19. Sed huic opinioni calculum adiicere neutiquam possumus: 1.) Destituimur enim hac in re verbo divino. 2.) Lex matrimonii requirit, ut bonorum, ita quoque malorum, casuum scilicet fortuitorum & consequentium adversitatum coniuges ex æquo esse participes, quo a quibusdam refertur illud definitionis membrum in l. Nuptiæ. ff. de rit. nupt. quod

VIII.) *Morbi incurabiles.*

quod *coniugium sit omnis vitae consortium.* Vide cap. VI. §. 406. cap. VIII. §. 447. 3.) Per morbos incurabiles non tollitur obligatio naturalis vinculi inter parentes & liberos ; quanto minus per eosdem coniugalis vinculi dissolutio introducetur? Gen. II. 24. 4.) Ne quidem in iure civili ob morbos separatio conceditur. l. Consensu C. de repud. Nov. ut lic. matri & aviæ &c. causæ divortii enumerantur, sed nulla in iisdem morbi cuiusdam mentio iniicitur, quin imo Ulpianus l. si cum dotem 22. §. si maritus. 7. ff. Soluto matrimonio præclaram illam in contrarium adfert sententiam: *Quid tam humanum est, quam ut fortuitis casibus mulieris maritum vel uxorem mariti participem esse.* 5.) Canones idem prohibent. Cap. *Hi qui* &c. 32. q. 7. ex Nicolao: *Hi, qui matrimonium sani contraxerunt, & uni ex duobus aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem coniugia talium solvi non possunt. Similiter sciendum de his, qui ab adversariis excæcuntur, aut membris truncantur, aut a barbaris exsecti fuerint.* Cap. *Quod proposuisti* &c. caus. & quæst. iisdem Gratianus dicit, *illud Gregorii, si mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, ille, qui non poterit se continere, nubat, non tantum sacris canonibus, sed etiam evangelicae & apostolicae doctrinae penitus esse adversum.* Alexander cap. *Quoniam* &c. extra de coniug. leprof. *Quoniam nemini licet excepta causa fornicationis uxorem dimittere, constat, quod sive mulier lepra percussa fuerit, seu alia gravi infirmitate detenta, non est a viro propterea separanda vel etiam dimittenda.* 6.) Saniores ethnici agnoverunt morbis & casibus adversis coniugale vinculum non dissolvi. Aristoteles lib. II. œconom. cap. 1. *Decet uxorem non solum in prosperis rebus secundaque fortuna unanimem sese viro praestare & inservire velle, verum etiam in adversis. Si sit in rebus defectus vel corporis aegrotatio vel alienatio mentis, aequo animo ferat & obsequatur.*

Non me laetorum sciam, rebusque secundis
Accipis, in curas venio, partemque laborum;

dicebat Martia, Catonis uxor, maritum in exsilium secutura apud Lucanum.

§. DCLXXXVIII. Quæritur I.) *Num separatio quoad thorum & cohabitationem ob morbum incurabilem, abominabilem & contagiosum, puta propter lepram &c. instituti poterit?* Resp. Ius canonicum hac de re sic statuit: cap. *Pervenit &c.* extr. de coniug. leprof. ex Alexandri rescripto: *Pervenit ad nos, quod cum hi, qui leprae morbum incurrunt, de consuetudine generali a communione hominum separentur, ne uxores viros, nec viri uxores taliter aegrotantes sequantur. Quoniam igitur cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutius, mandamus quatenus, ut uxores viros & viri uxores, qui leprae morbum incurrunt, sequantur, & eis coniugali adfectione ministrent, solicitis exhortationibus inducere non postponas. Si vero ad hoc induci non poterunt, eis arctius iniungas, ut uterque altero vivente continentiam servet.* Cap. *Quoniam &c.* eod. *Si virum sive uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus a sano carnale debitum exigat, generali praecepto apostoli, quod exigitur, est solvendum, cui praecepto nulla in hoc casu exceptio invenitur.* Existimo, partem ægrotam lepra correptam admonendam, ut valetudinis, qua pars altera Dei beneficio adhuc fruitur, ratione habita ab eius convictu & thoro sponte abstineat, ne malum illud, quo se correptam videt, in uxorem & liberos propaget, neve sanitati restituta vel morbo

Quæritur I.) Num separatio quoad thorum ob morbum incurabilem fieri possit?

bo adhuc obnoxia idem malum in coniuge & liberis videns dolorem sibi conduplicet; partem vero sanam instruendam, ne leprosæ parti cohabitando periculo, a quo per consensum coniugis liberatur, semet ipsam temere exponat, cum nihilominus piis precibus & aliis coniugalibus officiis eidem consulere possit. Quod si vero pars infecta ius suum præcise urgeat, vel pars sana præsenti animo prædita & coniugali amore impulsa a contagio non metuat, vix est, ut separatio quoad thorum & cohabitationem contra ipsorum coniugum voluntatem institui possit? Quæritur II.) *Si aegrotanti coniugi a parte sana prospiciatur de necessariis subsidiis, aegrotans insuper in novas sanae partis nuptias consentiat, num potestas novi matrimonii eidem concedenda?* Resp. minime vero, quia consensus ille non est conformis legibus matrimonialibus in verbo Dei propositis, quod unicam divortii faciendi causam exprimit. Neque quisquam hic regerat, quod *aegrotans pars possit de iure suo cedere, & potestatem, quam in corpus sanae partis obtinet, alteri remittere;* non enim contra expressam Dei voluntatem de corporibus suis statuere possunt, qui matrimoniali vinculo sunt coniuncti, alias etiam adcommodatio & permutatio uxorum introduci posset. Ne in humanis quidem contractibus alteri licet de iure suo cedere, si quando illud cum præiudicio tertii est coniunctum, quanto minus contra leges divinas talis consensus ratus erit? Quæritur III.) *Quomodo ergo parti sanae consulendum?* Resp. utatur remediis continentiæ divinitus præscriptis, videlicet precibus, temperantia, laboribus &c. quia enim ad continentiam sese lege coniugalis vinculi vocari intelligit, ex fide a Deo impetrare potest, *ne tentetur ultra vires* 1. Cor. X. 13.

Quæritur II.) *An parti sanæ novum matrimonium concedendum?*

Quæritur III.) *Quomodo parti sanæ consulendum?*

§. DCLXXXIX. IX.)

Furor. Leo imperator novell. constit. 111. ob furorem consummatum matrimonium dissolvi posse statuit, ac variis rationibus id ipsum adstruere nititur: *Non sane* (inquit) *suscipienda mihi illa lex videtur, quae si post initum matrimonium furore uxor corripiatur, maritum illam perpetuo retinere, & furoris incommodum semper ferre cogit. Ubi enim adprobetur, ubi rationi consentaneum, aut matrimonialis convictus solicitudine dignum videatur, ut per totam vitam maritus insanienti uxori adligetur, eiusque fœditatibus conficiatur. Si enim nullus adeo truculentus est, ut vel momento quemquam cum feris in eumdem locum includere sustineat, quomodo legis benignitate prædita illa lex est, quae perpetuo efferatae furore coniugi cohabitare maritum iubet.* Ad argumentum ex indissolubilitate matrimonii divinitus sancita desumtum, respondet: *Si matrimonium talem statum conservaret, qualem eius in principio pronuba exhibuisset, quisquis separaret, improbus profecto esset, neque reprehensionem effugeret, iam vero cum prae furore ne vocem quidem humanam a muliere audias, nedum aliud quidquam eorum, quae ad oblectamentum & hilaritatem matrimonium largitur, ab illa obtineas, quis adeo acerbum horrendumque matrimonium dirimere nolit? Ea propter sancimus, ut si quando post initum matrimonium mulier in furorem incidat, ad tres annos infortunium maritus ferat, mœstitiamque toleret, & nisi interea temporis ab illo malo ista liberetur, neque ad mentem redeat, tunc matrimonium divellatur, maritusque ab intolerabili illa calamitate exoneretur.* Idem repetit const. 112. nisi quod annorum numerum augendo sancit, *ut si furor post initum matrimonium superveniat, ne intra quinque annos coniuges distungantur;* &

IX.) *Furor.*

ad-

addit: *si furor ipso nuptiarum die animadvertatur, quo minus confestim matrimonium, tametsi sacro ritu confirmatum sit, dissolvatur, nihil obstiterit, perindeque ac si ante nuptias furor animadversus esset, matrimonium in irritum recidet atque distrahetur.* Furore *sponsalia* dissolvi posse concedimus, *matrimonium* in furore contractum irritum esse pronunciamus; sed *consummatum matrimonium* ob furorem supervenientem dissolvi posse negamus, quam sententiam nostram confirmant eædem rationes, quæ ostendunt ob morbos incurabiles & abominabiles divortium non esse faciendum. l. Patre furioso 8. ff. de his qui sui vel alieni iuris: *Cum constitat matrimonium altero furente, constitet & utroque.* l. oratione 16. ff. de rit. nupt. *Furor contrahi matrimonium non finit, quia consensu opus est, sed recte contractum non impedit.* l. Si cum dotem 22. §. Si maritus 7. ff. solut. matrim. inter furoris species distinguitur: *Si quidem intervallum furor habeat, vel perpetuus quidem morbus est, tamen ferendus his, qui circa personam furore detentam sunt, tunc nullo modo oportet dirimi matrimonium, quid enim tam humanum &c. Sin autem tantus furor est, ita ferox, ita perniciosus, ut sanitatis nulla spes superfit, circa ministros terribilis, & forsitan altera persona vel propter saevitiam furoris, vel quia liberos non habet, procreandae sobolis cupidine tenta est, licentia erit compoti mentis personae furenti nuncium mittere.* (Hoc posterius non aliter recipimus, nisi quoad separationem thori & cohabitationis, quando scilicet ob furoris vehementiam parti sanæ evidens periculum impendet, ipsum autem coniugii vinculum ob furorem etiam gravissimum dissolvi nequit, ut ostendunt argumenta adducta) cap. *Hi qui &c.* 32. q. 7. *Hi, qui matrimonium sani contraxerunt, & uni ex duobus amentia aut furor accesserit, ob hanc infirmitatem coniugia talium solvi non possunt.* Cap. *Neque furiosus &c.* caus. & quæst. iisdem: *Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separentur.* Rationes Leonis magis sunt rhetoricæ quam cogentes, quibus breviter hoc opponimus, quod adversa patienter sint ferenda, nequaquam vero remedia cum Dei verbo pugnantia quærenda.

§. DCXC. X.) *Adfinitas fornicaria.* Hemmingius de matrim. pag. 207. proponit eiusmodi quæstionem: *An is, qui habet uxorem propriam, & interea cum uxoris suae sorore aut quavis alia, quam ei non licuit per legem Dei & naturae adtingere, concumbat, num debeat propterea in posterum amplexum uxoris propriae tanquam incestum fugere necne?* Respondet autem, *hanc quaestionem nullum habere locum, ubi magistratus suum facit officium, & poena capitis plectit adulterium & incestum.* Sed si per negligentiam magistratus reo parcitur, & uxor, quod iure posset, non petit divortium, statuit, *adfinitatem illam supervenientem consummatum matrimonium non dirimere, cum sit regula iuris, factum legitime retractari non debere, licet postea casus eveniat, quo non potuit inchoari.* Canonistæ & scholastici respondent, *per eiusmodi incestum maritum amittere ius petendi ab uxore debitum, interim teneri ipsum ad debitum uxori petenti reddendum.* Hanc opinionem graviter exagitat Lutherus lib. de vita coniug. tom. II. Ien. Germ. fol. 153. *Vide* (inquit) *quid diabolus per stolidos eiusmodi homines statuat, collocat virum & fœminam in unum maritalem thorum, ac dicit, ne sis maritus nec uxor, igni straмen admovet, ac praecipit, ne urat. Si quis decimam huius mandati partem pontifici imponeret, quantopere de iniuria & violentia conqueretur? apage eiusmodi naenias, coniugium permitte manere liberum, prout a Deo institutum, atque aliis potius poenis delicta coerce &c.* Quod

X.) *Adfinitas fornicaria.*

si enim uxor maritum adulterum & incestuosum repudiare nolit, sed eidem reconcilietur, tunc maritus plenum & integrum matrimonii ius postliminio quasi recipit, ac proinde illud apostolicum: *Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir;* 1. Cor. VII. 4. non minus ad ipsum pertinet, quam ad alium quemvis maritum. cap. *Quaedam &c.* cap. *Si quis &c.* cap. *Qui dormierit &c.* cap. *Concubuisti &c.* 32. q. 7. sanciunt *sponsum vel maritum, qui cum sponsae vel uxoris consanguinea proxima consuescit, neutram habere debere.* Et sane si ante matrimonium consummatum tale quid contingit, merito ab utraque iubetur abstinere, reconciliationi autem in consummato matrimonio aditus non est simpliciter praecludendus.

XI.) *Fuga vel deportatio ob delictum.*

§. DCXCI. XI.) *Fuga vel deportatio ob delictum.* Si alteruter coniugum furtum, homicidium vel aliud quoddam gravius delictum poena capitali dignum committit, ac fuga sibi consulit, vel si propter illud interveniente mitigatione deportatur, qua ratione parti innocenti consulendum? an fugientem aut deportatum sequi tenetur, an novi matrimonii potestas ipsi concedenda? Lege civili ob talia delicta divortium conceditur l. Consensu 8. C. de repud. Hemmingius pag. 219. tale suppeditat consilium: *Sedeat innocens persona annos quinque, quod tamen tempus summum magistratum suo arbitrio moderari posse addit, ut sit vel brevius vel longius, lugeat infortunium coniugis, vivat honeste & pudice, exacto quinquennio veniat ad iudicem, petat suae infirmitatis rationem haberi;* hic existimat *iudicem posse innocenti & honestae personae alias nuptias concedere, re cum supremo magistratu prius communicata. Nam & is, qui ob suam infamiam abiit, civiliter mortuus est, & suo scelere quod Deus liga-verat, abrupisse videtur.* Pag. 223. distinguit *inter homicidium voluntarium & involuntarium. Si involuntarium fuit, extra culpam censeri debere* ait, *qui aufugit, iustum igitur esse* dicit, *ut uxor vel quaerat maritum, vel innupta maneat deplorans & sui & mariti miseriam. Si vero est homicidium voluntarium & cum infamia coniunctum*, statuit, *uxorem innocentem non debere maritum infamem & vagabundum quaerere, sed exacto quinquennio, si continere se non potest, nec se alere sine mariti auxilio, impetrata a magistratu venia eam nubere posse* censet. *Si homicidium factum est sine infamia, ut si quis in iusto conflictu adversarium occidit, sedeat uxor septennium, & si interea non cognoverit, ubi sit maritus, nec literas ab eo acceperit*, putat *a summo magistratu nubendi potestatem ei concedendam.* Sed haec omnia procedunt ex ea hypothesi, quod Hemmingius existimat, non solum adulterium, sed quodvis delictum adulterio comparandum, causam divortii a Christo statui, qua de re quid sentiendum sit, exposuimus superius. Dicimus ergo, cum duae duntaxat sint divortii causae, adulterium & desertio malitiosa, ideo uxorem non posse ob fugam vel deportationem mariti propter antegressum aliquod eiusdem delictum consecutam alteri nubere, nisi constet, vel maritum fugitivum alienos amores sectari, vel animum maritalem penitus abiecisse. Neque enim humana autoritate causas alias addere licet illis, quae a Christo & Paulo sunt expressae propter exclusivam a Salvatore notanter adiectam. Uxor igitur aut maritum fugitivum vel deportatum sequatur, aut innupta maneat. Eadem est sententia b. Lutheri in lib. de caus. matrim. tom. V. Ien. Germ. fol. 257. *Wie wann der Mann oder das Weib gefleupt oder des Landes verwiesen würde, soll das ander auch mit oder bleiben und sich verendern? Antwort, solchen Unfall sollen sie miteinander tragen und nicht dar-*

darumb von einander scheiden. Denn gleich wie sie ein Leib sind worden, so müssen sie auch gleich ein Leib bleiben, es komme Ehre oder Schande, Gut oder Armut. Illud probat ex Matth. XVIII. ubi servus debitor *uxorem & liberos* iubetur *vendere*, ut debito sese liberet. In comment. Genes. IV. probat id ipsum exemplo *uxoris Caini*, quæ maritum profugum secuta est, de quo Iosephus etiam commemorat lib. I. antiq. cap. 4. quod *cum uxore sua multas emensus regiones, oppidum Nod condiderit.* Indicæ mulieres non recusant maritorum rogis sese vivas imponere teste Valerio lib. II. memor. cap. 6. & christiana fœmina recusabit maritum sequi in exsilium? Quid quod nec ipsæ leges civiles deportatione matrimonium solvi permittant, si casus, in quem maritus incidit, non mutet uxoris adfectionem l. Matrimonium 1. C. de repud. l. res uxoris 24. C. de donat. inter virum & uxor. l. Sed si mors 13. ff. eod. Quod ergo *deportatione nuptiae* dicuntur *dissolvi*; l. Si quis 56. ff. solut. matrimon. id intelligendum ratione *iuris civilis*, iuxta quod deportatus desinit esse civis Romanus, non autem ratione *iuris gentium*, ex quo oriuntur nuptiæ. Idem esto iudicium de aliis delictis, utpote si maritus uxorem ad furta, ad præposteram Venerem, ad poculum abortionis cogere velit, si uxor marito insscio abortum procuret, si mentiatur se esse gravidam, & postea supposito alieno partu maritum fallat, si veneficium coniugi & liberis inferre paret. Hemmingius quidem p. 231. divortium in huiusmodi casibus concedit, sed b. Lutherus d. l. rectius illud negat, addita ratione, quod *nemo ad peccatum alterum cogere possit, & quod coniuges occultis periculis eximi nequeant, manifestis vero adtentatis per magistratum vel cognatos occurri possit.*

MEMBRUM III.

DE MODO DIVORTII.

Iudex causarum matrimonialium.

§. DCXCII. Exposuimus hactenus 1.) τὸ ὅτι divortii, quod detur aliquod vere & proprie sic dictum divortium, hoc est, matrimonii quoad vinculum solutio, 2.) τὸ διότι divortii, propter *quas causas* divortium fieri possit; restat ut 3.) τὸ πῶς eiusdem pertractemus, quis scilicet modus ac processus in divortio sit observandus. Cum vero in divortio solenniter ac iudicialiter faciendo duo requirantur, videlicet *competens iudex* & *legitimus iudicii processus*, ideo ad hæc duo capita doctrinam de modo divortii revocabimus, ut 1.) de iudice, 2.) de processu iudicii breviter disseramus. De iudice causarum matrimonialium in *genere*, ad quem divortii instituendi quæstio consequenter & in *specie* spectat, quædam in προλεγομένοις diximus, quorum omnium summa huc redit, quod nec παποκαισαρίαν pontificiam, qua causarum matrimonialium iudicium ad pontificis & episcoporum suorum tribunal unice revocant, nec καισαροπαπίαν quorumdam politicorum, qua magistratui excluso penitus ministerio ecclesiastico causarum matrimonialium cognitionem & decisionem unice vindicant, probemus, cum contrarium demonstret, 1.) *coniugii natura*, 2.) *ipsa scriptura*, utpote doctrinæ de coniugio norma, & 3.) *praxis christiana & apostolica*; christiano igitur magistratui incumbere diximus, ut constituat ecclesiasticum quoddam consistorium, in

quo & ecclesiasticæ & politicæ personæ præsideant, ut & conscientiæ per theologos, & quæstionibus civilibus per iurisconsultos satisfieri possit. Sed hæc brevitas latius explicanda & ab adversantium obiectis adserenda.

§. DCXCIII. Complectimur autem tractatum de causarum matrimonialium iudice tribus propositionibus. *Prima* hæc esto: *Constituendus est certus ac publicus causarum matrimonialium iudex.* Bellarminus lib. de matrimon. cap. 14. §. 8. disputat, *divortium quoad thorum propria autoritate fieri posse*, sed cum hoc loco non de divortio illo *improprie* sic dicto, quod thori duntaxat separationem introducit, sed de divortio proprie & κυρίως sic adpellato instituta sit quæstio, ideo tale divortium propria autoritate fieri posse negamus, unde ipse Bellarminus lib. eiusdem cap. 32. secutus Tridentini concilii decretum adserit, *causas matrimoniales ad principem ecclesiasticum pertinere*, quin & dicto cap. 14. diserte addit, *divortium quoad habitationem, cum sit res publica, ac scandalizare possit cæteros, non posse fieri, nisi ecclesiae iudicio.* Probamus igitur nostram adsertionem: 1.) Ex *iure divino.* Deus ipse in politia Israelitica ordinaverat, ut ad publicum iudicem causæ matrimoniales deferrentur. Deut. XXII. 13. *Cum acceperit quis uxorem, & ingressus fuerit ad eam, & odio habuerit eam*, v. 14. *& imposuerit ei occasiones verborum, & eduxerit adversus eam nomen malum, & dixerit: Uxorem hanc accepi, & accessi ad eam, & non inveni in ea virginitatem*; v. 15. *capiet pater puellae & mater eius, & educent* בתולי *virginitates puellae ad seniores civitatis ad portam.* (publici iudicii locum) Moses Levit. XVIII. promulgavit divina & publica autoritate leges de prohibitis cognationis gradibus. Numer. XXXVI. *iuxta os Domini* statutum protulit de connubio filiarum Zelaphhæad, unde etiam ad Christum quæstio de repudiis defertur Matth. XIX. 2.) Ex *iure civili.* Certi & expediti iuris est, quod *nemo possit esse iudex, aut ius sibi dicere in propria causa.* 3.) Ex *iure canonico.* Cap. *Porro &c.* extr. de divortiis. *De comite Pontini, qui uxorem suam absque iudicio ecclesiae dimisit, quia eam cognatam fuisse uxoris defunctae proponit, prudentia tua cognoscat, quod si etiam parentela esset publica & notoria, absque iudicio ecclesiae ab ea separari non potuit.* Cap. *Historia &c.* 33. q. 2. *Si uxor ante causae cognitionem propria autoritate expulsa fuerit, ante omnia restituenda est.* 4.) Ex *consequente absurdo.* Si divortii faciendi potestas privato cuiusque arbitrio relinqueretur, divina coniugii ordinatio pedibus levissimorum hominum conculcanda subiiceretur, qui tædio suarum uxorum ducuntur, prætextu falsorum criminum publico cum ecclesiæ scandalo eas eiicient, adeoque innumera ex eo consequentur mala & incommoda. Sed in re manifesta uberius demonstranda occupari nolumus, ne ἐν φακῇ μύρον videamur quærere. Coronidis loco adnecto sententiam b. Lutheri tom. II. Ien. Germ. fol. 155. b. *Offentlich sich scheiden, also daß sich eins verendern mag, das muß durch weltliche Erkündigung und Gewalt zugehen, daß der Ehebruch offenbar sey für iedermann, oder wo die Gewalt nicht darzu thun wil, mit Wissen der Gemeine sich scheide, daß abermal nicht ein ieglicher nehme zu scheiden wie er wil.*

I.) *Statuendus est certus causarum matrimonialium iudex.*

§. DCXCIV. Contra hanc propositionem quinque proferuntur argumenta: I.) Ex *lege mosaica de repudiis.* Deut. XXIV. 1. *Iudaei absque praecunte causae apud iudicem cognitione uxoribus suis libellum repudii dare potuerunt. Ergo idem licebit*

Antithesis.

cebit christianis. Resp. 1.) Detur ex hypothesi, Iudæis tale quid permissum fuisse, tamen a Iudæorum exemplo ad christianos hac in parte non licet argumentari, cum a speciali illo dandi repudii permisso ad primævam coniugii legem in nov. test. a Christo simus revocati. 2.) Negamus vero, Iudæorum privatæ temeritati repudii uxoribus dandi potestatem fuisse datam, quia repudiatam alteri nuptam non licuit postliminii iure reducere, Deut. XXIV. 4. cuius legis custodes magistratus fuere constituti, ergo verisimile est, ad illos etiam pertinuisse iudicium de causa, propter quam repudium uxori dabatur. 3.) Si causa non inventæ in uxore virginitatis ad iudices fuit deferenda, verisimile est ad eosdem iudicium de causa repudii pertinuisse. 4.) Augustinus lib. XIX. contra Faustum Manich. cap. 26. in principio idem statuit: *Apud Hebraeos* (inquit) *ut perhibent, literas Hebraeas* (libellum repudii explicantes) *scribere nulli fas erat, nisi solis scribis, cum & excellentiorem profiterentur sapientiam, & si qui eorum essent aequitate ac pietate praediti, non tantum profiterentur, verum etiam sectarentur. Ad hos igitur, quos oporteret esse prudentes legis interpretes & iustos dissidii dissuasores, lex mittere voluit eum, quem iussit libellum repudii dare, si dimisisset uxorem; non enim ei poterat scribi libellus, nisi ab iis, qui per hanc occasionem & necessitatem venientem quodammodo in manus suas bono consilio regerent, atque inter ipsum & uxorem pacifice agendo dilectionem concordiamque suaderent.* 5.) Id ipsum colligitur ex Iosepho lib. IV. antiq. c. 8. qui legem de repudio hisce verbis recitat: γυναικὸς τῆς συνοικούσης βυλόμενος διαζευχθῆναι, καθ' ἃς ἅπαντες αἰτίας, πολλαὶ δὲ ἂν τοῖς ἀνθρώποις τοιάυται γίνονται. γράμμασι μὲν περὶ τοῦ μηδέποτε συνελθεῖν ἰχυρίζεσθω. λάβοι γὰς ἂν ἔτως ἐξουσίαν συνοικεῖν ἑτέρῳ, πρότερον γὰρ οὐκ ἐφεκτέον. Latinam horum verborum versionem ex Gelenii interpretatione adduximus superius §. 594. Notanda autem ultima Iosephi verba: πρότερον οὐκ ἐφεκτέον, *alioquin divortium non permittitur;* utique ergo ad iudices publicos negotium fuit delatum, qui cognoverunt, sitne permittendum divortium necne illud petenti. II.) Ex *coniugii natura. Contrahitur coniugium mutuo partium consensu. Ergo eorumdem dissensu dissolvi iterum potest.* Resp. huic argumento satisfecimus superius §. 638. III.) Ex *Abrahae exemplo, qui privato arbitrio sine iudicis cognitione Agarem eiecit* Gen. XXI. 14. Resp. 1.) Imo vero intercessit expressum Dei mandatum v. 12. *Eiice ancillam*, quod repetit apostolus Gal. IV. 30. 2.) Invertimus igitur argumentum: Sicut Abraham non nisi intercedente iussu ac voluntate Dei coniugem Hagarem eiecit, sic de Dei voluntate in divortio faciendo constare debet; ea vero colligitur ex scriptura sacra, quæ est vox Dei, & ex sententia legitimi iudicis, qui est Dei in terris vicarius. Cum enim coniuges divinitus coniungantur, Matth. XIX. 6. ideo æquum est, ut Dei voce & consensu disiungantur. 3.) Adde quod Abrahamus non fuerit homo privatus, sed in publico docendi & gubernandi munere constitutus, ut alibi demonstratur. IV.) Ab *exemplo Iosephi, qui occulte voluit Mariam dimittere.* Matth. I. 19. Resp. Lutherus tom. II. Ien. Germ. f. 155. respondet, distinguendum esse inter dimissionem *occultam* sive privatam, & *divortium publicum*; quod potestatem novi matrimonii includit; adde, quod Maria nondum erat uxor sed sponsa Iosephi, cui occulta illa dimissione Josephus optime consultum voluit, ut suo loco plenius docuimus. V.) *Fabiola sine magistratus politici & ecclesiastici ministerii iudicio divortium fecerat a marito, nec tamen hoc nomine ab Hieronymo repre-*

henditur. Resp. imo vero publica pœnitentia ei fuit iniuncta, quod a marito divortium fecerat, atque alteri nupserat.

II.) *a causarum matrimonialium cognitione non debent excludi theologi.*

§. DCXCV. *Secunda* propositio hæc esto: *A causarum matrimonialium cognitione & diiudicatione non debent excludi theologi & ecclesiae ministri.* Antequam hanc propositionem confirmemus, genuinus eiusdem sensus explicandus est. 1.) Nequaquam dicimus, quod causarum matrimonialium diiudicatio ad *solos* episcopos & ecclesiæ ministros pertineat, quod volunt pontificii; contrarium enim in sequenti propositione demonstrabimus. 2.) Neque hoc volumus, quod *ob iurisdictionem aliquam secularem ordinariam ac potestatem coactivam*, episcopis vel eorum officialibus causarum matrimonialium diiudicatio competat, quod itidem volunt pontificii; sed in consistorium illud sacrum & ecclesiasticum, cui principes, Augustanæ confessioni addicti, (quibus in territoriis ac provinciis suis vigore pacificationis Passaviensis iuris episcopalis exercitium competit,) causarum matrimonialium cognitionem & diiudicationem committere cupiunt, non politicas tantum, sed etiam ecclesiasticas personas adscisendas & cooptandas esse dicimus, quibus non minus quam politicis in illud collegium cooptatis delegata quædam potestas competit ecclesiæ ac magistratus nomine in causis matrimonialibus iudicialiter cognoscendi, procedendi, definiendi, exsequendi. 3.) Ab hoc iudicio cum potestate coactiva coniuncto distinguendum est *iudicium discretivum*, quo iuxta normam verbi divini in casibus matrimonialibus dubiis & controversis a collegio quodam theologico pronunciatur, quid conscientiæ ratione faciendum sit. *Iudicium coactivum* illis duntaxat theologis & ecclesiæ ministris competit, qui in consistorium ecclesiasticum adlecti nomine magistratus sententias ferunt, easque exsecutioni mandant. *Iudicium discretivum* competit reliquis etiam theologis, qui vel in academia vel in ministerio unum corpus constituunt, ac rogati sententiam vel separatim, vel, quod tutius est, coniunctim pronunciant. Adnotabo hac de re præclarum locum ex literis b. Lutheri, Pomerani & Melanchthonis ad episcopum Slesvicensem in casu quodam matrimoniali admodum perplexo datis anno 1544. quas recitat Cypræus de sponsal. cap. 10. §. 26. n. 2. *Cum consilia* (inquiunt) *petuntur, non sumus iudices ut in foro, nec possumus utramque partem vocare, sed damus consilia congruentia narrationi illorum, qui petunt consilia, nec aliorum ordinariam iurisdictionem impedimus. Nos non sumus iudices vestri populi, nec litigantes vocare possumus, sed consilia damus congruentia narrationibus eorum, qui dicunt, se conscientiae suae remedia quaerere.* Postea exposita sua de proposita facti specie sententia denuo repetunt: *Nec tamen haec, ut iudices scribimus, sed ut consilium dantes, quatenus nobis ex narrationibus prioribus & vestris res nota est. Nec propterea autoritatem vestri consistorii labefactamus. Servabit Deus leges & ecclesiae gubernationem & nos nostro ministerio, quantum Deus nobis concedit, haec dona Dei summa veneramur & tueri cupimus &c. Nihil iuris sumimus nobis in vestra gubernatione, nec nostra responsio vim habet sententiae ut in foro, sed consilium est pro conscientia interrogantis datum, secundum ea, quae proponuntur.* 4.) Neque hoc volumus, quasi propterea causarum matrimonialium cognitio theologis & ecclesiæ ministris tribuenda, quia coniugium sit *sacramentum vere & proprie sic dictum*, quod itidem volunt pontificii; sed causas huius nostræ sententiæ adsignamus longe alias, utpote

§. DCXCVI.

Argumenta noſtræ ſententiæ. I.) ex coniugii natura.

§. DCXCVI. I.) Ex *coniugii natura.* Coniugium, quamvis non ſit ſacramentum proprie & exquiſite ſic dictum, tamen eſt divina unius maris & unius fœminæ per legitimum, id eſt, legibus divinis conformem conſenſum coniunctio, eſt ſanctus vitæ ſtatus divinitus inſtitutus & certis legibus comprehenſus, ac proinde eſt *res conſcientiae* a divina inſtitutione & legibus divinitus promulgatis dependens; unde uxor dicitur *ſocia fœderis*, inter quam & maritum *Deus ipſe iuſtificatus ſit*, Mal. II. 14. Cum Deus adhuc hodie pios coniuges *ſua quaſi manu coniungat*, Matth. XIX. 6. *mittat angelum ſuum, qui nuptias inter pios conciliet*, Gen. XXIV. 7. *praeparet unicuique uxorem ſuam;* cap. eiusdem v. 14. Prov. XIX. 14. Tob. VI. 22. unde uxor, quæ relinquit maritum ſuum & alienis amoribus ſeſe implicari patitur, *obliviſci dicitur pacti Dei ſui*, Prov. II. 17. ex quibus omnibus ſic concludimus: Quæ controverſiæ concernunt rem conſcientiæ & coniunctionem divinitus inſtitutam & peculiaribus legibus divinitus confirmatam, ab eius cognitione ac diiudicatione theologi & eccleſiæ miniſtri non poſſunt nec debent ſimpliciter excludi. Sed controverſiæ cauſarum matrimonialium ſunt eiusmodi. Ergo. *Maioris* connexio patet, quia eccleſiæ miniſtris ac theologis animarum & conſcientiarum cura divinitus eſt demandata. *Aſſumtum* conſtat ex dictis. Immota igitur perſiſtit concluſio. Excipiunt, 1.) *omnia, quae ſunt bona, Deum autorem agnoſcere, nec tamen iurisdictioni miniſterii ſubeſſe;* 2.) *ad magiſtratus inſtitutionem omnia adplicari poſſe, quae de prima coniugii inſtitutione adferuntur, nec tamen eam ſubiiciendam eſſe miniſterio eccleſiaſtico;* 3.) *matrimonium non eſſe rem conſcientiae, cum non differat a reliquis negotiis humanis;* 4.) *iuramenta vel maxime concernunt conſcientiam, nec tamen eorum diiudicatio ad theologos pertinet;* 5.) *ad iuriſconſultos pertinere diſpicere, qua ratione res conſcientiae iuxta praeſcriptum in ſacris literis modum ſit adminiſtranda.* Reſp. 1.) Diſtinctio inter *iudicium diſcretivum* & *coactivum*, inter *conſilium* informandæ conſcientiæ cauſa datum & *ſententiam iudicialem*, ac reliqua in explicatione propoſitionis adlata exceptionibus hiſce aditum facile obſtruunt. 2.) Neque enim iurisdictioni epiſcoporum diiudicationem matrimonialium controverſiarum eo modo ſubiicimus, quo in papatu illud fieri conſuevit, ſed eccleſiaſticas perſonas in conſiſtorium matrimoniale adſciſcendas eſſe dicimus, ac theologos in dubiis conſcientiæ caſibus ex matrimonialibus cauſis reſultantibus conſilium dare poſſe ſtatuimus. 3) De magiſtratus inſtitutione ac de iuramentis doctrinam ex verbo Dei tradere, ac ſi quæ controverſiæ conſcientiam concernentes hiſce ac ſimilibus de rebus oriuntur ex verbo Dei ſententiam ferre omnino ſpectat ad theologos. *An ſubditi magiſtratui reſiſtere poſſint nec ne, quouſque ſe extendat obedientia magiſtratui debita, an magiſtratus per illegitima media ad imperii ſolium evectus pro divinitus inſtituto ſit habendus &c.* Item, *an iuramentum in turpi promiſſo ſervandum, an is qui latroni de certae pecuniae ſumma numeranda iuramento cavit, in conſcientia ſua ad eam reddendam obſtrictus ſit &c.* De his & ſimilibus quæſtionibus ex verbo Dei pronunciare & conſcientias informare utique ad theologum ſpectat. 4.) Matrimonii cauſa a reliquis negotiis & contractibus humanis plurimum differt. Quod enim reliquos contractus concernit, de illis in *genere* tantum divina lex præcipit, quod iuſtitia & æqualitas in illis ſervanda ſit, quod furtum non ſit faciendum, quod nemo *fratrem ſuum defraudare* debeat, 1. Theſſal. IV. 6. ſed de coniugio ſpeciales leges in verbo Dei traduntur, videlicet in quibus gradibus cognā-

gnationis non sit contrahendum coniugium, qua ex causa liceat facere divortium &c. Quod si in reliquis etiam negotiis quidpiam incidat, quod conscientiam concernat, ecquis dubitaverit, theologorum & ecclesiæ ministrorum iudium de eo rogandum? In quæstione de *usuris* teneræ conscientiæ nunquam patientur sibi satisfieri ex legibus humanis, nisi ex verbo Dei erudiantur, quid usuræ prohibitæ nomine proprie veniat. 5.) Ad illos pertinet de casibus conscientiæ pronunciare, quibus animarum curatio & scripturæ interpretatio est commissa, quia conscientiæ informatio & animarum curatio sunt arctissime connexa, & principium, ex quo in conscientiæ casibus pronunciandum, est scriptura sacra, sive verbum Dei in propheticis & apostolicis scriptis comprehensum, ut constat. Iam vero animarum curatio & scripturæ interpretatio ecclesiæ ministris ac theologis est commendata. Ergo.

II.) *ex doctrinæ de coniugio norma.*

§. DCXCVII. Inde iam nascitur nobis II.) argumentum ex *doctrinae de coniugio regula ac norma*, quæ est *scriptura sacra*, ubi sic concludimus: Quæcunque in sacra scriptura docentur & proponuntur, eorum explicatio præcipue ad theologos ac ecclesiæ ministros pertinet. Iam vero doctrina de institutione & legibus coniugii, de prohibitione graduum, de divortiis, de polygamia, de coniugio fidelium & infidelium, &c. in scriptura sacra docetur & proponitur. Ergo eius explicatio præcipue ad theologos & ecclesiæ ministros pertinet, & per consequens etiam a casuum matrimonialium cognitione & diiudicatione non possunt theologi excludi, cum ea ex principio in scriptura posito vel maxime sit petenda. Cuius est agere de norma causarum matrimonialium, eius etiam est iudicare ex illa norma de causis matrimonialibus. Iam vero theologi est, agere de norma causarum matrimonialium, quæ est scriptura sacra, nisi forte dicere velimus, theologum ex parte duntaxat scripturæ sacræ interpretationem & explicationem sibi vindicare, partem autem eam, quæ de prohibitis cognationis gradibus, de divortiis, de aliis matrimonialibus legibus tractat, &c. aliis explicandam commendasse. Ergo etiam theologi est ex illa norma verbi divini, & secundum eam de causis matrimonialibus sententiam ferre. Declaremus rem exemplo: Quæstio est, an privignus, hoc est, mariti filius ex alia uxore, & privigna, hoc est, uxoris filia ex alio marito, vel quod idem est, an privigna, hoc est, mariti filia ex alia uxore, & privignus, hoc est, uxoris filius ex alio marito licite possint matrimonio coniungi? Antonius Matthæus iurisconsultus in disputat. de fundamentis quibusdam iuris aliter iaciendis disp. XII. th. 18. iudicium de ea sibi sumens id licere negat, *cum pugnet cum prohibitione mosaica*, Levit. XVIII. 11. hic certe nemo, nisi theologus Hebraicæ linguæ gnarus pronunciare poterit, quid de hac legis divinæ interpretatione statuendum sit, rectene se habeat, an vero secus, quo exposito res omnis erit expedita, neque enim iure civili, nec canonico, nec provinciali talis coniunctio est prohibita.

III.) *Ex praxi Christi & apostolica.*

§. DCXCVIII. III.) Ex *praxi Christi & apostolica.* Christus doctrinam de causa divortii perspicuis verbis explicat Matth. V. 32. & cum pharisæi quæstionem matrimonialem ad eum deferrent, Matth. XIX. 3. non reiicit eos, nec repulit cum hac quæstione ad magistratum politicum, sicut de hereditatis negotio consultus respondebat: Luc. XII. 14. *Homo, quis*

quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos? ac de pœna civili adulteræ interrogatus, Iohan. VIII. 11. respondet: *Si nemo te condemnavit, nec ego te condemno;* sed solidam & integram quæstionis illius explicationem ex primæva coniugii institutione verbis planis ac perspicuis proponit. Paulus etiam de variis quæstionibus matrimonialibus a Corinthiis per literas interrogatus, *an scilicet fidelis possit cohabitare infideli, an si infidelis discedat, fidelis servituti ita sit subiectus, ut potestas novi matrimonii ipsi penitus sit ademta, an praestet cœlibem manere, quam coniugium contrahere, &c.* De his, inquam, interrogatus apostolus 1. Cor. VII. 1. non remittit Corinthios ad aliud forum, nec reiicit totum negotium ad magistratum politicum, sed conscientias ex verbo Dei informat, & exemplo suo piis & cordatis theologis prælucet, quod in casibus conscientiæ ex matrimonialibus causis ortis non debeant subterfugere, quo minus ex verbo Dei rogati suam aperiant sententiam, ex quibus omnibus sic concludimus: Quod conforme est exemplo Christi & apostolorum, illud neutiquam improbari potest ac debet. Sed matrimonialium quæstionum decisionem a theologis petere, eamdemque theologos sibi vindicare, conforme est Christi & apostolorum exemplo, ut constat. Ergo.

§. DCXCIX. IV.) Ex *praxi ecclesiae perpetua.* Quæ de matrimonialibus quæstionibus hactenus a nobis disputata, in illis ut plurimum non solum fundamenta divini verbi, sed etiam piorum veterum dicta & suffragia sunt adlata, ex quo ipso constat, primitivæ ecclesiæ doctores nequaquam a professione sua alienum iudicasse, de matrimonialibus causis sententiam ferre. Ambrosius libr. VIII. epist. LXVI. suam de coniugio filii & neptis ex filia, quos Paternus copulare parabat, haud gravatim exponit sententiam. Augustinus & alii ex veteribus multas quæstiones matrimoniales definiunt. Concilia plurimos canones de illis condiderunt. Ex quibus omnibus constat, quod iudicium discretivum in causis matrimonialibus non possit theologis denegari. Quod in *consistoriis Saxonicis* non *politicae* tantum, sed etiam *ecclesiasticae* personæ causarum matrimonialium cognitioni ac diiudicationi sunt præfectæ, & hac ratione una cum reliquis collegis iudicium etiam coactivum & potestatem sententias iudicialiter ferendi & exsequendi obtinent, (quod ipsum in Wirtenbergensi consistorio usu receptum esse, testis est Bidenbachius in præf. libell. de caus. matrimon.) illud itidem perpetuæ ecclesiæ praxi conforme est. In senatu *seniorum*, ad quem in populo Israelitico causarum matrimonialium diiudicatio spectabat, præsidebant non solum politici, sed etiam imo magna ex parte ecclesiastici, videlicet sacerdotes, scribæ, levitæ. Confer Esdr. X. 15. Iustinianus l. Sacram. 33. C. de Episcop. audiend. & l. 29. C. de nupt. simul & *clarissimis provinciarum praesidibus, & civitatum religiosissimis episcopis*, committit causarum matrimonialium tractationem. Apud Græcos imperator Alexius patriarchis & episcopis de re matrimoniali rescribendum & statuendum iudicavit, addita ratione ea, *quia de re sacra agatur.* Harmenopolus lib. IV. sent. synodal. tit. 2. sect. 3. ubi etiam Eustratii & Nicetæ rescriptum in eamdem sententiam adducit. Quæ omnia non eo adducimus fine, quasi magnopere probemus, quod iurisdictio etiam secularis progressu temporis episcopis concessa, sed ut veteris ecclesiæ iudicium, quod a matrimonialium causarum cognitione & diiudicatione sacrorum antistites non esse penitus excludendos censuit, ex eo manifestum fieri possit.

IV.) *Ex praxi ecclesiae perpetua.*

Antithesis eorum, qui theologos a causarum matrimonialium cognitione arcendos statuunt.

§. DCC. Contra hanc secundam propositionem aliquot formantur argumenta: I.) Ex *coniugii natura*. *Matrimonium est iuris naturae, quod autem iure naturae hominibus competit, non potest iuri alicui divino singulari adscribi.* Resp. ius illud naturale, ex quo coniugia inter gentes orta, in iure divino propheticis & apostolicis scriptis comprehenso perfectius & clarius exponitur, cum per lapsum primorum parentum notitia illius iuris naturalis in mentibus hominum vehementer sit obscurata & ferme obliterata. Confer §. 6. in proœmio, ubi ostendimus, doctrinam, quæ ex verbo Dei de coniugio in ecclesia traditur, *uberiorem, certiorem & illustriorem esse* gentilium de coniugio placitis & legibus (laude alioquin dignissimis) respectu *causae efficientis, formalis, finalis & adiunctorum.* II.) Ex *iurisdictionis deficientia*. *Theologis nullum competit imperium aut iurisdictio, ergo nec causarum matrimonialium diiudicatio, quippe quae sine imperii coercitione est frustanea.* Resp. repetatur distinctio inter iudicium *discretivum*, quod absque iurisdictione & imperio ferri potest, & inter iudicium *coactivum*, quod vim coercendi & exsequendi requirit. Prius adsignamus theologicis collegiis quibuscunque, posterius illis duntaxat ecclesiæ pastoribus & episcopis, qui in consistorio ecclesiastico sunt adsciti, quorum iurisdictio nec secularis est nec ordinaria, sed delegata. Neque ex eo, quod ministerio ecclesiastico non competit politicum imperium ac civilis quædam iurisdictio, inferri potest aut debet, quod nulla plane potestas, nulla iurisdictio ecclesiastica ipsi competat, contrarium enim luculentis, ut spero, argumentis contra ecclesiasticæ potestatis osores & contemtores probatum dedimus loc. theol. tract. de minister. cap. V. sect. I. §. 191. Antequam imperatores, principes & inferiores magistratus christianismo nomen darent, ecclesiæ primitivæ ministri & habebant & exercebant potestatem ecclesiasticam, qua legum divinarum, & consequenter etiam matrimonialium trangressores coercebant, ut constat ex Pauli incestuosum Corinthium excommunicantis exemplo 1. Cor. V. 5. III.) *A theologorum propria provincia. Matrimonium est res mere civilis & secularis*, docente Luthero in præfat. scripti de causis matrimon. tom. V. Ien. Germ. f. 238. & in comm. Matth. V. tom. eiusdem f. 404. *Iam vero opprobrium est clericis, si peritos se ostendere velint rerum secularium*. l. placet. 17. C. de episc. & Cler. l. Consulta Divalia. 17. C. de testamentis. Resp. ostendimus superius, discrimen esse maximum inter coniugium, & reliquos contractus mere civiles. Lutherus coniugium dicit esse rem externam ac civilem magistratui politico subiectam, sed nuspiam addit exclusivam, quod *tantum* sit res civilis, & quod *solus* magistratus politicus de eo statuere ac pronunciare debeat absque divini verbi & eius doctorum atque interpretum suffragio. Contrarium ex ipso Luthero paulo post demonstrabitur. IV.) Ex *iuris civilis sufficientia*. *Ius civile sufficiens est his causis decidendis.* Resp. in foro politico & civili; sed quia ut plurimum in causis matrimonialibus etiam *conscientiae interesse* concurrit, ideo quod ad forum conscientiæ spectat, theologorum & ecclesiæ ministrorum iudicia non sunt susque deque habenda. De consistorio Würtenbergico Bidenbachius in præf. libell. de causis matrim. memorat, in eo hoc observari, ut theologi eius adsessores de his maxime, quæ *ad substantiam matrimonii pertinent*, suam rogati dicant sententiam; iudicium vero *de pœnis delinquentibus infligendis, deque illis, quae ad processum iudicialem pertinent*, iurisconsultis penitus relin-

linquant. *Leges civiles non dedignantur sequi sacros canones*, dicit imperator Authent. Ut clerici §. penult. quanto minus dedignabuntur sequi canones in verbo divino præscriptos, quorum interpretes constituti sunt theologi? V.) Ex *politia Israelitica. Qui in populo Israelitico criminalibus causis praeerant, illis etiam matrimonialium causarum diiudicatio commissa erat.* Deut. XXI. Resp. in synedrio Hierosolymitano non politicas tantum, sed etiam ecclesiasticas personas præsedisse nulla veritatis specie negari potest. At supremum iudicium causarum matrimonialium fuit penes synedrium Hierosolymitanum. Alia vero ratio est causarum mere *civilium & criminalium quam matrimonialium*; proinde quamvis mere civilium & criminalium cognitio ac diiudicatio sacerdotibus vet. test. ex parte olim commissa, in nov. test. ob Christi interdictum & ecclesiastici ministerii conditionem atque statum non amplius ad ecclesiæ doctores pertineat, ex eo tamen inferri nequit, quod etiam matrimonialium cognitio ipsis penitus sit derogata vel deroganda; contrarium enim ex Christi ipsius & apostoli Pauli exemplo manifestissime elucet. VI.) Ex *Lutheri sententia.* Lutherus d. l. scribit: *Ich ruffe und schreye, man soll solche Ehesachen der weltlichen Obrigkeit lassen, und wie Christus spricht, die Todten lassen ihre Todten begraben, denn wir sollen ia Diener Christi seyn, das ist, mit dem Evangelio und Gewissen umbgehen, &c. So finde ich auch kein Exempel im newen Testament, daß sich Christus oder die Apostel hetten solcher Sachen angenomen, &c. Qui causas matrimoniales* (scribit Bidenbachius in præf. libelli sui de illis editi) *ad theologos plane nihil adtinere garriunt, pulcre sibi sapere videntur, quod idem cum Luthero statuant.* Sed resp. Lutherus ibidem diserte addit hæc verba, quæ non sunt omittenda: *Ausgenommen, wo es die Gewissen berühret hat, als S. Paulus* 1. Cor. VII. Ostendit autem totus contextus, Lutherum duntaxat de iudicio *coactivo* cum iurisdictione *ordinaria* & coercendi potestate coniuncto, (quale papales episcopi & eorum officiales sibi solis vindicant) ac de pœnis politicis in violatores huius ordinis statuendis, nequaquam vero de iudicio *discretivo*, quo piis conscientiis consulitur ibidem loqui, sic enim habent ipsius verba: *Was hilffts, daß wir Christen wolten viel Gesez und Urtheil stellen, so uns die Welt nicht underthan ist, und wir keine Gewalt vber sie haben?* Et postea: *Wo wir beginnen Richter in Ehesachen zu werden, so hat uns das Camprad bey dem Ermel ergriffen, und wird uns fortreissen, daß wir müssen vber die Straffe richten. Sollen wir vber die Straffe richten, so müssen wir auch vber Leib und Gut richten, da sind wir denn hinunter unter das Rad und ersoffen im Wasser des weltlichen Handels.* Tandem concludit: *Ich wil euch meine Meynung (von Ehesachen) weil ihr so hart darumb anhaltet, nicht verhalten, doch mit der Bedingung, daß ich solches wil thun, nicht als ein Rechtsprecher, Official oder Regent, sondern Rathsweise, wie ichs im Gewissen wolte guten Freunden insonderheit zu Dienst thun, also daß wer solchem meinem Raht folgen wil, daß der es thue auff sein Ebenthewr, denn wo ers nicht weis hinaus zu führen, darff er bey mir nicht Schuz noch Schirm suchen, oder mir das klagen, denn ich keines Regiments oder Richtzwangs mich hiemit unterwinden wil, und wie ich keinen habe, so wil ich auch keinen haben, ich wil die Gewissen berichten und trösten, so viel ich rahten kan.* Quod vero Lutherus casuum matrimonialium cognitionem & diiudicationem non penitus a se & officio suo alienam iudicaverit, sole clarius elucet ex præclaris illis, quæ de hoc negotio in publicum edidit, scriptis. Tom. II. Ien. Germ. f. 150. & seqq. continetur scriptum de *vita coniugali*, in quo ἐπιχρισιν fert de octodecim illis impedimentis matrimo-

nium contrahendum prohibentibus, & contractum dirimentibus, quæ a canonistis enumerantur; item de causis divortii. Tom. V. Ien. Germ. f. 239. & seqq. continetur scriptum de *causis matrimonialibus*, in quo de sponsalibus, divortiis & gradibus cognationis tractat. Tom. IV. f. 425. & tom. VI. fol. 570. exponit consilium suum, quid agendum censeat illi, *qui sponsam suam ab alio corruptam deprehendat.*

III.) *A causarum matrimonialium cognitione & diiudicatione non est excludendus magistratus.*

§. DCCI. *Tertia* propositio hæc esto: *A causarum matrimonialium cognitione ac diiudicatione non excludendus magistratus politicus.* Probatur 1.) a *magistratus officio.* Ad quem pertinet custodia utriusque tabulæ decalogi, ad eum etiam causarum matrimonialium cognitio ac diiudicatio certa ratione pertinet. *Connexio* probatur, quia coniugium in quarto, sexto & decimo præcepto divinitus sancitur & confirmatur. Atqui magistratus divinitus constitutus est utriusque tabulæ custos, ut in tract. de magistr. §. 165. &. seqq. demonstravimus. Ergo cuius est leges honestas de sponsalibus, cognationis gradibus, causis divortiorum, &c. divinæ legi conformes promulgare, eius etiam est iuxta leges illas pronunciare, & easdem exsecutioni mandare. Atqui ad magistratum politicum certa ratione & modo in tract. de magistr. expositio pertinet, ut alias leges ecclesiasticas, ita quoque de coniugio leges honestas divinæ legi conformes promulgare. Ergo 2.) *A necessario.* Nisi politico magistratui in causarum matrimonialium diiudicatione suæ relinquantur partes, sententia lata non poterit exsecutioni dari, nec temeritas hominum coerceri. Lutherus in præf. libri de causis matrim. tom. V. Ien. Germ. f. 238. *Unter den Christen oder Gleubigen ist in solchen und allen Sachen leichtlich zu handeln, aber mit den Unchristen, der die Welt voll ist, kan niemand hinter sich noch für sich, wo nicht das weltliche Schwerd die Scherffe brauchet.* 4.) *A comparato.* Quemadmodum de aliis civilibus negotiis & contractibus magistratus leges divinæ legi congruentes promulgandi potestatem obtinet, ac iuxta illas iudicia instituere, earumque transgressores pœnis subiicere potest, ut iustitia & tranquillitas in vita civili floreat, ut in tract. de magistr. §. 219. docuimus: ita quoque de coniugio, in quo non minima pars felicitatis huius vitæ consistit, potest leges honestas promulgare, secundum illas iudicare, & contemtores earum ad debitas pœnas revocare. 4.) Ex *more ecclesiae perpetuo.* In ecclesia Israelitica senatus *seniorum*, cui iudicium de causis matrimonialibus commissum erat, constabat non ex sacerdotibus solum, sed etiam politicis personis. *Theodosius* imperator legem tulit consobrinorum coniugia prohibentem, teste Augustino lib. XV. de civ. Dei c. 16. & Ambrosio lib. VIII. epist. 66. *Concilium Milevitanum* in quæstione de causa divortii lege imperiali opus esse sancivit, & hac ratione ad tribunal pii & christiani magistratus matrimonialium causarum diiudicationem retulit.

Exceptiones Bellarmini.

§. DCCII. Prætermissis argumentis reliquis Bellarminus tantummodo ad particulam quarti excipit 1.) *posse principem politicum de impedimentis matrimonii legem ferre, sed principe ecclesiastico adprobante, si enim hic repugnet, lex illa erit irrita*, quod probat ex illa ipsa Theodosii lege. *Cum enim non diu post filii eius abrogassent* l. Celebrandis C. de nupt. *& Iustinianus itidem tulisset legem, ut licita essent matrimonia inter consobrinos.* §. Duorum. Instit. de nupt. *Gregorius pontifex*

tifex legem Honorii & Iuſtiniani reprehendit in reſcripto ad Auguſtinum, Anglorum epiſcopum, & contra ſtatuit, inter conſobrinos illicita eſſe matrimonia, & haec pontificis lex, non autem illa caeſaris in eccleſia obtinuit. Cap. *Quaedam &c.* 35. q. 2. Reſp. non quæritur de *facto*, quam ſcilicet poteſtatem Romani pontifices imperatorum conniventia & indulgentia progreſſu temporis tum circa cauſas matrimoniales, tum circa alia huius vitæ negotia in eccleſia de facto ſibi vindicaverint; ſed de *iure*, quæ & qualis poteſtas Romano epiſcopo & aliis eccleſiæ miniſtris iure competat, ubi facile concedimus, magiſtratum chriſtianum in legibus matrimonialibus ferendis miniſterii eccleſiaſtici ſuffragium & conſilium non debere prætermittere, ſed negamus, pontificem hanc νομοθεσίαν ſibi ſuisque epiſcopis ſolis debere vindicare. Concedere ſe Bellarminus dicit, *poſſe principem politicum de impedimentis matrimonii legem ferre adprobante principe eccleſiaſtico.* At quæſo ſub papatu principibus politicis hæc poteſtas relinquitur? Epiſcopi & eorum officiales omnia ad ſe rapuerunt. 2.) *Patres concilii Milevitani non petere legem, qua decernatur, non licere poſt divortium aliam uxorem ducere, ſed qua pœna externa puniendus ſit, qui id fecerit.* Reſp. de hac exceptione egimus §. 574. Sufficit nobis, quod patres illius concilii legem matrimonialem a ſe latam ab imperatore confirmandam & pœnam in eius transgreſſores ſtatuendam petunt; ex eo enim manifeſte conſpicitur, quod primitivæ eccleſiæ nequaquam ſibi ſolis poteſtatem in cauſis matrimonialibus iudicialiter procedendi ac decidendi ſumſerint, ſed politici magiſtratus autoritatem & auxilium hac in parte implorarint.

Antitheſis pontificiorum.

§. DCCIII. De cauſarum matrimonialium iudice concilium Trid. ſeſſ. XXIV. can. 12. ſic decernit: *Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad iudices eccleſiaſticos, anathema ſit.* Concilii mentem Bellarminus de matr. c. 32. ſic explicat: *Diſtinguendae ſunt cauſae matrimoniales. Quaedam ſunt omnino politicae, ut de dotibus, de ſucceſſionibus, de hereditatibus &c. Quaedam ſunt omnino ſpirituales, ut de partibus ſacramenti, de benedictione ſacerdotali, &c. Quaedam partim ſunt politicae, partim ſpirituales, ut de gradibus cognationis, de divortiis, de impedimentis & aliis, quae ad ipſum contractum matrimonii pertinent; quatenus enim contractus ille naturalis eſt, materia eſt politica, quatenus idem contractus eſt fundamentum ſacramenti & res conſcientiae, ſpiritualis eſt. Primi generis cauſas dicit ſimpliciter ad politicum magiſtratum pertinere. Secundi generis cauſas ad ſolam eccleſiam. Tertii generis cauſas ad politicum magiſtratum pertinere poſſe, ſed cum ſubordinatione ad eccleſiaſticum, ſimpliciter autem pertinere ad principem eccleſiaſticum.* Reſp. 1.) Cauſæ illæ tertii generis ad politicum magiſtratum non tantum pertinere *poſſunt*, ſed ad eum etiam referri *debent*, ut ex argumentis noſtræ ſententiæ evincitur. 2.) Per *ſubordinationem* illam politici magiſtratus aut καταχρησικῶς intelligitur conſilium & ſuffragium miniſterii eccleſiaſtici, quod politicus magiſtratus in matrimonialibus legibus promulgandis & executioni mandandis non omnino prætermittere debet, aut poteſtas illa αὐτοκρατορικὴ atque ἀρχικὴ, quam pontifex cum ſuis epiſcopis in politicum magiſtratum ſibi arrogat. Si priori ſenſu accipitur, concedimus; ſi poſteriori, negamus. 3.) Chriſtus enim talem poteſtatem in imperatorem, reges & principes apoſtolis & eorum in miniſterio ſucceſſoribus neutiquam conceſſit, ſed potius derogavit. Matth. XX. 25. Luc. XXII. 25. Rom. XIII. 1. 1. Petr. V. 3.

§. DCCIV. Argumenta, quibus Bellarminus ſuam ſtabilire conatur ſententiam,

tiam, tria sunt. Priora duo ex *natura coniugii* sunt petita, tertium ex *ecclesiae praxi*. 1.) *Matrimonium est ecclesiae sacramentum, neque apud Christianos separatur contractus legitimus matrimonii a sacramento matrimonii, cum omnis legitimus contractus matrimonii hoc ipso fit sacramentum matrimonii. Ergo iudicare, an aliquis contractus matrimonii sit legitimus, est iudicare, an ille contractus sit sacramentum. Sed de sacramentis iudicare ad ecclesiam spectat. Ergo etiam de illo contractu iudicare ad ecclesiam spectat.* Resp. de hypothesi huius argumenti actum fuit superius. §. 16. & seqq. 2.) *Etiamsi matrimonium sacramentum non esset, tamen quia res est conscientiae ex legibus divinis pendens, ad pastores animarum sine dubio pertineret, quemadmodum quaestiones de cambiis, de censibus, aliisque contractibus, in quibus interdum abscondunter usurae, ab ecclesia iudicantur.* Resp. ex hoc argumento non potest plus inferri, quam quod causae matrimoniales, quatenus conscientiam concernunt, ab ecclesiae ministris sint cognoscendae, sed *subordinationem* illam principis politici vel eiusdem omnimodam *exclusionem* a causarum matrimonialium diiudicatione nunquam ex eo Bellarminus eliciet. 3.) *Christus* Matth. V. & XIX. *& Paulus* 1. Cor. VII. *de causa coniugii iudicavit, ac plena sunt concilia & pontificum rescripta legibus & sententiis in causa matrimonii*, quod probat ex decretalibus. *Fuisse autem illa iudicia Christi, apostolorum, pontificum & conciliorum non meras interpretationes verbi divini, sed sententias coactivas* probat ex *ipso verborum tenore*, Matth. XIX. 1. Cor. VII. ex *vet. test. praxi, in quo homines mittebantur ad sacerdotem, ut verum iudicem*, Deut. XVII. denique ex *deductione ad absurdum. Cur enim non potius ad homines doctos quam ad pontifices causae istae ordinarie ferebantur, si consultoris sapientia, non autoritas iudicis in sacerdotibus quaerebatur?* Resp. 1.) Distinguendum inter potestatem coactivam in *foro conscientiae* & in *foro politico* externo. 2.) Christus & apostoli non tulerunt novas leges, sed primævam coniugii institutionem repetiverunt, & conscientias hominum ex ea informarunt. 3.) Sacerdotes vet. test. & episcopi primitivæ ecclesiæ nov. test. iudicarunt de causis matrimonialibus, non autem excluso magistratu politico. 4.) Neque suum secuti sunt in iudicando arbitrium, sed præscriptam in verbo divino normam. Pontifex vero Romanus & ipsius episcopi politicum magistratum excludunt, & neglecta verbi norma suo arbitrio agunt. 5.) Non sapientiæ tantum, sed etiam autoritatis, potestatis & vocationis respectu episcopos iudicare posse concedimus, sed cum limitatione aliquoties repetita.

II.) *De processu in divortio.*

§. DCCV. Exposita quæstione de *competente divortii iudice*, transitum facimus ad quæstionem de *legitimo divortii processu*, ubi duo explicanda erunt: 1.) quis in divortio *propter adulterium* faciendo, 2.) quis in *malitiosae desertionis casu* processus sit observandus? Utrumque certis expositum dabimus aphorismis.

I.) *In casu adulterii.*

1.) De divortio in casu *adulterii* faciendo sequentes proponimus canones: 1.) *Adulterium, propter quod divortium petitur, ex suspicionibus & coniecturis non debet esse duntaxat praesumtum, sed certis probationibus demonstratum.* Theodosius & Valentinianus l. Consensu 8. C. de repud. inter causas divortii numerant non solum adulterium, sed etiam ea, ex quibus violenta adulterii præsumtio oritur, datur enim uxori virum repudiandi facultas, *si vir familia vel uxore inspiciente cum impudicis mulieribus cœtum inierit.* Viro autem, *si uxor viro ignorante vel repugnante convivia extraneorum adpetierit, si eo ignorante foris sine iusta causa*

ſa pernoctarit, ſi extra viri voluntatem ludis & ſpectaculis inhaeſerit, ſi cum viris voluptatis occaſione lavetur, ſi vivo marito cum aliis de ſuis nuptiis ſit locuta. Apud Romanos ob leviſſimam quandoque adulterii ſuſpicionem divortia fuiſſe facta, Antiſtii, Sulpitii & Sempronii exemplis oſtendimus ſuperius. Sed ut in aliis atrocioribus delictis, ita quoque in adulterio non ſufficiunt coniecturae, ſuſpiciones, praeſumtiones, quantumvis magnae & multae, adeoque, ut canoniſtae loquuntur, *violentae*, ſed requiruntur probationes luce clariores, videlicet ut adultera vel ἐπ' ἀυτοφόρῳ comprehendatur, Ioh. VIII. 4. vel idoneis teſtibus ac propria confeſſione huius delicti convincatur, l. abſentem. ff. de poenis. l. ult. C. de probat. cap. *Epiphanium* &c. 4. cauſ. 5. q. 6. Nec de nihilo eſt, quod in crimine adulterii, cumprimis illis in locis, ubi delictum illud non habetur pro capitali, ad divortium faciendum non ſufficiat propria rei vel reae confeſſio, cum taedio prioris ac deſiderio novi matrimonii ex compoſito tale quid fieri poſſit. Vid. tract. de magiſt. polit. §. 310. 2.) *Antequam ob adulterium fiat divortium, tentanda eſt prius reconciliatio.* Rationes huius canonis adſignavimus in quaeſtione ſuperius §. 614. pertractata, an in crimine adulterii perſona innocens teneatur nocentem deſerere vel retinere? Addendae tamen quaedam limitationes, quod in quibusdam caſibus non ſit tentanda, vel certe non admodum urgenda reconciliatio, utpote ſi maritus in publico officio honorato, eccleſiaſtico vel politico conſtitutus, quo non poſſit laudabiliter & cum autoritate perfungi, ſi adulteram in conſortio retineat, ſi adultera ſit deploratae malitiae, nec ſpes emendationis adfulgeat, ſi delictum aliquoties ſit iteratum poſt praecedentem reconciliationem &c. 3.) *Facto propter adulterium divortio ne quidem innocenti parti concedendum, ut ſtatim ad alias transvolet nuptias, ſed interiecto aliquo temporis ſpatio de novo demum matrimonio cogitare poteſt.* Hunc canonem proponit b. Lutherus, eiusque rationem explicat in lib. de cauſ. matrim. tom. V. Jen. Germ. f. 236. *a. Damit ſolch Scheiden, ſo viel müglich iſt, gemindert werde, ſoll man zuerſt dem einen Theil nicht geſtatten, ſich ſo bald wieder zu verendern, ſondern zum wenigſten ein Iahr oder halbes harren, ſonſt hat es einen ergerlichen Schein, als hette er Luſt und Gefallen daran, daß ſein Gemahl die Ehe gebrochen habe, und damit Urſachen gar frölich ergreifft, daß er des los werde, und friſch eine andere nehm, und alſo ſeinen Muthwillen übe unter dem Deckel des Rechtens, denn ſolche Büberey zeiget an, daß er nicht aus Eckel des Ehebruchs, ſondern aus Neid und Haß gegen ſeinem Gemahl, und aus Luſt und Fürwitz zu einem andern ſo williglich die Ehebrecherin leſſet, und ſo gierig eine andere ſuchet.* 4.) *Nocenti aegre concedenda eſt novarum nuptiarum poteſtas, antequam innocens ad ſecunda vota tranſeat.* Ratio eſt, quia pendet adhuc reconciliatio, cuius prior ac potior ſemper debet eſſe cura. Reliqua huc ſpectantia ex iurisconſultis petantur.

§. DCCVI. II.) De caſu *malitioſae deſertionis* hi notandi ſunt canones: 1.) *Si perſona deſerta a malitioſo deſertore petit ſe liberari, & novarum nuptiarum poteſtatem ſibi concedi, ante omnia inquiratur, an deſerta peſſimis ſuis moribus & quotidiana importunitate efficacem cauſam deſertioni praebuerit*, quo in caſu iubeatur deſertorem inquirere, & reconciliationem cum ipſo inſtituere. 2.) *Deſertor per edictum publicum tribus diſtinctis vicibus promulgatum & in tribus diſtinctis territoriis e ſuggeſtu praelectum vel adfixum citetur*, ac diligenter inquiratur, an alicubi locorum inveniri, & per magiſtra-

II.) *In caſu malitioſae deſertionis.*

gistratum illius loci ad reditum compelli possit, antequam in desertionis casu separatio voce iudicis instituatur. 3.) *Si publice citatus comparere recusaverit, iudices matrimoniales consideratis absentiae causis & utriusque personae tum deserentis tum desertae qualitatibus ac circumstantiis sententiam ferant*, qua innocens servitute illa, ut apostolus loquitur, liberetur, & novi matrimonii potestas illi concedatur. 4.) *Tempus absentiae*, quod ad desertionis culpam sufficiat, a quibusdam statuitur *quadriennium*, a quibusdam *septennium*, sed, ut superius etiam monuimus, ob infinitam casuum ac circumstantiarum varietatem vix ac ne vix quidem potest certum aliquod temporis spatium præfiniri, sed conscientiæ ac prudentiæ iudicis illud est committendum, ut pro personarum qualitate ac circumstantiarum varietate desertæ novas nuptias vel citius vel tardius concedat. 5.) *Deserta persona sedulo monenda, ut quantum quidem sine conscientiae periculo fieri potest, a novis nuptiis tamdiu abstineat, donec desertor pœnitentia ductus redeat, vel de ipsius scortationibus aut obitu certum aliquod nuncium ad eam deferatur.* Sæpius enim compertum est, desertoris animum vel per pias & continuas desertæ preces ad Deum fusas, vel per inopinatum aliquod infortunium fuisse mutatum, ipsumque conscientiæ stimulis adactum ad coniugalis fœderis nefarie disrupti redintegrationem tandem rediisse. Reliqua ex iurisconsultorum scholis discenda.

CAPUT XI.

DE USU DOCTRINÆ DE CONIUGIO.

§. DCCVII. Expositis coniugii causis, *efficiente* scilicet *materia*, *forma & fine*, itemque eiusdem *effectis*, *adiunctis & contrariis*, restat, ut coronidis loco *usum huius loci ac definitionem coniugii* subiungamus. Usus huius loci est *generalis* ac *specialis*. Generalis ad *omnes homines* pertinet, sive in coniugio sive extra coniugium vivant; sive ad hoc vitæ genus se conferre, sive in cœlibatu persistere cogitent. Estque vel *theoreticus* vel *practicus*. Theoreticus est vel *didascalicus* vel *elencticus*. Didascalicus, ut ordinis coniugalis institutionem divinam eiusdemque dignitatem, utilitatem ac necessitatem ex verbo Dei discamus. Elencticus, ut ὀρθοδοξίαν in hoc articulo ex verbo Dei cognitam contra errores pontificiorum, anabaptistarum & aliorum ἑτεροδιδασκάλων adseramus. Practicus revocari potest ad παιδείαν, ut pro coniugii institutione ac conservatione Deo gratias agamus, eumdemque pro piis coniugibus & perpetua sancti huius ordinis ad finem usque mundi conservatione rogemus, ac ipsimet hunc vitæ statum a Deo institutum pro ratione vocationis tueamur; & ad ἐπανόρθωσιν, ut a contumeliis & calumniis adversus hunc ordinem sedulo caveamus, reverenter de illo, utpote divina institutione munito, sentiamus ac loquamur, generis humani propagationem non fortuitis casibus, nec fictitio cuidam Genisto, Iunoni vel Lucinæ, sed soli præpotenti Deo tribuamus. Specialis spectat vel ad *eos*, *qui in coniugio vivunt*, vel qui *ad illud adspirant*. Qui in hoc statu vivunt, illis prodest doctrina de coniugio, 1.) ad διδασκαλίαν, ut intelligant, se vivere in tali statu, in quo possint Deo placere, bona conscientia eidem servire, ac si in vera Christi fide & studio pietatis constantes perseve-

Usus huius loci.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841197-p0286-5

veraverint, salutem æternam sperare & obtinere. 1. Tim. II. 15. 2.) Ad παιδείαν, ut tam maritus quam uxor officia tum utrique communia, tum alterutri propria sedulo observet, & iuxta leges matrimonialis ordinis actiones & vitam conformet. 3.) Ad παράκλησιν, ut in omnibus adversitatibus & ærumnis, quæ in hoc vitæ genere ipsis obtingunt, 1. Cor. VII. 28. sese erigant meditatione divinæ institutionis, qua hic ordo gaudet, ac divinarum promissionum de præsentia, auxilio & liberatione. 4.) Ad ἐπανόρθωσιν, ne maritus potestate maritali in uxorem sibi concessa abutatur, Sirac. IV. 35. nec despiciat *sociam fœderis*, inter *quam & ipsum Deus testificatus est*, & hac ratione *lacrimis & gemitibus altare Domini repleat*, Mal. II. 13. 14. neve uxor marito fiat refractaria & adversatrix, Prov. XIX. 13. XXVII. 15. *ne invicem se defraudent, nisi forte ex consensu ad tempus.* 1. Cor. VII. 5. &c. Qui ad hoc vitæ genus adspirant, illis itidem prodest, 1.) ad διδασκαλίαν, ut ex verbo Dei discant, quo ordine quibusve mediis agendum sit. 2.) Ad παιδείαν, ut in vero Dei timore & præmissis seriis ad Deum precibus adiutorium quærant. 3.) Ad ἐπανόρθωσιν, ne contra parentum consensum matrimonium contrahant, neve in gradibus lege divina vel provinciali prohibitis coniugem quærant, &c.

CAPUT XII.

DE DEFINITIONE CONIUGII.

Definitio coniugii.

§. DCCVIII. Coniugii *definitiones* variæ ac diversæ ubique occurrunt. Clemens lib. II. strom. sic definit, quod sit *legitima viri & mulieris coniunctio ad liberorum procreationem.* Ambrosius in exhortat. ad virg. *Coniugium est vinculum, quo adligatur viro nupta, & ei subiectione adstringitur.* Rabanus lib. VII. de serm. propriet. c. 5. *Matrimonium est nubilium iusta conventio & conditio.* Coniugium *est legitimarum personarum inter se coeundi & copulandi nuptiae.* In iure civili a Iustiniano instit. de patr. potest. §. 2. traditur talis definitio: *Matrimonium est viri & mulieris coniunctio individuam vitae societatem continens.* Hanc definitionem adducit & probat ius canonicum cap. *Illud &c.* x. de præsumt. Modestinus l. Nuptiæ. 1. ff. de rit. nupt. sic definit: *Nuptiae sunt coniunctio maris & fœminae consortium omnis vitae, divini & humani iuris communicatio;* in qua definitione per *consortium omnis vitae* quidam intelligunt victus & fortunæ communionem, ut uxor consors fieri intelligatur omnium eorum, quæ marito obveniunt, sive ea bona sunt, sive adversa. l. si cum dotem. 22. §. si maritus. 7. ff. Soluto matrimonio; quia iure Romanorum antiquo licitum erat levibus ex causis divortium facere; alii vero ad exprimendam individuam vitæ societatem in definitione Iustiniani positam illud referunt. Quamvis enim ex accidenti matrimonium divortio dissolvatur, tamen respectu ad intentionem & animum contrahentium habito coniugium recte definitur per *omnis*, id est, *totius vitae consortium & individuam societatem*, eo enim sensu *collectivo* Græcum πᾶς & Latinum *omnis* usurpari non solum ex scriptura sacra 2. Tim. III. 16. sed etiam ex profanis scriptoribus constat. Sic Maro:

Et nunc omnis humo fumat Neptunia Troja.

Quid per communicationem divini & humani iuris intelligatur, expositum fuit. §. 426. Recentiores theologi plerique sic definiunt: *Coniugium est legitima & indissolubilis copula unius maris & unius fœminae instituta divinitus, ut agnoscamus, Deum esse mentem castam, & ei in castitate serviamus, & hoc modo propagato genere humano ecclesia aeterna Deo colligatur.* Hemmingius hanc proponit definitionem, in qua nec quidquam abundare, nec quidquam desiderari adserit: *Coniugium est divinitus ordinata unius maris & unius fœminae legitime consentientium in unam carnem mutui adiutorii causa coniunctio.* Wigandi hæc est: *Coniugium est legitima copulatio unius maris & fœminae iuxta institutionem Dei indissolubilem vitae consuetudinem continens ad procreandos & educandos liberos propter cultum Dei, ad vitandas libidines prohibitas, ad œconomiae administrationem & officiorum in vita necessariorum communicationem.* Est, qui sic definit: *Coniugium est unius maris & unius fœminae puberum & legitime consentientium in unam carnem, id est, indissolubilis coniunctio divinitus cum in bonum eorum, qui coniunguntur, tum in gloriam Dei instituta.* Mentzero hæc probatur: *Coniugium est a Deo instituta unius maris & unius fœminae legitime consentientium in una carne coniunctio ad mutuum adiutorium & sobolis procreationem.* Hæc diversitas definitionem, quæ omnes sunt, & esse etiam debent causales, oritur ex eo, quod alii causam efficientem, materialem, formalem & finalem plenius ac perfectius, alii augustius ac strictius exprimunt. Ex Matth. XIX. 9. & 1. Cor. VII. 2. sic describi potest, quod sit *unius maris & unius fœminae in carnem unam divina & individua coniunctio, tum prolis generandae tum scortationis vitandae causa inita.* Qui plenam & integram definitionem desiderat, causas coniugii omnes superius enumeratas & expositas eidem includat, quod hoc fere modo fieri potest: *Coniugium est unius maris & unius fœminae per legitimum, plenum ac iustum consensum in carnem una divinitus instituta coniunctio, tum ut sobolis procreatione genus humanum propagetur, & ecclesia ex illo colligatur, tum ut familiaris societas & mutuum adiutorium in rebus tam divinis quam humanis paretur, tum ut Christi & ecclesiae coniunctio praefiguretur, ad quos fines post lapsum vitatio scortationis accessit.* Deus, qui est autor & fautor coniugii, hunc ordinem a se institutum clementer conservet ac tueatur, piis coniugibus largiter benedicat, ac nos omnes ad cœlestes nuptias agni, in regno gloriæ paratas, misericorditer introducat, propter Christum, animæ nostræ sponsum, in secula benedictum, Amen!

Hebr. XIII. 4. τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος.

Apoc. XIX. 9. Μακάριοι οἱ εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ γάμου τοῦ ἀρνίου κεκλημένοι.

ACCES-

ACCESSIONES
NONNVLLÆ IVRIDICÆ
AD
TRACTATVM GERHARDI
DE
CONIVGIO
ADORNATÆ
AB
AVGVSTO LVDOVICO SCHOTT,
PROFESSORE TVBINGENSI.

Materia de coniugio, quam in toto hocce libro tractat GERHARDVS, communis est & theologis & iureconsultis, ita ut amplissimus scriptori heic se dicendorum aperiat campus. Quod ex theologis prolixius & melius GERHARDO tractasse argumentum, neminem, eam ob causam adserere non dubito, quod simul theologica, simul & iuridica principia ubique solicite contulit, neque in levi eorum deductione substitit, sed & ipsam materiam æquali soliditate & amplitudine, & qua theologus, & qua iurisconsultus, pertractavit. Nituntur omnia ipsius argumenta solidis iuris fundamentis, atque in omni casu propositæ sunt quæstiones iuris fere omnes, & resolutiones earum huius principiis conformes sunt. Non igitur mirum videri potest, cur multi nostrorum iureconsultorum, iique in foro celebratissimi, etiam ex GERHARDI loco *de Coniugio* in materiis matrimonialibus hauserint. Omnis fere pagina *Collegii Lauterbachiani* hac in materia provocat ad GERHARDVM, sic & CARPZOVIVS *in iurisprudentia ecclesiastica* s. *consistoriali* GERHARDO utitur in formandis & firmandis suarum decisionum earumque auctoritatis argumentis, quorum morem & alii multi secuti sunt. Negari quidem nequit, passim, sed non adeo frequenter, GERHARDVM ea protulisse, quæ genuinis iuris principiis non plane sunt conformia, sed scripsit theologus, & quidem in opere theologico; hinc ignoscendum ipsi est, si in materiis iurisprudentiæ propriis magis theologice quam iuridice sentit. Hæc ratio, & iuxta cum ea altera, ab operis iam ante sesqui-seculum, & quod excedit, scripti vetustate petita, quod hinc in nova editione etiam novorum scriptorum & auctorum novarumque sententiarum adlegationes desiderat, movit me, ut iussu magnifici & reverendissimi editoris supplementa quædam, eaque fortassis haud superflua, iis sententiis & quæstionibus, in quibus GERHARDVS iurisconsultum egit, addendi operam lubentissimus in me susciperem. Cum vero præter varii generis impedimenta præsens temporis ratio mihi non permisit, ut ad universum GERHARDI tractatum supplementa adstruere eaque nunc absolvere potuerim, sequentes has accessiones saltim speciminis loco proponere, easque iudicio humanissimi lectoris subiicere volui.

lui. Quodsi intellexerim, propositum hocce meum æquis & peritis arbitris probari, meque huic labori parem iudicari, eodem modo, quem his in accessionibus concinnandis observavi, adnotationes meas ad librum GERHARDI usque ad finem omni studio continuabo. Erunt hæ additiones, quantum fieri potest, breves, & eo tantum tendent, ut ex illis adpareat, quæ sententiæ GERHARDI in hoc vel illo casu plures aut pauciores habeant adsentientes, & quænam sint eorum argumenta, qui aliter sentiunt; si quæ omisit GERHARDVS, quæ huic ipsius libro commode iungi possunt vel debent, supplenda, sed omnia superflua, & a scopo huius libri aliena, omittenda & iureconsultis solum relinquenda esse censui.

AD CAP. IV. SECT. II. ART. I.

§. 65.

An matrimonia liberorum sine consensu parentum inita iure naturæ sint irrita?

Ubi GERHARDVS copiose disputat contra BELLARMINVM, patrem purpuratum, qui contendit, *ius naturae non docere, quod irritum fit matrimonium, si iniussu parentum fiat;* paucis heic notamus, complures esse ex viris eruditis tam philosophis, quam iurisconsultis, qui in eandem cum Bellarmino sententiam abire, videantur. Eminet ex iis, qui hoc fecerunt, vir summus, HVGO GROTIVS, qui in opere *de iure belli & pacis.* L. II. C. V. §. 10. de hac materia ita sentit: „Super facultate morali quæstio oritur de parentum consensu, quem ad validitatem coniugii „quasi naturaliter requirunt. Sed in „eo falluntur. Nam quæ adferunt argumenta, nihil aliud probant, quam „*officio filiorum conveniens esse, ut parentum consensum* impetrent: quod plane „concedimus, *cum temperamento, nisi* „manifeste iniqua sit parentum voluntas. Nam si in omnibus rebus filii „reverentiam parentibus debent, certe „eam præcipue debent in eo negotio, „quod ad gentem totam pertinet, quale sunt nuptiæ. Sed hinc non sequitur ius illud, quod facultatis aut dominii nomine explicatur, *deesse filio.* „Nam qui uxorem ducit, & maturæ „esse debet ætatis, & extra familiam „abit, ita ut hac in re regimini familiari non subiiciatur. Solum autem „reverentiæ officium non efficit, ut „nullus sit actus, qui ei repugnat. „Iisdem fere argumentis utitur PUFENDORFIUS in Libro *de off. hom. & civ.* L. II. C. III. §. 10. itemque *de Iure Nat. & Gent.* L. VI. Cap. II. §. ult. ita differens: „Patria potestas non videtur eo„usque se extendere, ut matrimonia „liberorum possit declarare irrita, quippe quæ præsupponuntur iniri abs tali„bus, qui iam plenum rationis usum „obtinent. Equidem officium pietatis „& reverentiæ requirit, ut & consilium „parentum heic adhibeant liberi, nec „ipsorum voluntati reluctentur.„ Quam sententiam etiam ex iuris consultis multi sequuntur GRASSIUS *in Collat. iur. civ. Rom. cum Rec. Imp. Sect. X. §. 1. p. 464.* LAUTERBACHIUS *in colleg. theor. pract. LXXIII.* Tit. I. §. 31. STRYCKIUS *in not. ad* SCHÜZII *Compend. Tit. de ritu nupt.* LEYSERUS *in medit. ad pand. Spec. CCXCI. med. 1 2.* Quamvis vero GROTIUS tot tantosque viros habeat sibi adsentientes, tamen hæc ipsius sententia principiis iuris naturæ non plane accommodata nobis videtur; sermo enim heic

non

non est de officio reverentiæ, quod certe tanquam imperfectum liberos absolute non obligat ad petendum hunc a parentibus consensum, sed inquirendum heic est in liberorum obligationem firmiorem, eamque e patria potestate repetendam, quæ sine dubio, uti infra latius demonstrabimus, maiorem habet vim, quam GROTIUS secundum ius naturæ adsumit. Simul quoque thesis illa, quam GROTIUS pro fundamento suæ opinionis ponit, liberos esse debere iustæ ætatis, eosque matrimonii causa ex familia abire, non solum certo respectu contra GROTIUM inverti potest, sed & per se nihil probat; quoniam, subsistente adhuc societate illa domestica liberos inter & parentes, liberi ipsi iudicium suscipere nequeunt, an sint in iusta ea ætate, sed hoc parentibus relinquere debent, inprimis in negotio, quod GROTIUS ipse tanquam grave agnoscit; sic etiam, quem *ille* ulterius fundamenti loco ponit, egressus e familia a mero liberorum arbitrio neutiquam dependet, absoluto licet educationis negotio. Quare tantum nobis sententia GROTIANA procedere videtur, quando nexus ille inter liberos & parentes solutus fuerit; quodsi enim societas paterna iusto modo sit finita, & liberi a parentibus ex potestate sint dimissi, tunc illa obligatio & obsequium proprie sic dictum, cui liberi hactenus subfuerunt, cessat, & loco eius solum reverentiæ perennis debitum subest, quod etiam graviter læsuri essent liberi, si insciis parentibus vel posthabito eorum prudenti consilio pacta coniugalia ineant, licet deinde eiusmodi matrimonium pro nullo haberi aut a parentibus irritum reddi non possit. Examinata hac GROTII opinione paucis conferamus sententiam ISR. THEOPH. CANZII, Philosophi quondam atque Theologi Tubingensis, qui a GROTII sententia quidem recedit, at tamen GERHARDO nostro non plane adsentit, sed media quasi via inter GERHARDUM & BELLARMINUM incedere videtur; statuit enim *in disciplin. moral.* §. 1044. 1045. 1046. irritum declarari posse tale matrimonium sine consensu parentum initum, sed tolerabilius esse, coniugem non adprobatam agnoscere pro tali, quam promovere divortium, quia inter duo mala minus eligendum sit. At hæc sententia etiam habet, quod ipsi obiici potest; facile enim perspicitur, quæstionem heic non formari de eo, quid sit consilii, sed quid sit iuris? Simul quoque thesis illa, quod inter duo mala minus eligendum, & neglectio consensus paterni tanquam minus malum, cedere debeat maiori malo, sc. divortio, uti vocat CANZIUS, admodum fluctuat, cum non ita expeditum sit, quonam in casu maius malum subversatur, utrum in frivola illa neglectione consensus parentum, an in separatione a coniuge, quæ tali modo coivit, & particeps huius omissionis damnum sua culpa sibi illatum ferre debet?

Quibus ita præmissis salva manet GERHARDI de necessitate consensus parentum, eorumque iure, matrimonia sine ipsorum consensu inita annullandi, secundum ius nat. thesis, de cuius veritate nos convicti sumus; cum ius parentum in liberos secundum legem naturalem sit ius perfectum seu cum coactione coniunctum, adeoque inde descendens ius, liberorum dirigendi nuptias eodem censu habendum sit. Fluit hoc ius, eidemque respondens liberorum obligatio perfecta ex patria potestate, de cuius indole GROTIUS & contrasentientes parum adcuratam sibi formarunt notionem, effectum huius patriæ potestatis admodum exiguum, uti videtur, statuentes. At maiora exinde iura deduci posse censemus. Per hanc patriam potestatem enim, qua hæc iuris naturalis est, libertas liberorum ita circumscribitur, ut, quam-

diu in hac societate sint, actiones suas externas potissimum, qualis etiam est coniugium, secundum beneplacitum parentum suorum instituere debeant. Quodsi vero de facto societatem coniugalem citra parentum voluntatem inierint, non quidem ipso iure & absolute nullæ erunt eiusmodi nuptiæ, sed tamen pro lubitu parentum annullari eas posse, arbitramur. Nec obstat hoc in casu concubitus, qui eiusmodi coniugio essentiam dare nequit, cum consensus liberorum, uti omnium, qui ab aliena potestate dependent, absolutus esse nequeat, sed conditionatus sit, si nempe superiori placuerit. Neque vitio verti poterit parentibus, si nuptias citra eorum voluntatem contractas agnoscere nolint, quia coniugium liberorum est actus maximi momenti in familia, multis modis simul interesse ipsorum parentum respiciens. Nam alias vel invitis ipsis adcresceret onus alendi personam adductam, aut auferretur certe invitis ius patrium, quorum neutrum societati paternæ est conveniens. Ita statuit THOMASIUS *in inst. iurispr. div.* L. III. C. IV. & *in tract. iurid. de validitate coniugii, invitis parentibus contracti & per benedictionem sacerdotis depositi consummati. Lipsiae* 1689. §. 16. Præsertim vero & huc referendus *perill.* GEORGIUS LUDOVICUS BOEHMERUS *Antecessor Gœtting.* qui in erudita *dissert. de necessario parentum consensu in nuptiis liberorum cum legitimorum tum legitimatorum.* Resp. WÜRFELIO *Halae* 1740. habita, eandem sententiam proponit, & adversarios solide refutat, ubi C. I. §. 12. not. q. ita disserit: „ Qua propter minus adcurate ratiocinari videntur, qui præceptum naturale, de consensu parentum ad liberorum nuptias, pro *suasione* & *consilio* habent, idque demum lege civili *in necessitatem* converti existimant, exemplo ULRICI HUBERI *prælect. ad Inst. L. I. T. X. n. 9.* Qui, dum officium illud liberorum *ex reverentia* tantum & pietate in patrem deducant, ut LAMBERTUS GORIS *animadvers. iur. subtes. tract. III. part. I.* p. 219. adeoque id pro officio amoris seu *imperfecto* habent, omnis coactionis expertis; non ex re profecto sentiunt, dum, quod officium cogens & perfectum est, pro imperfecto venditant.

Ex novissimis Iuris Nat. Doctoribus b. ACHENWALLIUM, qui *in Iur. Nat.* L. II. S. II. T. II. §. 60. *edit. Selchow. Gœtt.* 1774. eandem cum nostro GERHARDO sententiam habet, & *Celeb.* WESTPHALIUM, qui aliquantum dubie hac de re statuit *in inst. iur. nat. artis ord. digest. Halae* 1776. C. 50. §. 739. honoris causa nominasse sufficiet. Coronidis loco his omnibus addere placet egregium locum ex Cel. DE MONTESQUIEU immortali opere *de l'Esprit des Loix*, cuius Tom. II. Cap. VII. sequentia profert belle & solide: „ Le consentement des pères est fondé sur leur puissance, „ c'est-à-dire, sur leur droit de propriété. Il est encore fondé sur leur „ amour, sur leur raison, & sur l'incertitude de celle de leurs enfans, „ que l'âge tient dans l'état d'ignorance, & les passions dans l'état d'yvresse. — Dans les Institutions ordinaires, c'est aux péres à marier leurs „ enfans; leur prudence à cet égard „ sera toujours au-dessus de toute autre prudence. La nature donne aux „ péres un desir de procurer à leurs enfans des successeurs, qu'ils sentent a „ peine pour eux-memes. Dans les „ divers degrés de progéniture ils se „ voient avancer insensiblement vers „ l'avenir. —

Ad

Ad §. 65. 66.

Argumenta ex iure civ. rom. pro neceſſitate huius paterni conſenſus.

Quæ heic GERHARDVS ex iure civili romano adfert argumenta ad probandam conſenſus paterni neceſſitatem, recta quidem ſunt, & ex ipſis legibus civilibus depromta, cum tamen huc & illuc majorem admittant illuſtrationem, eius rei gratia obſervationes quasdam de differentia inter ius naturale & ius Romanum huiusque tam antiqui quam novioris principia, & de varia ratione ipſius paterni conſenſus adjicere non erit ſuperfluum.

Iure Rom. SOLIUS patris conſenſus requirebatur.

I. Notandum eſt, in eo maxime ſe monſtrare differentiam iuris Romani a iure naturali, quod illud ſolius patris conſenſum requirat, hoc vero ad conſenſum utriusque parentis reſpiciat. Legibus enim naturalibus utrique parenti directio liberorum vindicatur, hinc in dando hoc conſenſu & mater & pater concurrunt. At de iure Romano hoc aliter ſe habet, quod patris tantum conſenſum exigit, cum leges civiles, ius liberorum actiones pro arbitrio formandi moderandique, in patris perſona tantum agnoverunt confirmaruntque, idque mirum in modum adauxerunt. Pater enim totius familiæ caput & princeps fuit, *l. 195. D. ſſ. 2. de V. S. Paterfamilias appellatur, qui in domo dominium habet;* cuius directioni ipſa materfamilias ſuberat, GEBAVERVS *de patria poteſtate* Diſſ. I. Cap. II. §. 10. uti & omnes familiæ actiones ab ipſius arbitrio dependebant. Nuptiæ vero filiorum filiarumque familias vel maxime ad familiæ negotia pertinent, ideoque in iisdem contrahendis primas patrisfamilias partes fuiſſe oportuit. *Perill. G. L.* BOEHMERVS in laud. diſſ. C. I. §. 12. & 13. Conf. & *Car. Andr.* CHRISTIANI *Gedanken von dem Unterſchied des natürlichen und Römiſchen bürgerlichen Rechts in Anſehung der väterlichen Gewalt. Königsb. 1740.*

Differentia iuris Rom. antiqui & novi ratione conſenſus iſtius.

II. Quod ad indolem huius paterni conſenſus attinet, alia æque luculenta ſe nobis exhibet differentia inter ius romanum antiquum & novum. Iure antiquo enim nuptiæ plane ab imperio paterno dependebant, ita ſcilicet, ut non modo conſenſum paternum liberi ad firmanda ſua connubia neceſſario debuerint adhibere, ſed & adeo pater liberis ſuis connubia imperare potuerit ſuo arbitratu ſine conſponſorum voluntate conſenſuque. Immenſa enim illa poteſtas patria, omnia liberorum negotia dirigens, in nuptiis eorum præſertim extra limites poſita erat, ita ut plane Patris eſſet arbitrii, quem modum eligere vellet, ſuone iuſſu nuptias imperaret, quem liberi ſuo obſequio ſtricte approbare tenebantur, an ut bonus pater conſenſu ſuo connubium liberorum moderaretur? Quin etiam, uti nuptias imperare, ita eas invitis licet coniugibus iterum rumpere, poterant patresfamilias romani. Comprobatur hoc & *ipſis legibus rom.*, e quibus ſolam *l. 22. D. de rit. nupt.* addamus, ubi CELSVS ait: *Si patre* COGENTE (*filiusfamilias*) *ducit uxorem, quam non duceret, ſi ſui arbitrii eſſet, contraxit tamen matrimonium: quod inter invitos non contrahitur: maluiſſe hoc videtur: & ſcriptoribus;* quos magno numero adfert DE LVDEWIG in diſſ. *de differentiis iuris Rom. & Germ. in connubiali imperio conſenſuque parentum. Halae 1721.* qui totam hanc materiam late pertractat, ſimul

simul etiam *Diss. I. C. I. §. 9.* illustrationis gratia demonstrat, conditionem filiifamilias ad connubium coacti, quam gravis etiam videatur, tam duram ideò non fuisse, quia patre demortuo aut post emancipationem uxorem imperatam iterum bona pace dimittere potuisset filius. Conferatur & BROUWERUS *de iure connub. Libr. I. C. 7.* ubi multa de his coactis matrimoniis in medium profert exempla. Ita sanxerat ius antiquum, at iure romano noviori rigor iste patriæ potestatis ab Imperatoribus variis limitibus circumscriptus, & imperium illud connubiale non amplius agnitum fuit; ubi vero notandum, quod hæc dispositio magis in gratiam *filiorumfamilias* tenderet, quorum certe matrimonia coacta parum legitima respiciebantur; sanxerunt enim, filiorumfamilias nuptias ex patris quidem consensu esse suscipiendas, nullum vero easdem imperandi ius patri amplius futurum. Ita enim Imp. DIOCLETIANVS & MARCIANVS *ad Sabinum* in l. 12. *C. de nuptiis* rescripserunt: *Nec filium quidem familias invitum ad uxorem ducendam cogi, legum disciplina permittit. Igitur, sicuti desideras, observatis iuris praeceptis sociare coniugio tuo, quam volueris, non impedieris: ita tamen, ut contrahendis nuptiis patris tui consensus accedat.* Idem etiam ulterius declararunt in *l. 14. C. ei.* *Tit. Filiaefamilias* vero istum favorem non ita sunt expertæ, quarum in nuptiis iura antiqua non adeò mutanda, sed eas patris imperio & arbitrio relinquendas esse censuerunt Imperatores. *l. 20. C. de nupt. In coniunctione filiarum in sacris positarum, patris expectetur arbitrium.* Filiabus itaque nihil nisi obsequii gloria remanebat; excepto solum casu, si pater homini indigno, turpi vel infami filiam elocare vellet, ad quale matrimonium ineundum eam nullo iure cogere poterat. *L. 12 D. de sponsal. §. 1. Tunc autem solum dissentiendi a patre licentia filiae conceditur, si indignum moribus, vel turpem sponsum ei eligat.* Plura hac de re habent cit. DE LUDEWIG *Diss. I. C. I. §. 9.* & G. L. BOEHMERUS *in diss. laud. C. I. §. 16. & 18.*

III. Differentiæ, quam vix recensuimus de diversa filiorum filiarumque conditione, aliam eamque haud exiguam addere possumus, ex qua apparet, præter communem istam rationem, quæ pro necessitate consensus paterni ex patria potestate, cui tam filiæ quam filii æquali modo subfuerunt, deducitur, etiam singulares easque diversas, in horum harumve nuptiis ineundis, adfuisse rationes. Et quidem, quod ad *filiosfamilias* attinet; eos inito connubio, iuris patrii nexu solutos non fuisse, sed adhuc in patria potestate remanentes etiam novam, quam duxerant, uxorem in patris familiam induxisse, notissimum est. Quum vero, quis in familiam recipiendus, vel maximum sit familiæ negotium, atque ita patrisfamilias imperio ac voluntate expediendum, huic etiam ex hac nova ratione nuptiæ filiorum subfuerunt. At hæc ratio in connubio *filiae* plane non habuit locum, quod per eius nuptias in patris familiam maritus non deducebatur; ideò vero in nuptiis filiæfamilias etiam peculiaris voluntatis paternæ requirendæ ratio deprehenditur. Nam secundum ius Romanum uxor ex patris domo in mariti familiam & ex patria potestate in manum mariti transibat; cum autem filia sine patris voluntate nubens, iure paterno se subducere, atque ita patrem dominio, quod ipsi in eam competebat, quiritario privare studuisset, quod tamen nemini invito citra læsionem auferri poterat; etiam hanc ob causam, eamque singularem, filia sine patris

Singulares rationes huius consensus in nuptiis filiorum vel filiarum.

patris voluntate contrahere non potuit connubium. G. L. BOEHMERVS. l. c. §. 13. 14.

Vindicatur GERHARDI *ſententia ex heredis agnatione deſumta.*

IV. Inter rationes, quas GERHARDVS ex iure civili ad firmandam ſuam theſin de neceſſitate conſenſus paterni deducit, & quas in *praecipuas* & *ſecundarias* dividit, pro *praecipua num. 2.* adſumit eam *de hereditatis ſucceſſione, ne patri invito heres agnaſcatur:* ubi id animadvertendum cenſemus, hanc rationem iurisconſultis quibusdam, ſpeciatim LAVTERBACHIO *in Coll. theor. pract.* L. XXIII. T. II. §. 22. adæquatam & legitimam non videri, & quidem ex duplici fundamento; 1) quod & in aliis negotiis liberorum conſenſus parentum a lege requiratur, in quibus vero nulla ſit metuenda agnatio ſui heredis: 2) quod & filia nubens opus habeat conſenſu parentum, ex qua tamen patri ſuus heres non agnaſcatur, quum quippe nepos ex illa natus non veniat in poteſtatem avi materni ſed paterni. Hæc autem argumentandi ratio nobis non ita comparata videtur, ut a GERHARDI ſententia recedamus, quam potius optime defendere poſſe confidimus, cum argumenta a LAVTERBACHIO in contrarium prolata, ſi penitus inſpiciantur, plane non ſint adverſa. Primum enim dubium nititur admodum falſa conſequentia, dum heic a diverſis male fit illatio. Alterum vero procedit quidem eo in caſu, ſi de nuptiis filiarum ſermo eſt, at in nuptiis filiorum cum agnatio heredis metuenda ſit, probat hoc in caſu contra LAVTERBACHIVM. Cæterum nemo negabit, argumentum a patria poteſtate deductum a GERHARDO ipſo, primariam & principalem eſſe huius conſenſus rationem, idque principiis iuris Romani plane conveniens eſſe; ideo vero hoc alterum argumentum non eſt contemnendum, ſed firmum & grave iis inprimis caſibus haberi debet, ubi ipſum ius Romanum ad hanc agnationem reſpicere ſolebat, quales caſus admodum frequentes fuerunt. Si nempe de nuptiis nepotis patre adhuc vivente & in poteſtate patris ſui ſc. Avi exiſtente, ſermo fuit; nonne hoc in caſu & avi paterni & patris conſenſus una requirebatur? Sine dubio neceſſarius erat conſenſus avi, ob patriam poteſtatem, qua hic præditus erat, ſimul vero & patris conſenſus, at non ob eam cauſam, cum hic ipſe patriæ poteſtati ſubeſſet, ſed ob illam agnationem ſui heredis; obſervabatur enim heic iuris romani ſententia, nemini invito heredem agnaſci *ſſ. 7. ff. de adopt.* ad quem textum ipſe GERHARDVS provocat. Si enim nepos ſolius avi conſenſu contentus, neglecto patris conſenſu, nuptias contraxiſſet, & liberos procreaſſet, patri intermedio invito heredes nati eſſent, quod tamen paſſa non eſt ratio iuris romani. Id vero ſaltim de nuptiis nepotum, non autem de neptibus nubentibus intelligi, iam obſervatum. Clara hac in re eſt diſpoſitio *l. 16. §. 1. D. de Ritu nupt. Nepote uxorem ducente & filius conſentire debet, neptis vero ſi nubat, voluntas & autoritas avi ſufficiet.* vid. & ANTONIVM MATTHÆI *in Comm. ad Inſt. L. I. T. X. n. 20.* & VINNIVM *ad Inſt.* L. I. T. X. *in princ. n. 4.*

Lex de conſenſu paterno non eſt ſuaſoria ſed prohibens.

V. Denique adhuc obſervare licet, inter rationes, quas GVIBERTVS COSTANVS in contrarium affert, quibusque GERHARDVS noſter reſpondet, eam, quam nr. 7. poſuit, non ſatis eſſe refutatam. Fuit enim obiectio hæc, *ſanctionem romanam de conſenſu paterno habendo eſſe legis ſuaſionem;* & ſine dubio levitas huius dubii effecit, ut GERHARDVS paucis-

pauciſſimis reſpondeat, ſuadere heic idem eſſe ac imperare. Nos ſaltim heic addamus, plerasque leges, inprimis *l. 2. & 18. D. de Ritu nupt.* apertis & claris verbis hunc conſenſum tanquam neceſſarium requirere, easque nullo plane fundamento tanquam textus ſuaſorios reſpici poſſe. Nihil vero clarius eſſe poteſt, *l. 10. eod.* in qua aſſeritur, quod liberi, quorum pater iuſto diutius abeſt, *non prohibeantur*, eodem inſcio nuptias legitimas contrahere. Ex quo ſponte conſequitur, quod patre præſente, eoque inſcio ac invito, liberorum nuptiæ prohibeantur, quod itaque lex, de matrimonio ſine conſenſu parentum non ineundo, hoc intuitu ſit numero *legum prohibentium.* Quibus ita præmiſſis, facile patet, GERHARDI ſententiam principiis iuris romani plane conformem eſſe, &, quidquid etiam obmoveant adverſarii, tale matrimonium liberorum invito vel inſcio patre contractum illegitimum, imo plane invalidum fuiſſe & nullum. Pluribus hoc ex ipſis legum argumentis evincunt: ANT. SCHVLTINGIVS *in Iurispr. Ante-Iuſtin. edit. Lipſ. 1737. p. 300.* ubi locum PAVLI obſtantem explicat; HENR. BROVWERVS *de iure connub.* L. I. C. VII. p. 59. G. L. BOEHMERVS. l. c. C. I. §. 26. 27. DE LVDEWIG l. c. Diff. II. C. III.

Ad §. 68. ſqq.

Sententia iuris canonici antiqui de neceſſitate huius conſenſus.

Quas ab hoc inde §. ſequentibus aliis profert GERHARDVS ſententias ex *iure canonico* deſumtas, ſuæ de neceſſitate conſenſus parentum opinioni conformes, ita comparatæ ſunt, ut multos quidem canones & dicta patrum in medium adferat, quæ non abeunt ab ipſius ſententia; ſed ſimul etiam multa ipſi ſunt contraria, quæ vero cum ſuis ſupra poſitis & ex iure divino, naturali & civili firmatis theſibus conciliare ſtudet. Agnoscit quidem ipſe in hoc & 78. §. variare hac in re iurisconſultorum ſententias, eosque inter dari, qui heic diſtinguant canones veteres & recentiores, attamen in horum ſententiam non inquirit. Nobis ideo non videtur ſuperfluum, heic examinare ſententiam ita ſentientium, quæ non tantum indoli iuris canonici novioris magis convenire, ſed & haud parum ad illuſtrationem GERHARDI facere videtur. Quare hiſtoriam doctrinæ iuris canonici in hac materia matrimoniali breviter tractemus, & varia pro diverſitate temporis iuris huius ſanctiones proponamus. Priſco ævo matrimonium non cenſebatur negotium eccleſiaſticum, ſed mere civile, quod hinc legibus ſubiectum erat civilibus, & ſecundum eas dirigebatur; ipſe TERTULLIANVS *L. II. ad uxor. cap. ult.* huius antiquæ praxeos teſtis eſt, provocans ad leges civiles his verbis: *quam nec in terris filii ſine conſenſu patrum recte & iuro nubunt:* quem locum GERHARDVS etiam adducit (§. 72.) ubi ſententiam ſuam teſtimoniis patrum firmat. Quam ob rem matrimonium ſine conſenſu paterno initum habeatur illegitimum & nullum, & patres de validitate matrimonii aliter iudicare non poterat, quam ſecundum leges civiles: ideo etiam leges Imperatorum in cauſis matrimonii latæ ab eccleſia agnitæ & probatæ fuerunt, nec illa ſibi hac de re leges ferendi ius arrogavit. PETR. FR. CVRRVERIVS *in not. ad ſarpii hiſtoriam concil. trident. tom. II. p. 684. n. 63.* Errat hinc BELLARMINVS ſtatuens, (§. 69.) in hiſce canonibus (vetuſtioribus ſcilicet) non definiri, quod coniugium abſque parentum conſenſu contractum ſit irritum. Quamvis enim negari non poſſit,

sit, ecclesiam sensim sensimque potestatem leges de causis matrimonialibus ferendi sibi vindicasse, cui rei principum præcipue indulgentia ansam dedit, uti egregie observat alleg. CURAVERIUS *l. c.* verbis: „Mais la connoissance de causes „ matrimonielles lui aiant eté attribué, „ ensuite elle se crût en droit, de faire „ des Loix elle-meme, & se mit en cet„ te possession par la connivence des „ Princes.„ Tamen ea, quæ legibus secularibus erant sancita parcius cautiusque immutata & conciliorum canonibus potius confirmata fuisse, multis argumentis comprobari potest: In istis enim provinciis, in quibus ius romanum in primis floruit, velut in Italia & in Oriente iuris civilis præcepta sæpissime repeti solebant, uti multa statutorum canonicorum exempla commonstrant. C. 1. C. XXVII. qu. 2. C. 3. 4. C. XXX. qu. 5. C. 12. 13. 16. C. XXXII. qu. 2. Et sic etiam conciliorum decreta, quantum fieri potuit, legibus secularibus attemperata fuere, quare canones Galliæ præsertim parentum consensum requirebant. Vid. G. L. BOEHMERUM *in diss. cit. c. III. §. 62. not. z.* ubi varias conciliorum Galliæ constitutiones Sæc. VI. latas ex HARDUINO profert, parentum consensum in liberorum nuptiis non solum desiderantes sed plane imperantes. Quæ quum ita se haberent, manifesto liquet, matrimonium tale, invitis parentibus initum, iuri canonico repugnasse, & ratum non fuisse habitum. Unde ex ipsa huius iuris sententia non valebat & subsistebat, sed stupri instar fuit. C. 1. C. XXX. qu. 5. cuius verba ipse GERHARDUS adducit: ubi vero simul ex I. H. BOEHMERO in I. E. Pr. L. IV. T. 2. §. 2. observandum; canonem hunc non esse genuinum, sed epistolam PSEUDO-EVARISTI ab ISIDORO compilatam & huc relatam, ideo tamen tanquam testimonium ex antiquitatibus prisci ævi attentionem mereri. Conferatur & IOH. LAUNOIUS, in libro *Recueil de diverses ordonnances concernant le mariage clandestin.* In oper. P. I. T. II. p. 1067. sic porro statuebatur, tale matrimonium ad preces parentum improbari & dissolvi posse. *C. 3. X. qui matrim. accus. poss.* ubi CLEMENS III. P. P. *parentum* in liberorum matrimonio ineundo consensum adeo necessarium decernit, *ut si non interfuerint & consensum non adhibuerint, secundum leges nullum sit matrimonium.* Valuit hæc sententia de invaliditate matrimonii sine consensu parentum celebrati, usque ad Sæc XIII. uti observat IO. PETR. CIBERTUS *in Corp. Iur. Can. per regulas natur. ord. digest.* Tom. III. Part. III. p. 89. At hæc iuris canonici facies deinde mutata est, postquam matrimonium ad negotia ecclesiastica plane relatum fuit, cui rei nova quædam opinio potissimum occasionem dedisse videtur. Sub matrimonio enim mysterium unionis Christi cum ecclesia adumbratum sibi finxerunt patres ecclesiæ, hinc que præconcepta opinio sacramenti, quod matrimonio inesse. cuiusque vis a parentum potestate haud pendere credebatur, pro principali & fere unica vinculi indissolubilis causa tradita fuit & agnita. Recentior hæc doctrina eum necessario habuit effectum, ut noviores sanctiones canonicæ recederent a vetustioribus, & iam irrita non amplius declarari possent talia matrimonia, sed ex illo fundamento indissolubilitatis pro validis haberi deberent, quamvis ceterum ipse consensus paternus a legibus ecclesiasticis non reiiceretur. Præterea etiam hanc novam opinionem magis firmarunt perperam intellectæ Pontificum constitutiones, quarum erronea interpretatio errorem istum aluit & promovit. *Conf.* HENR. BROUWERUS *de iure connub. L. I. Cap. IX. p. 71.* Interim

negari non potest, multos adhuc fuisse, qui veterem saniorem sententiam tuebantur, & istiusmodi coniugia irrita & nulla declaranda esse contendebant; quod variis occasionem dedit disceptationibus, cum cæteri pro noviori adversa sententia magno ardore pugnarent. Sine dubio in gratiam horum Imperator Carolus V. constitutionem illam, de liberorum coniugiis parentum ingratiis initis haud scindendis, rogavit; quæ sanctio *in Rec. Imp. de anno MDXLVIII.* seu *declaratione religionis* vulgo *Interim* Art. XXI. §. 9. continetur; cuius verba *alleg.* DE LUDEWIG p. 36. & G. L. BOEHMERUS adducunt; qui simul C. IV. §. 85. & not. t. probat, hanc constitutionem, a solo Imperatore non exquisitis statuum imperii sententiis promulgatam, nec illis probatam fuisse, & hinc legis imperii nomen & auctoritatem non mereri.

Præsertim vero in concilio tridentino quæstio hæc acrius quam ullo vix tempore agitabatur, cum iam patres eo tenderent, ut hac in materia normâ aliqua firma & sanctio constans statueretur; controversiæ huius historiam dederunt SFORTIA PALLAVICINI *in hist. concil. trident.* L. XII. cap. IV. & L. XXIII. *cap. V. & VIII.* PAULUS SARPIUS *in hist. conc. trid.* L. VIII. §. 38. 40. 66. Post varias etiam deliberationes finis liti factus est, cum per maiora suffragia *A. D. XV. cal. novembr. anni MDLXIII* probatum cautumque est, talia connubia sine parentum consensu contracta vera & rata esse. Ipsa CONCILII TRIDENTINI sanctio in SESS. XXIV. *de reformat. matrim. cap. 1.* talis est: „ Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu ecclesia irrita non fecit, & proinde iure damnandi sunt illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, „ qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit.

Et hæc est illa patrum tridentinorum sententia, quam GERHARDUS (§. 71.) tanquam suæ opinioni conformem adducit, ex eo, quod ipsi statuant, *ecclesiam illa matrimonia semper esse detestatam;* quare etiam eos contradictionis adcusat, quod simul talia matrimonia irrita declarari vetent; quæ contradictio tamen, licet satis sit manifesta, inde est derivanda, quod patres hic ad novioris iuris canonici sententias respiciant, & agnoscant, olim, ob rationes iuris antiqui detestanda fuisse talia matrimonia, hodie tamen ob concurrens sacramentum ea irrita non esse declaranda. Defenderunt hoc modo patres sententiam, quam simul reformarunt, validitatem talium coniunctionum noviter statuentes. Vid. præter citatos Auctores etiam I. H. BOEHMERUM *in iur. eccl. protest.* L. 4. T. 2. §. 2. sq. SCHOEPFFIUM dec. 243. n. 5. sq. & THOMASIUM *in diss. cit. §. 20.* Huic de sententia concilii tridentini sententiæ duas saltim addimus observationes, usum illius respicientes; primo enim notandum est, in gallia huius doctrinæ plane nullum esse usum: Nam Galli, uti tridentino concilio subscribere omnino recusarunt, ita etiam liberiores manus hoc in argumento habere voluerunt. Prostant enim multæ constitutiones connubiales, diversis temporibus ante & post concilium hoc a galliæ regibus editæ, vi quarum matrimonia sine consensu parentum contracta interdicta sunt. Mirum hinc non est, quod posthabito, quod patres tridentini minan-

nantur, anathemate, scriptores gallici regum hac in re auctoritatem acriter defendant, ex quibus in primis iam citatus IOH. LAUNOIUS huc referri meretur, qui in libro *regia in matrimonium potestas Part. II. Art. V. C. V. p. 297.* non dubitavit adserere; Esse omnino regum ac principum leges scribere connubiales, quibus etiam dirimere queant matrimonia aut illa habere pro nullis, si quidem vel dissenserint parentes vel neglectus sit eorumdem consensus a liberis improbis & immorigeris. Latius de usu huius doctrinae in gallia differit, varia gallorum scripta producens DE LUDEWIG *in cit. diss. de connub. imp. cons. par.* Diff. II. C. VIII. §. 3. 4. cui iungendus I. H. BOEHMERUS *in iure eccl. protest. L. IV. Tit. II. §. 5.*

Denique observandum quoque est, etiam inter eos pontificios, qui concilium tridentinum agnoscunt, semper disputatum fuisse, utrum haec concilii sententia ad *dogmata fidei* pertineat, an ad *disciplinam?* Quae quaestio inanis non est, cum iura imperii civilis sublata essent, si ad dogmata fidei referenda sit, quod sine dubio fuit propositum patrum tridentinorum, qui soli ecclesiae vindicare voluerunt ius matrimonia valida vel irrita declarandi. Utriusque sententiae argumenta proponit, mediam secutus, cit. GIBERTUS *in prolegom. ad corp. iur. can. tit. XX. sect. XIII. p. 176.* „Hoc decretum, inquit, significat, matrimonia, a filiisfamilias absque consensu parentum contracta, rescindi posse a principibus atque ab ecclesia; nam restringit anathema ad eos, qui affirmant, eorum rescissionem a parentum arbitrio pendere; atque ita permittit existimare, quod eiusmodi ius ad alios pertineat, scilicet principem & ecclesiam. Porro usus huius iuris meram disciplinam respicit, quae iuxta tempora, loca & personas temperanda esse dignoscitur.„ Vid. G. L. BOEHMERUM *in cit. diss. C. III. §. 66. not. n.*

Ad §. 82.

Sententiae professantium variae de necessitate huius parentum consensus.

Praemissis argumentis ex iuris naturae & romano desumtis, examinatisque diversis iuris canonici sententiis GERHARDUS iam hoc in §. suam sententiam testimoniis scriptorum evangelicorum ulterius firmare studet, quem in finem non solum multa eaque solida adfert, sed obiectionibus adversariorum sufficienter respondet. Principalis quaestio heic eo redit, *an talia matrimonia invitis parentibus contracta, nulla declarari queant, licet etiam benedictione sacerdotali consummata sint, nive copula carnalis accesserit?* Quam quaestionem GERHARDUS adfirmat, cuius sententiae etiam nos lubentes subscribimus, illique, quae ex novioribus scriptoribus hac de re adferuntur, maioris probationis gratia, addimus: Licet enim haec ipsius sententia iuris professantium ecclesiastici principiis quam maxime conveniat, tamen negari nequit, multos dari tum ex scriptoribus nostris aliter plane sentientes, tum & passim haud paucas ecclesiarum nostrarum ordinationes iusto maiori favore prosequi eiusmodi matrimonia. Quam ob rem diversas istas sententias & sanctiones adducere, simulque in rationem huius dissensus inquirere non abs re erit. Et quidem quod ad ordinationes ecclesiasticas attinet, variae inter illas varia constituunt hac in materia matrimoniali; *aliis*, nuptiae sine parentum consensu initae cassae

& irritæ declarantur; ita disponunt *constitutio matrim. Marchica* §. 15. *in corp. constit. March. tom. I.* p. 121. & similiter, ius *Brunswico-lüneburgense* iuxta *edictum reg. de a 1733.* in *corp. const. cal. tom. I.* p. 940. ius *Guelphicum*; vi *constitut. renov. wegen verbotenen heimlichen Verlobungen* de a 1725. quæ extat *in der Fürstl. Braunschweig - Lüneburg - Wolfenbüttelischen Theils Landesordnung.* p. 154. 155. *Hamburgense*, vi *edicti Hamb.* de a 1670. *Hennebergium*, teste SCHILTERO *in praxi iur. rom. ex III. §. 12. Argentoratense. constit argent.* Vol. I. C. LI. n. 27. *Aliis* vero sub certa tantum restrictione annullantur eiusmodi nuptiæ, uti exempli gratia patet ex *Constitutione* OTTONIS HENRICI ELECTORIS PALATINI *de causis matrimonii, de anno MDLVI.* in qua tum demum coniugium, invitis parentibus contractum, dissolvi iubetur, si parentes, sollicita liberorum educatione habita, nullam eius consilii a liberis coepti causam dederunt, sic & in nonnullis adstricta est necessitas huius consensus ad certum ætatis terminum. vid. *Landes Gerichts - Ordnung des Herzogthums Franken* p. 281. *die Kirchenordnung der Stadt Genff de anno MDLXVI. art. 100. p. 41. Aliis* denique ordinationibus sustinentur eiusmodi matrimonia, pœna saltim illis, qui se adversus legum prohibitionem iunxerint, indicta: quorsum pertinet pœna pecuniaria, exheredationis, carceris, nuptiarum indotatarum, aliæque similes. *Ordin. eccles. saxon.* tit. *von Ehesachen*, quæ parentibus læsis liberos dimidia legitimæ parte privare permittit. Vid. HENRICI GRIEBNERI diss. *de exheredatione liberorum sine parentum consensu sponsalia nuptiasve contrahentium* §. 9. FRID. AUG. WILH. DE WITZENDORF diss. *de exheredatione liberorum sine consensu parentum nuptias contrahentium Gætt.* 1757. THOMASII diss. *de causis exheredandi Noricorum.* th. 46. *Constit. eccles. Pomeraniae*, in MOSERI *corp. iur. eccles. tom. I.* p. 40. quæ in tali connubio nec dotem nec donationem propter nuptias statuit, sponsalia vero eiusmodi clandestina nulla declarantur in *ord. polit. Pomeran.* de a 1681. c. IX. p. 15. conf. & *die Cellische und Grubenhagische Kirchen - Ordnung* de anno MDCXIX. cap. 189. Alias pœnas dictant *Constit. matrim. Rotenburgensis* de anno MDCLVI. *Ord. eccles. Coburgensis* apud MOSERVM Tom. I. p. 450. *Ordin. Prov. Altenburgensis* P. I. Cap. VIII. Tit. I. §. 9. de dispositione iuris statutarii Francofurtensis singularis prostat tractatio JOH. EBERH. SIEGLERI *de aequitate iuris statutarii Francofurtensis circa validitatem matrimonii sine consensu parentum contracti. Giess. 1750.* cui iungendæ. *Die Anmerkungen über die sogenannte erneuerte Reformation der Stadt Frankfurth am Mayn II. Fortsetz. p. 163.* plures constitutiones adfert *Perillustr.* DE SELCHOW *in Elem. Iur. Germ.* Part. spec. L. II. C. I. S. I. T. II. §. 415. sq. Uti adlatæ ordinationes matrimoniales diversas admodum contineant sanctiones, ita non minus scriptores nostri in varias super hac quæstione abeunt sententias. Multi inter hos cum GERHARDO consentiunt, eiusmodi matrimonia nulla statuentes; ROSTOCHIENSES, tam theologi, testante DE LVDEWIG in cit. diss. p. 40. quam iurisconsulti, quorum responsum, in casu connubii a filio invito patre contracti datum, THOMASIVS suæ dissert. sæpius cit. p. 38. sqq. cum omnibus actis adiecit; qui etiam simile responsum FACVLTATIS IVRIDICÆ KILONIENSIS adiunxit; quibus alios eosque celebratissimos Viros addere possumus; BESOLDVM *in consult.* Part. V. Cons. CCLVI. n. 30. LAVTERBACHIVM *in coll. theor. pract.* LXXIII. Tit. I. §. 14. & §. 44. SAM. STRYCKIVM *in notis ad Brunnemanni ius eccles.* L. II. C. XVI. §. 8. 10. SCHOEPFFIVM *in Dec. Part. II. Dec. CCCXLIII.* & J. H. BOEHME-

MERVM *in Iur. Prot. Eccl.* L. IV. T. II. §. 20. sqq.

Haud pauci vero etiam sunt contrasentientes, qui eiusmodi spoosalia valida esse contendunt, quorum numero sunt LIPSIENSES tam theologi, quam iurisconsulti, quorum responsa referunt DE LVDEWIG *in diss. de connub. imp.* Diff. II. Cap. VIII. §. 6. & THOMASIVS *in append. ad all. diss. p. 91.* ex quibus vero multi etiam limitatas proferant sententias, testante LVDEWIGIO l. c. At longiori scriptorum catalogo non immorabimur, cum multi nostrorum tam ipsos hos auctores quam leges in utramque partem congesserunt; uti DEDEKENNIVS *Tom. III. Consil. Lib. IV. Sect. I. n. 10. & Sect. IV. n. 6.* nec minus *in adpendice consiliorum.* & præcipue BRVCKNERVS *in decis. matrim.* C. II. n. 81. usque ad finem; qui simul *in adpend. ad hoc. Cap.* p. 139. sqq. sententias nonnullorum consistoriorum & duas epistolas a LVTHERO hac in materia emissas adfert. Potius vero in ipsam huius dissensus rationem inquiramus, & GERHARDI sententiam ex noviorum argumentis illustremus. Et quidem variæ se heic nobis exhibent causæ, cur nostri scriptores tam parum uniformes sint in hac ardua materia; principalis ratio sine dubio quærenda est in adplicatione iuris canonici incauta. Constat enim plurimos iuris consultos evangelicos inde a tempore reformationis principiis iuris canonici nimium adhærentes, etiam his in materiis a tramite huius iuris non recessisse, quin potius ad textus illius provocasse, & probationes inde petiisse; quam ob rem ipse LVTHERVS olim inconsultam istam receptionem improbavit, & iurisconsultis ius canonicum imprudenter sequentibus, dicam scripsit. Test. SECKENDORFIO *in histor. Luther.* L. III. sect. 32. §. 126. Factum inde, ut multi, talia matrimonia iuxta ius canonicum rata & indissolubilia iudicaverint, non distinguentes inter ius canonicum antiquum & novum, nec considerantes, quod hoc a patrum antiquorum tramite tantopere recesserit; atque hoc modo reliquiæ sacramenti, in fora, in scholas imo in leges & ordinationes nostras transmissæ sunt. Vid. I. H. BOEHMERVM l. c. L. IV. t. II. §. 25. ubi late contra GRIEBNERVM has reliquias negantem distinguit; & PERTSCHIUM *in elem. iur. can. & proteſt. eccles.* L. II. §. 735. qui aperte id inter reliquias doctrinæ de sacramento matrimonii refert, quod apud protestantes thesis de validitate huius coniugii adsumta sit.

Præter hanc & alia ratio hæc quoque fuit, quod olim apud ipsos germanos non una eademque de eiusmodi nuptiarum valore fuerit legum sententia; iure enim *Alemannico* tales nuptiæ improbatæ sunt & scissæ; unde sine dubio ortum traxit paræmia illa germanica: *Heimlich Verlœbniß ſtiftet keine Ehe;* de qua conf. EISENHARDT *Grundſaeze der deutchen Rechte in Sprüchwörtern.* p. 98. apud alios vero germaniæ populos tolerabantur, indicta saltim pœna pecuniaria aliave, quod ex legibus *saxonum, frisonum, burgundionum & wisigothorum* probat, G. L. BOEHMERVS *in* diss. cit. C. II. §. 57. 58. Denique etiam id observandum, quod ipsi principes legislatores, incommodis ex dissolutione talium nuptiarum oriundis moti, eas tolerare, pœnæque nullitatis alias substituere maluerint. G. L. BOEHMERVS l. c. C. IV. §. 88. Quæ quum ita se habeant, mirum non est, dari adeo inter iurisconsultos, qui statuunt, esse thesin iuris communis ecclesiastici, quod matrimonia sine consensu parentum contracta, si consummata sint, non possint annullari. Ita sentit etiam G. L. BOEHMERVS, qui, licet in sæpius citata

ta differtat. C. IV. §. 85. antea ſtatuiſſet, tales nuptias nullas eſſe, tamen novio-ri tempore ſententiam ſuam mutaſſe videtur, dum *in principiis iur. can. ſpeciat. iur. eccl. publ. & priv.* edit. nov. L. III. ſect. II. t. III. §. 369. contrariam theſin amplexus ſit, verbis: „Sin benedictio„ ne ſacerdotali conſummata ſint (ſpon„ ſalia clandeſtina) ſubſiſtit matrimo„ nium inter contrahentes, nec paren„ tibus *iure communi* ius datur, ad illud „ annullandum agendi, quamvis id iis „ datum ſit *iure particulari.*„ Nos vero, etſi alias argumenta & doctrinas huius viri maximi æſtimamus, hanc theſin probare non poſſumus, dum perſuaſi ſimus, inter tot & tantas controverſias neutram theſin tanquam generalem & iuri communi eccleſiaſtico propriam reſpici poſſe; ſimul vero ea, in quam GERHARDUS inclinat, ſententia de nullitate talis coniugii, principiis iuris magis conformis nobis videtur. Quidquid etiam obiiciant contraſentientes, eorum tamen argumenta tanti ponderis non ſunt, ut facile refelli non poſſint. Potiſſimum id urgent, GERHARDUM aliosque adfirmantes, iura romana relictis iuribus patriis ſine ratione & nimium ſecutos eſſe. Ita argumentatur DE LUDEWIG in diſſ. *de connub. imp.* Diff. II. C. VIII. §. 16. aliique. At facilis eſt reſponſio: Verum quidem eſt & indubitatum iura patria præ peregrinis ſemper prævalere, ubi diverſa ſint utriusque iuris romani & iuris germanici univerſalis principia, quodſi autem iuris patrii ſanctiones deficiunt, deciſionem ex legibus peregrinis petendam & hunc in finem ius romanum in ſubſidium receptum eſſe, æque verum eſt. SCHILTERUS *in praxi iur. rom. & germ. Exerc. I. & II.* HEINECCIUS *in hiſt. iur. rom. & germ. Lib. II. Cap. IV. §. 114.* Atqui vero in huius quæſtionis deciſione patriis iuribus univerſalibus deſtituimur, cum ſupra iam obſervatum ſit, leges germanicas ipſas admodum variare, nec univerſale principium ex illis deſumi poſſe; recurrendum igitur ad iuris peregrini ſanctiones. Inſpiciamus hinc, quod primum ſe nobis exhibet, ius canonicum, de quo iam obſervatum, quod tanta inter ius antiquum & novum intercedat differentia. Novum, in concilio tridentino ſtabilitum, a noſtra eccleſia plane non eſt agnitum, nec adeo recipi potuit, ob novas illas ideas excogitatas, quas noſtra eccleſia ſemper reſpuit, & a quibus recte meritoque abhorret, licet, quod maxime dolendum, tam multi proteſtantium incauti doctrinam illam de ſacramento matrimonii applicuerint. Reſtat igitur ius canonicum antiquum, & plus ſane præſtat, eius principia ex dictis patrum depromta & rationi noſtræ eccleſiæ convenientia adſumere & in uſus noſtros vertere, quam ex fonte tridentino haurire. Quid autem, quæſo, ius canonicum antiquum continet aliud, quam principia iuri romano apprime reſpondentia, quin ex eo deducta & adprobata? Quare nullus unquam, qui æquo hæc perpenderit animo, uſum hunc iuris romani, eiusque adplicationem, quam GERHARDUS aliique cum eo magni viri, recte & convenienter faciunt, reprehenſurus erit. Sicut itaque ius romanum tanquam ius commune & ſubſidiarium receptum, ita hæc iuris romani ſanctio, ſententiis iuris canonici antiqui corroborata, *ſine patris conſenſu nuptias liberorum nullas eſſe*, in conſtitutionum provincialium defectu merito obtinet. Vid. G. L. BOEHMERUS, qui uſum hunc iuris romani defendit, & aliud ſimul argumentum probationis gratia adducit, quo demonſtrat, etiam olim hæc principia romana apud germanos valuiſſe; *in cit. diſſ. §. 85. not. v.* his verbis: „ut tamen factæ eius„ (iuris romani) „ receptionis vel aliquod „ ſaltim in hoc argumento extet indi„ cium,

„ cium, provocamus ad CAROLI V. „ constitutionem, (quam nos supra ad „ §. 68. citavimus) qua suis temporibus „ fuisse declarat, qui talia matrimonia „ scindenda esse sentirent, quorum sen„ tentiam suo edicto evertere frustra ni„ tebatur. Hanc vero ita sentientium „ doctrinam ex iure romano desumtam „ fuisse, facili coniectura colligimus.„ Quod autem reliquas obiectiones attinet, his sufficienter respondent argumenta a GERHARDO ipso prolata, quæ ita sunt comparata, ut non indigeant ulteriori suffulcro. Nam in omni casu, sive sponsalia liberorum clandestina per benedictionem sacerdotalem, sive adeo per copulam carnalem consummata sint, vera est thesis, accedentem istam copulam talem coniunctionem in se illicitam validam reddere non posse. Et quidem si de *sola carnali copula* sermo sit, nemo sanus contendere poterit, actum in se vitiosum per novum vitium & accedens delictum purgari, & tales coniunctiones transire in verum matrimonium. Vid. BRÜCKNERUM *in dec. matr.* c. 2. n. 95. ubi his utitur verbis: *qui contra parentum voluntatem carnaliter se commiscent, hos non Deum sed diabolum coniunxisse, dici posse, cuius nexum Dei vicarios utique, ad instantiam parentum solvere teneantur.* BOEHMERUM *in iur. eccl. pr.* L. IV. t. II. §. 20. LAUTERBACHIUM l. c. §. 14. RICHTERUM in dec. 8. n. 93. *perill.* HOMMELIUM in raps. quæst. in foro quotidie obvenient. p. I. obs. 244. LYNCKERUM in resp. 102. SCOEPFIUM *dec. cit.* n. 16. Casum huc pertinentem ex hodierna praxi decisum continet collectio utilissima ius statut. Francofurtense illustrans *Sammlung merkwürdiger Rechtshändel samt ihren Zweifels- und Entscheidungsgründen, wie auch verschiedener Rechts- und anderer Materien, welche zu weiterer Erkenntniß und Erleuterung sowohl der deutschen gerichtsüblichen Rechtsgelahrtheit überhaupt, als besonders der Frankfurter Reformation und Anmerkungen darüber nüzlich angewendet werden können.* P. VIII. *Frankf.* 1771. n. 2. vid. & SCHOEPFFERUM in *diss. de necess. parent. cons. ad nupt. liber.* cap. I. n. 26. præsertim vero IOH. FLOR. RIVINUM *in sing. progr. de sponsalibus clandestinis & sine consensu parentum initis, etsi concubitu firmatis, pro nullis & irritis declarandis. Lips.* 1738. Altero in casu, si benedictio sacerdotalis accesserit, dubium aliquod subversari videtur, cum multi, erronea iuris canonici novioris adplicatione seducti, quod vix latius demonstravimus, benedictioni sacerdotali tantam vim tribuant, ut ex eiusmodi coniunctione verum efficiat matrimonium. At maximopere hi errant; manifestum enim est, benedictionem sacerdotalem, tanquam actum accessorium, solas legitimas coniunctiones firmare, neutiquam vero rem illicitam efficere posse licitam, quod sine dubio esset abusus nominis divini maxime detestandus. Admodum apte obiectionem illam, ex illo dicto: *quod Deus copulaverit, ab homine separari non debere;* desumtam refellit, citata *ordinatio Ottonis Henrici electoris Palatini, de causis matrimonii de a.* 1556. verbis: „ *Aber „ was aus Unverstand, Betrug, Undank„ barkeit und unrechtmäßig, wider göttlich „ und natürlich Ehrbarkeit, geschicht, das „ soll man dem gnädigen Willen Gottes nicht „ zuschreiben. Hierauf so ein junges, wi„ der alle Billigkeit sich ohne Bewilligung „ der Eltern, zu dem andern ehlich ver„ lobt; soll es nicht für eine Zusammenfü„ gung Gottes, sondern des bösen Feindes „ geacht, und demnach für unbündig ge„ halten werden.„* Et quamvis nonnulli putent, scandali evitandi causa, talem coniunctionem rescindi non posse, sed tolerandam esse, tamen hoc argumentum plane nihil probat; auctoritas enim ecclesiæ requirit, ut actus ecclesiastici omni vitio careant, & omne id, quod

quod dolo malo ab ecclesia impetratum, vel cum ipsius detrimento a corruptis eiusdem ministris concessum, declaretur irritum; sin igitur tali in casu benedictio sacerdotalis accederet tali coniunctioni illicitæ, ecclesia tanquam decepta respicere deberet, & talia sponsalia ob defectum consensus paterni invalida per copulam istam nullo modo convalidari possent. Alias enim, si hoc concederetur, aperta liberis præberetur occasio, auctoritatem parentum, ipso opitulante actu ecclesiastico, eludendi. Apte & prudenter eam ob rem potentissimus Rex Borussiæ *in edicto de anno* 1694. §. 9. ita edixit: „ *Da sichs auch* „ *zutrüge, daß Kinder, welche ihrer Eltern Consens und approbation so fort* „ *nicht erlangen können, umb ihren Zweck* „ *desto eher zu erreichen, andere* unzu- „ læssige und straffbahre Mittel *ergriffen,* „ *und entweder ad concubitum & copulam* „ *carnalem mit den von ihnen begehrten* „ *Personen schritten, oder sich heimlich* „ *copuliren liessen; so wollen und verord-* „ *nen wir hiemit, daß den Eltern ihr con-* „ *sensus von den Kindern auch* per eius- „ modi concubitum vel per benedictio- „ nem sacerdotalem *keines weges abge-* „ *zwungen werden soll*, quod & ulterius §. 15. & 16. declaratur, verbis. „ *Wae-* „ *re es auch Sache, daß, gleichwie bereits* „ *oben Erwehnung geschehen, das* matri- „ monium absque parentum consensu „ per copulam carnalem & benedictio- „ nem sacerdotalem *von denen Kindern* „ *heimlich und* de facto *vollzogen worden,* „ *so soll in der Eltern freyen Willen stehen,* „ *ob sie einen von vorgedachten wegen er-* „ *wählen, oder bey unserm Consistorio* „ *umb gaenzliche cassation und Aufhebung* „ *solcher Ehe, anhalten wollen, immassen* „ *denn dergleichen Beginnen nicht allein* sub „ lege punitionis, *sondern auch nach Ge-* „ *legenheit der hiebey etwa vorkommenden* „ *Umstaende, gar* sub lege annullationis „ *hiemit ausdrüklich verbothen wird.* Vid. I. H. Boehmerum. l. c. §. 22. sq. & L. IV. T. III. §. 51. Brücknerum l. c. n. 101. ubi magnum numerum scriptorum consentientium adfert; Struckium *de dissensu sponsalitio sect. IV. cap I. §. 32.* præcipue vero Christoph. Besoldum *in consult. part. V. cons. CCLVI. n. 30.* qui his terminis utitur: „ *daß vermöge* „ *rechtlicher Billigkeit, auch wegen Erhal-* „ *tung gemeinen Wohlstands* dergleichen „ hochärgerliche Winkel - Ehen und „ schändliche Copulationes, *so wider der* „ *Eltern Willen* de facto *vorgangen, ledig* „ *nicht zu gestatten: sondern wie sie an ihm* „ *selbsten verbothen und nichtig seyn, also* „ *auch auf der Eltern Begehren dafür er-* „ *klärt und aufgekündet werden sollen.* „ In eandem etiam sententiam ingressi sunt Lauterbachius *in coll. theor. pract.* L. XXIII. T. I. §. 14. 44. & T. II. §. 20. sq. & 33. Schoepffius in dec. cit. n. 19. 20.

Sanctio iuris Würtembergici de necessitate consensus parentum.

Superest, ut speciatim etiam exponamus, quid nostrum ius ecclesiasticum *Würtembergicum* hac de re disponat: Et hoc clare disponit de sponsalibus, eaque, si sine parentum consensu inita fuerint, nulla & invalida pronunciat, ubi simul notandum, quod ius *Würtembergicum* magis *reverentiae* parentibus debitæ, quam patriæ potestatis rationem habeat, dum non distinguat, an liberi sint emancipati, an adhuc in patria potestate constituti, an maiorennes vel minorennes sint, an de primis, an secundis nuptiis sermo sit. Verba ipsius *ordinat. matrimon.* P. I. c. II. §. 1. ita habent: „ *Welchemnach dann keine Kinder, Söhn* „ *oder Töchtern, was Alters die auch* „ *seynd, es sey in der ersten, andern oder* „ *folgender Verehligung, sich ohne Rath,* „ *Vorwissen und Willen ihrer Eltern, als*

des

„ *des Vaters, oder Mutter, und da die*
„ *nicht vorhanden, des Grosvatters und*
„ *Grosmutter ehelich verpflichten sollen* „
Et rursus P. II. c. 6. §. 1. „ *Wir wollen*
„ *auch, daß nach Dispostion unserer Ehe-*
„ *ordnung die Kinder, sie seyen gleich noch*
„ *unter ihrer Eltern Gewalt oder nicht,*
„ *ohne Rath, Vorwissen und Willen ih-*
„ *rer Eltern sich nicht ehelich verpflichten*
„ *sollen* „ — §. 2. „ *Wofern aber solche*
„ *heimliche Eheverpflichtung würklich ge-*
„ *schehen, und die Eltern nicht darein ver-*
„ *willigen wollen,* — *so sollen unsere Ehe-*
„ *richter und Räthe solche Versprüch vor*
„ *nichtig erklären.* „

Apparet ex his, ordinationem nostram tantum de sponsalibus disponere, ubi vero huic reverentiæ, quam pro fundamento adsumit, magnam vim tribuit, dum parentibus concedit facultatem, eiusmodi sponsalia ipsis invitis inita annullandi, licet etiam illis *iusiurandum* vel *copula carnalis* accesserit. Illo enim in casu tantum parentes adhortatur lex nostra, ne nimis rigorose in rescindendis eiusmodi sponsalibus iuratis suam potestatem exerceant, sed simul periculum animæ liberorum respiciant. P. II. c. VI. §. 3. „ *Soll auch von unsern*
„ *Eherichtern und Räthen nicht considerirt*
„ *werden, ob solcher Verspruch vielfältig*
„ *wiederholt, und die Kinder sich hoch dar-*
„ *über* verschworen, *doch sollen in diesem*
„ *Fall die Eltern mit Fleiß ermahnt wer-*
„ *den ohne hochwichtige Ursachen, als da*
„ *etwan den Kindern die Seelen-Gefahr dar-*
„ *auf stehet, derselben Gewissen nicht zu*
„ *beschwehren, noch so leichtlich dergleichen*
„ *eydliche oder hochbeschworne Versprüche*
„ *umzustossen und zu rescindiren.* „ Altero vero in casu, si *copula carnalis* accesserit, clare sancit, talem coniunctionem tanquam stuprum respici debere, hinc talia sponsalia æque minus valida iudicat, præsertim, si liberi sint minorennes, vel persona, quacum coiverunt, sit inhonesta, aut aliæ adsint similes circumstantiæ. l. c. §. 10. ult. „ *Wo*
„ *Kinder hinter der Eltern, Wissen und*
„ *Willen sich mit einander, der Ehe hal-*
„ *ber, verwortet, und die Beschlaffung,*
„ *Defloration oder Schwängerung darauf*
„ *gefolgt wäre, das Kind aber noch min-*
„ *derjährig, nach der That, der Eltern*
„ *Gewalt sich gehorsamlich untergibt, oder*
„ *die andere Person unehrbar ist, oder an-*
„ *dere dergleichen Umständ vorhanden seynd,*
„ *so solle keine Ehe erkannt, der Defiora-*
„ *tion oder Impraegnation halber aber die*
„ *Partheyen, wo sie sich deßwegen in Güte*
„ *nicht vergleichen würden, an dasienige*
„ *Stadt-Gericht, wo der Beklagte gesess-*
„ *sen, verwiesen werden.* „

Uti hoc modo de his casibus clare disponit nostra constitutio, ita vero circa matrimonium ipsum vel sponsalia per benedictionem sacerdotalem firmata, nihil plane sancit; at rationem huius silentii sine dubio in eo quærere possumus, quod secundum nostra iura casus difficulter existere possit, quo talibus sponsalibus clandestinis etiam invitis parentibus accederet benedictio sacerdotalis. Nam quod ordinatio nostra de necessitate præeuntis proclamationis statuit, admodum sufficit, ad impedienda talia matrimonia, dum expresse ministris ecclesiæ præscriptum sit, ne suscipiant proclamationem, nisi inquisitis antea matrimonii impedimentis & explorato quoque parentum vel tutorum consensu, & ut causam, si dubia sit, vel sponsalia sine parentum consensu sint inita, ad Cancellariam deferant, huiusque decisionem expectent. *Ord. matrim.* P. I. cap. II. §. 2. „ *Im Fall aber,*
„ *daß ein Kind ohne Bewilligung seiner El-*
„ *tern sich würde ehelich verpflichten, als-*
„ *denn sollen dieselbe Personen, wofern die*
„ *Eltern nicht darein bewilligen wollen,*

„ *von unſern Pfarrern in der Kirchen nicht*
„ *ausgeruffen oder eingeſeegnet, ſondern*
„ *von unſerm Superintendenten und Amt-*
„ *leuten mit behörigem umſtändlichen Bericht*
„ *für die Fürſtl. Ehe - Richter und Räth*
„ *hierinnen gebührenden Beſcheid und Er-*
„ *kanntniß zu erholen gewieſen werden.* „
Quod & ulterius corroboratur P. III. c. I. §. 4. ubi inprimis requiritur „ *ſo ſollen*
„ *insgemein die Pfarrer mit dem Ausruf-*
„ *fen und Verkünden der Verlobten ſo lang*
„ *ſtill ſtehen, biß beeder Eltern, und ſon-*
„ *derlich der Vatter, Pfleger, oder nächſte*
„ *Freund ſamt dem Bräutigam und*
„ *Braut gegenwärtig ſeynd, und zur Gnüge*
„ *hierunter vernommen werden können, —*
„ *wo aber die Eltern oder Vormünder ent-*
„ *legen und entſeſſen, ſo ſolle die Ausruf-*
„ *fung gegen Einſchikung ſchrifftlichen*
„ *Schein und Beweiſes ihres ertheilten Con-*
„ *ſenſes beſchehen.* „ Sin itaque caſus etiam exiſteret talis matrimonii clandeſtini, ut fortaſſis omiſſa hac proclamatione parentes præterirentur, vel liberi extra patriam a paſtore extraneo benedictionem ſacerdotalem acciperent; talem actum invalidum eſſe, & ab ipſis parentibus declarationem nullitatis etiam iure noſtro peti poſſe, non dubitamus. Et praxin ipſam teſtatur LAUTERBACHIUS *in colleg. theor. pract.* L. XXIII. t. I. §. 44. ubi ſimul rationem addit eam, quod benedictionis ſacerdotalis auctoritas non vileſcat, ſi illicitis coniunctionibus adhibita irrita declaretur.

Ad §. 83.

An femina ob amiſſam virginitatem ad conſummationem talium ſponſalium, cui concubitus acceſſit, agere poſſit?

Inter reſponſiones, quas GERHARDUS ad argumenta ſibi obſtantia formatet, etiam ea eſt; *iniuriam non fieri feminae, ſi diſſolvatur tale matrimonium, amiſſa licet virginitate, ſed eam damnum ſua culpa illatum ſentire debere.* Quamvis vera & recta ſit hæc theſis, tamen etiam ex hodiernis iurisconſultis multi dantur, hoc in caſu ad feminam reſpicientes, illiusque reſpectu matrimonium tale haud diſſolvendum ſtatuentes. WERNHERUS *in obſ. for.* P. I. obs. 421. P. II. obs. 22. BERGERUS *in elect. diſcept. for.* P. II. p. 1861. CARPZOVIUS *in iurispr. conſiſt.* L. II. def. 60. & cum his ipſe G. L. BOEHMERUS *in inſt. iur. can.* L. III. ſect. II. tit. III. §. 369. qui ſuam theſin ita format „ Quodſi ſponſalibus clan-
„ deſtinis acceſſit concubitus & *vitiata*
„ *ac ſeducta* ad conſummandum matri-
„ monium agit; cauſa redit ad conſli-
„ ctum *iuris parentum & iuris vitiatae*,
„ in quo, quoad ea de re iure parti-
„ culari nihil cautum eſt, *huius ius po-*
„ *tius habetur ob laeſionem & ſatisfactio-*
„ *nem* non niſi honeſto matrimonio præ-
„ ſtandam. „ Licet vero Vir perilluſtris argumentum ſuum ita formet, ut ſtatim exinde appareat, ſermonem ipſi tantum eſſe de *filia ſeducta & vitiata*, quo ipſo, ſimul in caſu contrario, nullum plane ius vitiatæ tribuat; tamen hanc ipſam propoſitionem viri ſummi, cuius principia & ſententias nos alias lubenter adoptamus & ſemper colimus, noſtram facere non poſſumus. Nam ius illud perfectum vitiatæ competens agendi ad matrimonium conſummandum, quod ſimul tanti ponderis ab ipſo habetur, ut adeo ius parentum, quorum conſenſus illegitimo modo neglectus eſt, illi cedere debeat, nobis non videtur ſatis probatum; dum profecto ex iſtis ſponſalibus clandeſtinis feminæ, licet ſeductæ, tale ius plane ſingulare ſecundum ſcita iuris communis tribui non poſſit. Si enim id daretur, manifeſto inde flu-

eret,

eret, quod ita per concubitum vitium clandestinitatis purgaretur; quin & liberi hoc modo admodum illicito semper legum vinculum eludere & parentum consensum negligere possent, quod tamen iniquum & a natura legum plane alienum est; uti (ad §. præced.) ex testimonio multorum evicimus. Absque dubio hæc etiam sententia ex incauta iuris pontificii adplicatione, perverse assumto illo axiomate, sponsalia per concubitum transire in matrimonium, nata est, quod satis ex decisione CARPZOVII allegata n. 10. apparet, qui putat, concubitum facere coniugium *ratum*, licet per se non sit *legitimum*; ubi vero haud ponderavit, id *de sponsalibus validis* intelligendum esse, neutiquam vero ad actum in se nullum ac vitiosum transferri posse. Agnoscit etiam hoc STRUVIUS *in iurisprud. for.* L. I. t. 6. §. 4. qui hinc ex alia ratione has coniunctiones tolerandas esse statuit, scilicet, *ut succurratur ita vitiatae, quae spe matrimonii promissi ad concubitum adducta censetur.* At etiam hanc novam argumentandi rationem solide refellit I. H. BOEHMERUS *in iur. eccl. prot.* L. IV. t. II. §. 20. 21.; ubi probat, hanc rationem STRUVIANAM ex *misericordiae* capite petitam ius quoddam tantum *imperfectum* producere, eamque insuper *particularem* esse. Quare etiam nobis distinctio illa inter feminam seductam, vel seducentem, tanta non videtur, cum semper vitium clandestinatis & neglectio consensus parentum subversetur. Solum ius, quod vitiatæ competere posset, id esse arbitramur, quod cuilibet stupratæ tribuitur satisfactionis privatæ petendæ causa, quo vero talis femina absolute & simpliciter ad matrimonium consummandum agere nequit. Recta hinc & iuri conformis manet GERHARDI sententia, qui simul in eo laudandus, quod inter rigorem iuris & æquitatem optime distinguat, in quo etiam laudatum I. H. BOEHMERUM l. c. habet consentientem, qui regulam ita formet; *ordinarie sponsalia clandestina per concubitum haud convalidari, nisi singularis aequitatis ratio concurrat, quae suadeat, vitiatae succurendum esse;* quam regulam etiam *edicto illo Regis Borussiae* iam citato confirmat; verbis: „*es wäre denn daß die- „ selbe (Eltern) durch oberwehnte Mittel „ und andere Motiven zu Ertheilung ihres „ Consensus endlich in der Güte disponirt „ werden könnten, oder daß das Consisto- „ rium auf der Partheyen Ansuchen* nach „ befundenen wichtigen Umständen und „ erheblichen Ursachen, der höchsten „ Billigkeit zu seyn erachtet, *ein anders „ zu verordnen*„ quocum etiam conspirare videtur nostra ordinatio Würtembergica loco citato. P. II. cap. VI. §. 3. & 10.

Ad §. 86.

An MATRIS *etiam consensus requiratur?*

Differentiam, quæ inter ius naturale & romanum intercedit intuitu consensus paterni & materni, quam supra iam ostendimus, hoc loco ulterius prosequi, eamque ad hodiernum nostri iuris germanici statum adplicare possumus, cum heic GERHARDUS speciatim tractet materiam de necessario *matris* consensu. Ante omnia hanc ob rem præmittimus, quod hanc quæstionem potissimum ex ipsis iuris germanici sanctionibus resolvere & decidere possimus. Quamvis enim (ad §. 82.) probaverimus, ius germanicum in materia de validitate matrimonii absque parentum consensu contracti nihil uniforme disponere, nec ex eo commune vel universale principium adstrui posse, sed eapropter ad ius ro-

manum in subsidium recurrendum esse; tamen in hac speciali materia de consensu matris id aliter se habet. Reperitur nempe sanctionum germanicarum quasi concentus quidam de necessitate consensus materni, ita ut, cum non deficiant iura patria, decisio ex iure romano non solum cesset, sed adeo ob diversitatem principiorum inutilis esset. Quodsi heic inquiramus in fundamentum huius rationis de necessitate consensus materni, statim deprehendimus, multos iurisconsultos ex vero & solido principio non concludere; conveniunt quidem omnes in eo, quod hic matris consensus requiratur, LAUTERBACHIUS *in coll. theor. pract.* L. XXIII. t. II. §. 33. CARPZOVIUS l. c. L. II. def. 39. n. 11. BRÜCKNERUS l. c. C. 2. n. 41. sqq. at, dum sententias suas ex iure romano, quod matri tantum ius non tribuit, confirmare nequeunt, quærunt hoc fundamentum *in reverentia*, utrique parentum debita; in quam sententiam inclinare videtur noster GERHARDUS. Quanquam vero hoc argumentum in se non sit contemnendum, cum reverentia inter ea liberorum officia sit referenda, quæ semper pio obsequio observari debent; illud tamen non satis sufficiens & adæquatum videtur, sistens saltim rationem ex legibus virtutis & humanitatis desumtam, hincque obligationem tantum imperfectam. Alia, eaque principiis iuris magis conformis, se nobis exhibet ratio, ex necessitate iuris descendens, quam in ipsis legibus & moribus germanorum invenire licet, quamque citati auctores, ad solum ius romanum confugientes, prætermiserunt. Ipsi enim mores patrii consensum utriusque parentis ad nuptias liberorum in sacris parentum adhuc consistentium serio requirunt, non ob reverentiam tantum, sed ob patriam potestatem, cuius certe alia ratio apud germanos fuit quam apud latinos. Eadem enim potestas, quam ius naturale parentibus tribuit, in familiis germanorum semper in usu fuit, *matri* non minus quam patri competens, quæ ideo communis habebatur. Vid. CHRIST. THOMASIUM *in diss. de usu pract. tit. inst. de patr. potest.* Cap. II. §. 2. sqq. GÜNTH. ALB. RENZIUM *in tract. mixtura iur. rom. & germ. in materia patriae potest. conspicua. Stuttg.* 1753. HEINNECCIUM *in elem. iur. germ.* L. I. t. VI. §. 138. *perill.* DE SELCHOW *in elem. iur. germ. part. spec. L. II. c. II. tit I.* §. 489. Quemadmodum igitur utrique parenti hæc data sit potestas in dirigendis liberorum negotiis, ita & nuptias eorum ordinandi & approbandi facultas & patri & matri tributa fuit, cui iuri parentum respondebat liberorum perfecta obligatio tam patris quam matris consensum expetendi. Luculentam hac in re matris potestatem leges antiquæ satis comprobant. Vid. DE LUDEWIG *in op. de consensu connubiali extra patrem.* diff. I. cap. II. §. 2. BOEHMERUM in diss. cit. c. II. §. 47. not. 5. DE SELCHOW l. c. §. 494. MANZELIUM in diss. *de aequali utriusque parentum iure, qua consensum parentum in sponsalia, Rost.* 1760. Hæc iuris germanici dispositio non solum in ipsis canonibus repetebatur, quum iam observatum, olim decreta conciliorum legibus sæcularibus attemperata fuisse, sed & ad noviora usque tempora hi mores patrii salvi integrique servati sunt; quamobrem omnes fere ordinationes ecclesiasticæ in eo conveniunt, quod nunquam de patre solo, sed semper de utrisque parentibus loquantur horumque consensum requirant. Comprobant hoc ordinationes supra allegatæ, & ipsa nostra constitutio Würtembergica, quæ quidem argumentum suum ex reverentia magis ducit, utitur semper termino, *der Eltern, als des Vaters oder Muter.* loc. cit. Habemus itaque heic aliquando

do principium ex ipsis legibus & moribus nostris, placita iuris naturalis sequentibus, profluens, idque firmum & adæquatum. His vero præstructis aliam ex nostris moribus addere possumus observationem singularem, quæ tamen diversitatem aliquam consensus paterni & materni nobis exhibet. Hactenus enim demonstravimus hanc potestatem parentum fuisse communem, quod potissimum intelligi debet de eo casu, si uterque parens adhuc viveret; at vero, si unus saltim adhuc in vivis superfuit parens, mortuo altero, spontanea videtur inde fluere thesis, quod iam post alterutrius parentis mortem potestas illa hactenus divisa tam tota ad parentem superstitem pervenerit; & hinc patre defuncto, omnis potestas apud matrem, vel vice versa matre demortua sola apud patrem fuerit potestas, & huius superstitis autoritate liberorum nuptiæ suscipiendæ fuissent. Et verum quidem est, patris intuitu, thesin hanc sine omni exceptione veram esse, qui potestatem suam, quam antea iam insigniori aliquo modo habuerat, nunc solus in omnibus casibus continuabat; at non æque hæc consequentia ad matrem indistincte procedit. Huius enim intuitu mores nostri distinguebant, an mortuo marito in viduitate perstiterit, an vero ad secunda vota transierit? Priori in casu *matri viduae* ius in liberos salvum integrumque fuit, cum nulla adfuit ratio, id ipsi adimendi; at posteriori in casu hanc potestatem retinere non poterat. Quodsi enim iteratas iniverit nuptias, quum ipsa iam in potestatem novi mariti perveniret, iam liberi prioris coniugii non facile potestati & educationi vitrici subiici poterant, simulque suspicio contra matrem & vitricum ex novo amore oriunda id non permisisset; quare liberis aliter prospectum, dum hoc in casu tuitioni proximorum agnatorum subiicerentur, & matri illa potestas non amplius relinqueretur, quam ob rem nec auspiciis eius nuptiarum negotium a liberis erat suscipiendum. Comprobat hoc cit. G. L. BOEHMERUS c. II. §. 50. not. v. eleganti loco ex LEGE WISIGOTHORUM, quæ lib. III. t. I. cap. VII. ita sancit: *patre mortuo, utriusque sexus filiorum coniunctio in* MATRIS *potestate consistat. Matre vero mortua, aut si* AD ALIAS NUPTIAS *forte transierit, fratres eligant, cui dignus puer vel puella iungatur.* Cui sanctioni addenda est illa paroemia: *ein Stiefvater, eine Stiefmutter; wenn die Henne zum Hahn kommt, vergißt sie ihrer Jungen.* EISENHARDT l. c. p. 151. Sed quæritur iam, an hæc distinctio etiam hodienum attendatur, & mater ad secundas nuptias provolans hoc suo iure excidat? Et respondendum, omnes fere ordinationes, matris consensum serio requirentes, nihil de hac distinctione disponere. Cuius ratio hæc videtur, quod plerumque secundum nostros mores, matri, licet ad secundas nuptias transeunti, educatio liberorum relinquatur, & hinc etiam ea eandem, quam hactenus proposuimus, potestatem retineat. Ubi vero notandum, in casu nuptiarum liberorum, vitrico, qui talem potestatem nunquam nanciscitur, etiam nullum ius competere, adeo, ut, si forte hic privignos dissentiente matre desponset, ad illius imprecationem talia sponsalia recte rescindantur. Adfert talem casum LEYSERUS *in med. ad pand. spec.* CCXCI. *med. 8.* ubi hanc sententiam confirmat responso *Helmstadiensium* huius tenoris: „ *Hat*
„ *Georg die Annen Reginen aus einem mit*
„ *ihr seinem Vorgeben nach gehaltenen Ehe-*
„ *Verlöbnisse auf Vollziehung der Ehe be-*
„ *langet, da denn die Frage entstehet, ob*
„ *solche des Georgens Ehe-Klage in Rech-*
„ *ten gegründet sey? Nun wird zwar Ge-*
„ *orge die Gültigkeit des vermeynten Ehe-*
„ *Gelöbnisses daher zu behaupten suchen,*
„ *daß der Mutter Consens bey Verheyra-*
„ *thung*

„ *thung der Kinder in den gemeinen Rech-*
„ *ten gar nicht erfordert werde, wenig-*
„ *ſtens ihr Diſſenſus alsdenn, wenn der*
„ *Vater noch lebt, und mit der Ehe zu-*
„ *frieden iſt, das Ehe-Verſprechen nicht*
„ *ungültig machen könne. Alldieweil aber*
„ *der Mutter Conſens nach heutigen Rech-*
„ *ten nothwendig iſt, und durch die Ein-*
„ *willigung des* Stiefvaters, welchen die-
„ ſe Sache gar nicht angegangen, *nicht*
„ *ſuppliret werden können;* ſo iſt *die von*
„ *Georgen angeſtellte Ehe-Klage in Rech-*
„ *ten nicht gegründet.*„ Quodſi vero matri binubæ educatio liberorum non relinquitur, ſed aliis eorum propinquis, ex. gr. avo paterno committitur, qualem caſum refert. cit. LEYSERUS ſpec. CCC. med 13-17. tunc etiam eam auctoritatem in liberos matri non amplius competere, ſed ſolum adhuc reverentiæ debitum ſupereſſe, arbitramur.

Ad §. 87.

An præferendus ſit conſenſus patris materno?

Quæſtionem, an *patris* conſenſus præferendus ſit materno? quam GERHARDUS argumentis ex S. S. & iure canonico deſumtis recte adfirmat, etiam ipſis principiis iuris germanici, uti hactenus, ulterius illuſtrare poſſumus. Uti probavimus, in poteſtate domeſtica in liberos concurrens ius patris & matris fuiſſe, ita ſimul obſervandum, etiam ſecundum mores germanorum *ius patris* præ matre ſemper fuiſſe *præcipuum*. Ea enim ſocietatis connubialis apud germanos ratio fuit, ut uxor ipſa in poteſtate & manu mariti conſiſteret; quamobrem ipſa illa poteſtas etiam matri in liberos competens huic iuri paterno ſubordinata fuit, & pater tanquam caput familiæ ſemper principalem in dirigendis liberorum actionibus habuit auctoritatem; vid. HEINECCIUM *in elem. iur. germ.* L. I. t. IV. §. 14. cuius rei is etiam fuit effectus, ut, parentibus diſſidentibus, maior ratio voluntatis paternæ, quam maternæ habita fuerit. Conſpicuum id fuit etiam in nuptiis liberorum ordinandis, circa quas, ſi in diverſas abirent ſententias parentes, *patris iudicium* prævaluit *voluntati maternæ.* Et id quoque hodienum conſtanter obſervatur, ut ideo, ſi pater diſſentiat, matris conſenſus nihil operetur, & vice verſa etiam matris diſſenſus non attendatur, ſi patris ſuffragiis liberorum nuptiæ ſint comprobatæ, nec illa hoc caſu, quo minus liberorum ſponſalia conſummentur, impedire poſſit. Præ aliis huc pertinet LEYSERUS *in med. ad pand.* ſp. XVIII. m. 3, ubi praxin hanc teſtimonio Wittebergenſium confirmat, & ſingularem refert caſum. Puella quædam ſponſalia iniverat cum iuvene, adhibito conſenſu paterno, neglecto autem materno; cum deinde ſponſus, ut nuptiæ celebrarentur, urgeret, filia & pater pœnitentia ducti & recedere cupientes matrem ſubornabant, ut intercederet, atque diſſenſu ſuo conſummationem matrimonii impediret. Nihilominus vero, hæc ſponſalia conſummanda eſſe, iudicatum fuit, adiectis his rationibus: „ *Dieweil aber die heutigen*
„ *Rechte, welche auſſer des Vaters auch*
„ *der Mutter Einwilligung zu Verheyra-*
„ *thung der Kinder erfordern, nur von*
„ *dem Fall, wenn der Vater nicht mehr*
„ *vorhanden, zu verſtehen ſeynd; dahin-*
„ *gegen wenn dieſer annoch lebt, und als*
„ *das* caput familiæ, *unter deſſen Both-*
„ *mäſſigkeit die Mutter ſelbſt einigermaſſen*
„ *ſtehet, conſiderirt wird, der Mutter Con-*
„ *ſens zu erfordern ganz nicht vonnöthen*
„ *iſt; ſo haben wir &c.* Confer. CYPRÆUS *de ſponſal.* cap. VI. §. 8. MEVIUS part. VII. dec.

Dec. CXXII. Carpzovius lib. II. def. XLIV. n. 16. I. H. Boehmerus in I. E. L. IV. t. II. §. 12. Brückнerus in dec. matr. c. 2. n. 74. Pleræque etiam huc pertinent ordinationes eccleſiaſticæ, e quibus noſtra *Würtembergica* hanc prærogativam patris haud dubie agnoſcit, verbis: Vor„ wiſſen *und Willen ihrer Eltern*, *als des* „ Vaters *oder* Mutter. P. I. cap. I. §. 1. & alibi „ *welches wir dann nicht nur auf* „ *die Väter*, *ſondern auch* in ſeiner Maas „ auf die Mütter, *beſonders*, *da der Va*„ *ter verſtorben*, — *wollen verſtanden ha*„ *ben.* „

An deficiente patre nuptiae liberorum inſcia vel invita matre initae tanquam nullae ab hac impugnari poſſint?

Alia vero heic ſe nobis exhibet quæſtio; *an deficiente patre nuptiae liberorum inſcia vel invita matre initae ad huius querelam aeque declarari queant irritae?* Quam quæſtionem Gerhardus ſine dubio eam ob rationem omiſit, quod ex ipſius ſupra dictis de iure matris & deducta hinc paritate rationis affirmandam eam eſſe cenſuerit. Cum vero caſus ipſe haud rarus ſit, quoniam non ſolum patre mortuo hoc ius matris ſe exſerere, ſed & inprimis ſæpiſſime intuitu liberorum illegitimorum, qui certe ſecundum noſtros mores ſolius matris directioni ſubſunt, quæſtio oriri poteſt, ſingularem expoſitionem hæc quæſtio poſcere videtur; inprimis cum & ex ipſis iurisconſultis dentur, qui hoc ius matri denegant, & connubia liberorum ſine illius conſenſu contracta valida eſſe ſtatuant. Pertinet huc ſæpe citatus H. L. Boehmerus, qui in diſſ. cit. c. IV. §. 86. ita argumentatur: „Liberorum nuptiæ, patre iam „ defuncto, ſine *matris* conſenſu per„ actæ, ſecundum *ius commune* haud di„ rimendæ eſſe videntur. Nam & in „ hac ſpecie *legibus patriis generalibus* de„ ſtituimur. Et romanæ leges ne ma„ tris quidem conſenſum in liberorum „ nuptiis neceſſarium habuerunt, tan„ tum abeſt, ut easdem iniuſtas nullas„ que eſſe ſtatuerint. Quanquam vero „ in eo a romanis legibus diſceſſerimus, „ quod matris conſenſus ad liberorum „ coniugium ex iure patrio omnino ſit „ requirendus; quoniam tamen tum pa„ trii tum peregrini iuris ſanctio, de „ eiusmodi coniugiis dirimendis deſi„ cit; illa ſecundum ius commune nec „ dirimi poſſe manifeſtum eſt. „ At hæc ſententia nobis non videtur ſatis accurata & genuina; patet enim ex ea, Boehmerum ex ſola reverentia matri debita argumentum ſuum formare, & principia iuris romani, cuius tamen hac in materia deciſionem adoptare non poſſumus, nimium ſecutum eſſe. Recta ſine dubio duci poteſt conſequentia ex illa poteſtate domeſtica, quam matri etiam competere ex noſtris moribus, aſſentiente ipſo Boehmero, evicimus; cuius poteſtatis maternæ plane nullus effectus eſſet, ſi hoc in caſu, deficiente patre, id ius in nuptiis liberorum dirigendis, quod vivente illo ob eius prærogativam reſtrictum eſt, ipſi matri negaretur. Conſentit nobiscum perill. Hommelius, qui in *epit. iuris ſacri.* C. LIII. §. 54. ſimpliciter ſtatuit; conſenſum matris iure romano tantum honeſtatis, in germania etiam *neceſſitatis* eſſe. Licet enim iura noſtra, quod Boehmero lubenter concedimus, de ſpeciali caſu diremtionis nihil diſponant, tamen hoc ius neceſſaria quadam conſequentia ex illa poteſtate materna fluere, & hinc revera mores patrios non deficere exiſtimamus; quam ob rem etiam hactenus adlegatæ ordinationes matris conſenſum requirentes ex paritate rationis idem ius illi tribuere videntur. Id quidem certum eſt, ex ſententia praxeos hanc quæſtionem affirmari, & tales coniunctiones clandeſtinas etiam ad matris implorationem dirimi poſſe. Con-

firmant hanc praxin BRÜCKNERUS l. c. n. 74. ubi dicit; hodienum hac in parte nullam esse amplius inter patrem & matrem differentiam; sic & MEVIUS P. 9. dec. 198. not. 1. ad communionem iurisconsultorum sententiam atque praxin fori eccles. provocans vid. & COTHMANNUS P. II. resp. 86. n. 28. & 80. CARPZOVIUS L. 2. def. 44. RICHTERUS in dec. P. I. dec. 8. n. 47. 61. STRYCKIUS *ad Brunnemanni* ius eccl. C. 16. §. 12. LAUTERBACHIUS l. c. L. XXIII. t. II. §. 33.

Ad §. 88.

An sufficiat consensus parentum tacitus?

Consensum parentum *tacitum* sufficientem esse recte quidem asserit GERHARDUS, cum nihil profecto interfit, qualicunque ratione parentes voluntatem de coniugio liberorum contrahendo significaverint, sive id *verbis*, sive *factis*, ex quibus ad eorum voluntatem secure concludere licet, fuerit factum; attamen in hoc cavendum esse putamus, ne regulæ illæ a GERHARDO adlatæ; *qui tacet consentire videtur*, & *quod pater praesumatur consentire, nisi evidenter dissentiat:* nimium extendantur; quia facilia alias liberis occasio daretur, silentium vel facta parentum ambigua pro lubitu interpretandi. Præcipue vero, quod ad silentium parentum attinet, ex hoc solo eorum consensum tacitum non semper colligere licet, sed probe distinguendum inter *scientiam* & *ignorantiam* parentum. Si enim parentes sponsalium ac nuptiarum a liberis contrahendarum adcuratam habeant scientiam, & nullum edant indicium, ex quo colligi queat, quod matrimonium tale ipsis displiceat, tunc profecto hoc eorum silentium ita comparatum est, ut ex eo consensus illorum non incommode præsumi & eiici possit: unde in *l. s. c. de nupt.* cautum: *patrem, qui cognitis nuptiis non contradixerat, non posse impugnare connubium, sed nepotem ex eo natum agnoscere teneri.* Accedit etiam hæc ratio, quod parentes, de sponsalibus suscipiendis edocti, silentio suo statis declarent, se iure suo uti nolle in iisdem impediendis; cuius tacitæ renunciationis consequens est, ut nullus ipsis postea pœnitendi & contracta sponsalia nuptiasve impugnandi detur locus: quod multo magis obtinet, si parentes de consensu dando rogati nec in liberorum coniugium consentiunt, nec dissentiunt. Vid. G. L. BOEHMERUM in cit. diss. c. IV. p. 75. 76. Simul vero etiam requiritur, ut tali in casu parentes plenam quoque contradicendi libertatem habuerint, nam si propterea tantum tacuerint, quod sibi ob contradictionem suam incommoda & mala imminere videant, etiam ex silentio eorum talis consensus tacitus colligi nequit, dum revera non consenserunt. Eleganti hoc exemplo, ex SENECA *L. 8. controv. 6.* desumto, illustrat LEYSERUS *in med. ad pand. spec. 291. med. 5.* Altero vero in casu, si parentes talia sponsalia perfecte non sciverint, etsi suspicari forte potuerunt, silentium aut adeo verba vel facta ambigua non sufficiunt, quia consensus esse debet certus & parentes sponsalia plene cognita habuisse oportet. Exempla proferunt CARPZOVIUS *in iurispr. consist.* Lib. II. def. 42. & LEYSERUS l. c. qui casum de consensu matris refert, & responsum Wittebergensium adducit huius tenoris: „ *Es ist die Mutter niemals um* „ *ihre Einwilligung angesprochen worden,* „ *hat auch solche weder* expresse *noch* ta„ cite *ertheilet, immassen die von Klägern* „ *angeführte dunkle Worte: man müsse dem* „ *Bräutigam ein Licht vors Bette hengen,* „ *vor sich keinen* Consensum involviren.„ Patet ex his, consensum hunc tacitum non modo *certum*, sed & *liberum* esse debere; id quod similiter valet de *factis* parentum his in casibus susceptis, quæ admodum concludentia sint, necesse est.

Inter

Inter talia facta referuntur, si progeneta ad matrem pro conciliandis nuptiis missus responsum tale tulit, quod non fuit negativum; vel si ab eo, qui coniugium ambigit, filiæ annulum, aut quod aliud a sponso donari consuevit, dari permiserit, nec contradixit; multo magis si & ipsa viciissim, cum de negotio nuptiali actum est, annulum sponso dedit: aliaque similia, quæ recenset Mevius P. IX. dec. 198. 199. Lauterbachius l. c. L. XXIII. t. 2. §. 22. Eadem fere de tacito parentum consensu disponit nostra ordinatio *Würtembergica* P. 2. cap. 6. §. 8. quæ silentium pro tacito parentum consensu ideo habet, quod nec prohibuerint matrimonium, sed a liberis illud contrahi passi sint, verbis: „*Wo aber die* „ *Eltern einmal ihren Willen zu einem* „ *Eheverspruch gegeben*, ausdrückentlich „ *oder* stillschweigend, *indem sie ihrer* „ *Kinder Vorhaben gewußt, und nicht* „ *wiedersprochen, gehindert oder verwehrt,* „ *sondern es geschehen lassen, so sollen un-* „ *sre Eherichter und Räthe ihren hernach* „ *bezeugenden* Dissensum *nicht attendiren.*„ Quid hac in re iure saxonico disponatur, docet perill. Hommelius *epitome iuris sacri* c. 53. §. 37. ubi not. l. affert. Parentes conqueri non posse, sed sponsalia clandestina publicis tunc æquiparari parentes suspectæ conversationis probe conscii amicæ (ceterum honestæ) filii non declaraverint, sibi amores hosce displicere.

Ad §. 89. & 90.

An parentes dissensus sui causas proferre teneantur?

Quæstionem, *an parentes dissensus sui causas proferre teneantur?* Rectissime distinguendo resolvit Gerhardus. Multum enim revera interest, an liberi sponsalia vel nuptias appetentes propositum suum parentibus indicaverint, ab iisque consensum ipsorum petierint, nec ne? Posteriori enim hoc in casu, cum res non amplius sit integra, parentes ad edendas sui dissensus rationes obligatos esse solide negat Gerhardus. Nam cum liberi hoc modo debitum suum neglexerint, & posthabito consensu parentum sponsalia clandestina iniverint, solus ille contemtus parentibus sufficientem dissentiendi causam præbet, ita ut nullo modo ad adlegationem aliarum dissensus causarum adigi queant; quod certe dici non potest abusus patriæ potestatis & auctoritatis, si eam istis sponsalibus clandestinis, in se illicitis, vel uti loquitur Brücknerus l. c. C. 2. n. 104. *scortatoriis liberorum coniunctionibus*, accommodare detrectent. Confer. & Carpzovius l. c. L. II. def. 58. & *in iurispr. forensi* P. IV. const. 20. def. 14. Richterus *in dec.* Part. I. dec. 8. n. 49. Altero vero in casu, si liberi parentum consensum, ea qua decet observantia, rogant, res plane aliter se habet. Nam licet parentum consensus in liberorum nuptias necessarius sit, id tamen non ea ratione intelligendum, ac si in arbitrio eorum esset positum, utrum consensu suo liberorum connubia promovere, an dissensu impedire malint. Ipsum ius romanum quod alias tantam patribus tribuit potestatem, tamen hac in re iustos huic paterno arbitrio posuit limites. Cum enim abusus ille patrum romanorum in impediendis liberorum nuptiis, antiquis temporibus sub libera republica inprimis conspicuus, tam æquitati naturali, quam potissimum saluti ipsius reipublicæ romanæ adversari videretur, illiusque maxime interfuit, iniqua nuptiarum impedimenta removere, rei noviori tempore prospectum fuit lege Iulia & Papia Poppæa, qua constituebatur, *ut qui liberos, quos habent in potestate, iniuria*

prohibuerint ducere uxores vel nubere, in matrimonium eos collocare, per praetorem urbanum cogerentur. Ex qua constitutione apparet, solam eius rationem *in iniusta consensus paterni denegatione contentam fuisse*, ius patrium vero in consensu ad liberorum nuptias edendo hac lege patri haud ereptum, sed ob salutem reipublicæ & felicitatem liberorum restrictum tantummodo fuisse. Quare etiam pater ad consensum hunc dandum cogebatur, ubi iniuste eum denegaret, si vero iustas haberet dissentiendi rationes, veluti quod filius mulierem turpem vel genere suo indignam matrimonio secum iungere cuperet, salva patri stabat sua auctoritas in prohibenda tali coniunctione. De his vero rationibus dissensus paterni, utrum *iustae* an *iniustae* essent; Prætor, ad implorationem simplicem liberorum, summarie cognoscebat, & decretum interponebat, utrum pater ad veniam matrimonii ineundi, liberis indulgendam, cogi posse videretur. Vide Heineccium *in comment. ad leg. Iul. & Pap. Popp.* L. I. c. V. & Boehmerum l. c. C. I. §. 36. sqq. Eodem & ampliori simul modo moribus nostris prospectum est hac in re liberis, cum indoles potestatis parentum in liberos, qualem germanici semper agnoverunt, non patiatur, ut pro mero arbitrio agant parentes vel suo in dirigendis liberorum connubiis iure abutantur. Semper enim id pro principio adsumtum est, ut liberorum connubia a parentibus ita sint dirigenda, ne felicitas illorum intervertatur. Quando igitur liberis petentibus suum consensum denegent parentes, iustitia vel iniustitia causarum huius dissensus sedulo inquirenda est & exploranda. Nam exinde dependet tota decisio, cum eo tantum in casu parentibus ius talia connubia dissensu suo impediendi adimatur, si coniunctioni liberorum nihil opponere possint, eorumque dissensus nullo vel iniusto fundamento nitatur. Quoniam vero de hac controversia neque parentes neque liberi ipsi iudicium sumere possunt, decisio eius a iudice ecclesiastico, vel a consistorio, expetenda, quem magistratum liberi iusta moderatione & respectu erga suos parentes observato adire possunt, & apud quem deinde parentes sui dissensus rationes proponere & explicare tenentur. Carpzovius L. II. def. 52. Struckius *in usu mod. tit. de sponsal.* §. 17. I. H. Boehmerus l. c. L. IV. t. II. §. 18. & speciatim quod ad modum huius propositionis causarum a parentibus faciendæ attinet Brunnemannus *in iur. eccl.* L. II. c. 16. & Leyserus spec. cit. 291. coroll. 2. patri hoc in casu permittunt, rationem dissensus sui iudici secreto in aures insinuare, & iudicem, veritatem eius rationis etiam secreto inquirere, iubent. Quod quidem fieri posse, putamus, si rei circumstantiæ id suadeant, at quod id semper & indistincte patri permissum sit, ideo dubitamus, quia sæpissime etiam ut liberi ipsi super hac re audiantur, necesse est. Propositas vero has in causas ipse iudex ecclesiasticus sedulo inquirere, & probe, ponderata etiam conditione liberorum coniungendorum, id præsertim examinare debet, an nuptiæ istæ controversæ liberorum felicitatem promoturæ, an vero in eorum infortunium cessuræ sint, quoniam ab hoc respectu quam maxime dependet iudicium de iustitia vel iniquitate dissensus parentum. Qua peracta cognitione, si iudex ecclesiasticus causas dissentientium parentum *iustas* reperit; eo ipso ius dissentiendi parentibus salvum servatur, & liberi tale coniugium celebrare non possunt, quod ideo ipsis sententia iudicis prohibetur. Plures eiusmodi causas iustas referunt Brücknerus *in dec. cit.* n. 134. Carpzovius L. II. def. 55. Add. Balth. Wernherus *in diss. de iniustis causis dissensus paterni in nuptiis liberorum*

berorum §. 20. sqq. & DE LUDEWIG in diss. *de connubiali imperio &c.* diss. II. cap. IX. §. 4. qui data opera causas tales ab aliis adlatas examinat, easque vero in favorem liberorum nullius ponderis æstimat, quem vero magis ingenioſe quam ſolide hoc in examine verſatum eſſe iudicamus, cum alias diſſenſus parentum fere ſemper inanis omnique effectu deſtitutus maneret. Quodſi vero tales cauſas *inſufficientes* vel *iniuſtas* cognoverit iudex, nulla amplius diſſenſus parentum ratio habetur, ſed potius iudex eccleſiaſticus auctoritate ſua deficientem hoc modo conſenſum parentum, pro more loquendi in noſtris iudiciis eccleſiaſticis, *ſupplere* dicitur, quamobrem ſententia ſua decernit, parentibus ius non eſſe liberos a connubio ineundo arcendi, ſed hos illud ſine parentum conſenſu ineundi facultatem habere; ut itaque hoc in caſu parentes non cogantur ad dandum conſenſum, quod apud romanos in uſu fuit, ſed iudex loco parentum liberis officio ſuo ſuccurrat. Vide, ſis BROUWERUM *de iure connub.* L. I. c. XIII. §. 15. & LAUTERBACHIUM *in coll.* L. XXIII. t. II. §. 28. 29. ubi quæſtionem ſpecialem, *an etiam ſola paupertas ſponſi vel ſponſae iuſta ſit diſſentiendi cauſa?* recte negat. Simul vero heic circa iudicis partes id obſervandum eſt, in concipienda tali ſententia admodum caute agere debere iudicem, ut ſcilicet tam autoritati parentum, quantum fieri poteſt, parcatur, quam & liberi in ipſa hac ſententia ad omne obſequium omnemque reverentiam parentibus ceteroquin exhibendam obſtricti declarentur. Uti enim tota lis parentes inter & liberos hac de re intercedens ita eſt tractanda, ne honor & obſervantia parentibus debita lædatur, ita hanc potiſſimum eo caſu, ſi contra parentum diſſenſum nuptias permittat, tueri debet iudex, ne liberi ex eo, quod iudex contra proprios parentes ipſis ſubvenerit, auctoritatis parentum vilipendendæ occaſionem capiant, cum profecto parentum poteſtas vel certe reverentia iis debita aliis in caſibus & negotiis *ſalva* perſiſtere debeat. Præclare ideo de hac materia ſancit edictum Boruſſ. ſæpius citatum, quod & apud MYLIUM *in corp. conſt. marchic.* p. 118. invenitur; §. 3. & 4. his verbis: „*Wenn nun die Kinder „ ſie umb Erlaubniß ſich mit gewiſſen Perſonen ehelich zu verbinden, in kindlichem Gehorſam und Demuth erſuchen und „ bitten werden, ſollen die Eltern ſie, ohne genugſahme erhebliche Urſachen daran nicht hindern. — Daferne nun die „ Eltern und Kinder ſich derowegen mit einander nicht ſelber vergleichen können, „ ſoll es alsdann, und ehe noch von den „ Kindern pure etwas verbindliches fürgenommen wird, bey unſerm* Conſiſtorio „ *geſucht, und daſelbſt nach Billigkeit verglichen und entſchieden, und alſo der „ Eltern* Conſens *nach Gelegenheit der „ Fälle und Umbſtände von der Obrigkeit* „ ex officio *ſuppliret, und dieſen Perſonen ſich mit einander zu verloben, und „ das Verlöbniß durch Prieſterliche* Copulation *und Beywohnung zu vollenziehen „ verſtattet werden*, auf welchen event „ aber gleichwohl der Sentenz allemal „ mit einzuverleiben, daſs beyde contrahenten, den diſſentirenden Vater oder „ Mutter nichts deſto weniger zu lieben, zu ehren und gegen dem oder „ dieſelbe allen Gehorſam zu bezeigen „ ſchuldig ſeyn ſollen.„ Conferatur & CARPZOVIUS l. c. def. 62. n. 15. Cæterum clarum eſt, matrimonium tale auctoritate iudicis contractum eſſe legitimum & iuſtum, quoniam conſenſus iudicis eccleſiaſtici, per ſententiam hoc modo declaratus eiusdem ponderis eſt ac voluntas parentum, isque ideo in huius locum ſubſtituitur. CYPRÆUS *de ſponſal.* c. VI. §. 3. IOH. HARPPRECHTUS ad pr. *I. de nupt.* n. 114. CARPZOVIUS l. c.

def. 53. n. 6. Antequam vero iudex decretum suum pronunciaverit, invalidum est, quidquid a liberis geratur, hinc nuptiæ vel sponsalia a liberis ante hanc veniam impetratam inita, nullius plane valoris essent, & liberi adeo gravi pœnæ subiici possent. Pluribus hanc materiam tractat G. L. Boehmerus l. c. C. IV. §. 77 - 82. Cum his omnibus hactenus propositis convenit etiam nostra tam ordinatio quam praxis Würtembergica, & clara est nostræ legis dispositio in eo etiam, quod non solum parentum morositatem in desponsandis liberis iure meritoque damnet, sed rationes ipsas dissensus parentum late examinet, earumque multas specifice determinet; *ord. matrim. Würt.* P. I. c. II. §. 5. verbis: „ *Daneben aber sollen auch die Eltern ihres* „ *Amts, Gewissen und Seelen Seeligkeit* „ *fleissig erinnert seyn, daß sie mit verehli-* „ *chen ihrer, zu ihren Jahren gelangter* „ *Kinder, die Ehrbar - und Billigkeit be-* „ *denken, und* gefährlichen *oder* eigen- „ nütziger Weis *in die Harre ohne merk-* „ *liche rechtmäßige Ursachen die Verheu-* „ *rathung ihrer Kinder, wann* ehrliche, „ ihnen am Stand nicht ungleiche *und* „ wohlanständige Anwerbungen *sich er-* „ *geben*, nicht verziehen — *denn wo* „ *sich dergleichen befinde, so ist unser gnä-* „ *digster Fürst und Herr entschlossen, sol-* „ *chen der väterlichen Lieb zuwider lauf-* „ *fenden gefährlichen Verzug — nicht zu* „ *gestatten.* & rursus P. II. c. VI. §. 6. „ *Dannenhero wann zwey iunge Perso-* „ *nen, so* mannbar, und bey ihren zimblichen Iahren sind, *oder* eine Hausshaltung zu führen getrauen, *einander* „ *die Ehe ohne ihrer Eltern Wissen und* „ *Rath, doch nicht aus Ungehorsam, kind-* „ *discher Thorheit, Unverstand, gefähr-* „ *lichem Auffsaz oder Hinterfährung, die* „ *Ehe aufrecht und wohlbedächtlich verspro-* „ *chen, und dessen vor unsern Ehe - Rich-* „ *tern und Räthen geständig seynd, be-* „ *gehrten auch inständig die mit einander* „ *zu vollziehen, und sonsten* einander am „ Stand, Alter, Prædicat nicht ganz „ ungemäss, *die Eltern aber wollten zu* „ *dieser Eheversprechung etwan nur* wegen „ ihres eigenen Nutzens, *oder daß sie* „ *die Kinder, ihrer Geschäften halber nicht* „ *gern von sich lassen, oder lieber an an-* „ *dere Ort*, von Gut oder Eigennutzigkeit wegen, *verheurathen wollten, oder* „ sonst etwan beeder Theil Freundschaften keinen guten Willen zusammen „ tragen thäten, *im übrigen aber keine* „ *rechtmässige Ursach oder* legitimum impedimentum *vorzuwenden hätten, so* „ *soll alsdenn von unsern Ehe - Richtern* „ *und Räthen mit den widerwilligen Eltern,* „ *so viel müglich, sie zu gutlicher Bewilli-* „ *gung zu bewegen, mit Fleiß gehandelt,* „ *wo aber die bey denselben gantz nicht* „ *statt finden wollte, hingegen die zwey* „ *auf ihrem Versprechen beständig verhar-* „ *ren thäten, doch gleichwolen solche Ehe-* „ *verlobung nicht leichtlich getrennet, son-* „ *dern vor kräftig erkennt werden.* „

Ad §. 91.

An consensus patris impii, crudelis &c. sit necessarius?

Eandem cum Gerhardo sententiam, quod scilicet *patris impii, crudelis, prodigi, ebrioſi* &c. consensus sit necessarius, multi Doctores affirmant, & quidem, uti nos putamus recte. Verum enim est argumentum, ad quod & Gerhardus provocare videtur, quod ipsa patris potestas eius impietate non solvatur; & apte hoc exprimitur in *nov. 12. c. 2. licet legum contemtor & impius sit, tamen pater est.* Quamdiu itaque hoc præcipuum necessitatis istius consensus fundа-

damentum perdurat, nullum est dubium, patrem, quamvis pessimorum morum homo sit, semper ius suum in dirigendis nuptiis liberorum exercere. Hinc adeo l. 16. c. *de nupt.* expressis verbis requirit consensum patris, qui filiam exposuit & alere noluit. Vid. CYPRÆUS *de sponsal.* c. 6. §. 5. CARPZOVIUS L. II. def. 43. I. H. BOEHMERUS l. c. L. IV. t. II. §. 12.

Quodsi vero hæc ipsius impietas vel crudelitas in ipsa hac nuptiarum directione ita se exerit, ut vel ob *impietatem* consensum suum deneget, vel liberos suos ad ineundas coniunctiones impias iniuste cogere velit, tunc aliter res se habet, & liberi ad iudicem refugere, huiusque auxilium modo vix tractato implorare possunt. Pertinet huc casus ille, quem LEYSERUS *in spec. 291. coroll. 1.* affert ex SENECA Lib. I. controv. 6. de patre tali, in denegando suo consensu connubiali crudelem se exhibente, ubi observat, recte hoc in casu paternum consensum fuisse neglectum.

Ad §. 92.

Qualem effectum habeat ratihabitio parentum subsecuta?

Thesis illa, quam GERHARDUS late proponit, *quod sc. ratihabitio parentum subsecuta matrimonium sine suo consensu initum tantum a tempore ratiohabitionis validum reddat, & quod liberi ante hanc ratihabitionem nati habeantur illegitimi:* a variis varie accipitur. Multi quidem sunt ex iuris consultis, qui plane eandem cum GERHARDO fovent sententiam, uti STRUVIUS *in exerc. ad pand. exerc. 29.* th. 23. BROUWERUS *de iure connub.* Lib. I. c. VII. & L. II. c. XXIV. n. 44. LAUTERBACHIUS in coll. L. XXIII. t. II. §. 21. CARPZOVIUS l. c. L. II. def. 41. Io. HENR. BERGERUS *in resolut. legum obstant.* p. 528. ubi tamen observandum diversam utrobique huius rei considerationem institui, cum GERHARDUS una cum theologis magis ad coniugii internam moralitatem, iuris consulti vero ad eius effectus civiles potissimum respiciant. Non desunt tamen alii haud pauci pariter, qui contrarium statuunt, & contendunt: *ratihabitionem parentum effectum retrogradum in praeteritum habere & matrimonium tale ab initio validum reddere.* Quorum quum sententiam etiam nos amplectamur, horum argumenta iam exponemus, cuius expositionis eo magis solliciti esse debemus, cum ipsi hi ita sentientes non omnes ex sat solidis argumentis materiam explicuerint. Primus inter hos est sæpe laudatus DE LUDEWIG *in diss. de connubiali imperio.* Diff. II. c. VII. qui strenue contendit, ratihabitionem parentum retrotrahi & consensus instar esse, cuius rationes vero probatione indigent. Argumentum enim suum non ex iure romano desumit, cuius tamen usum hac in materia de ratihabitionis effectu præter eum nemo negabit, sed id ita instituit; liberos per ipsa matrimonia *emancipari*, hinc ad eorum connubia non ita necessarium esse consensum paternum, sed, si matrimonium iniverint, eos iam suæ potestatis esse, & hinc, cum hoc modo antea iam & ab initio valida sint eorum matrimonia, parentum consensum tantum honoris causa requiri, non ad perficienda connubia, sed ad decoranda ea. Hanc vero doctrinam admodum male cohærentem & omni fundamento destitutam esse, quilibet videt, cum hac ratione patria potestas omni effectu careret, & quæstio de consensu paterno in nuptiis liberorum inter inutiles referenda esset; ut transeamus thesin supra iam satis probatam, quod exitus e familia paterna non dependeat a solo liberorum arbitrio. Sine dubio hanc ex suo argumento necessario

sario fluentem consequentiam non sensit LUDEWIGIUS, qui alias in sua dissertatione effectum patriæ potestatis agnovit, & iura patris in connubia liberorum ipse defendit. Alter, quem huc referre possumus, est magni nominis iuris consultus ULRICUS HUBERUS, qui aliis plane rationibus utitur, & quæstionem hanc ex iure romano quidem decidit, ubi tamen accuratiorem omisit inquisitionem; resolvit quippe hanc quæstionem *in praelect. ad inst. T. de Nupt.* §. 10. & *ad dig. T. de Ritu Nupt.* §. 5. & duplici nititur hoc argumento: 1.) ratihabitionem esse eius naturæ, ut ad principium cuiusque actus retrotrahatur, & retro recurrat, vi *l. 16. §. 1. ff. de pignor. l. 56. D. de iudic.* l. 1. §. 14. *D. de vi & vi arm. l. 25. C. de donat. inter vir. & ux.* idque in omnibus, quæ consensu fiunt, etiam ipso iure nullis obtinere l. 3. §. 9. *D. de donat. int. vir & ux.* 2.) matrimonium tale in gratiam patris esse nullum, ius enim hoc esse patriæ potestatis, & libere ab eius arbitrio pendere, an ab illo recedere velit, & hinc, si recedat ab hoc iure suo, totam nullitatem in præsens & præteritum evanescere. Vera quidem est thesis, quam HUBERUS profert, at in hoc tamen non satis accurate probata nobis videtur, quod textus illi ex iure anteiustinianeo adducti rem neutiquam decidant. Nam regula illa communis de effectu ratihabitionis retrogrado, quatenus eam HUBERUS ex iure antiquo adstruit, ad nostrum certe casum applicari nequit, cum matrimonium patre invito contractum ob legis prohibitionem invalidum fuit, iis vero in casibus, quæ ob vitium legale seu ob legis prohibitionem invalidæ sunt, nihil quidquam retro operari potuit ratihabitio. Hoc etiam sensit HUBERUS ipse, quare propositionem suam ita formare studet, ut largiatur, ratihabitionem non efficere ut nuptiæ revera iustæ ab initio fuerint, sed eundem tribuere effectum, ac si legitimæ semper fuissent. Meliora hinc his omnibus dederunt LEYSERUS *spec. 291. med. 4.* & G. L. BOEHMERUS in cit. diss. c. l. §. 29. 30. qui diversas hasce sententias solide conciliant, & rem ita exponunt, dum distinguunt inter *ius pandectarum antiquum* & *novum*, qua distinctione clara redditur decisio. Iure enim antiquo pandectarum ratihabitio talem effectum retrogradum certe non habuit, & TRIBONIANUS *in pr. Inst. de Nupt.* non sine ratione desideravit, ut iussus parentum antecedat; uti hinc matrimonium ante paternam approbationem illegitimum fuerat, ita & liberi ante eam susceptI illegitimi habebantur; quamobrem contingere potuit, ut ex eadem coniunctione alii liberi fuerint iusti, alii iniusti. Iure vero noviori iustinianeo hæc sublata sunt, postquam Imperator generaliter constituit, ut omnis ratihabitio eandem vim ac consensus antecedens sortiretur, & retro valeret. *L. 25. c. de donat. inter vir & ux.* in fine verbis: *Sicut & alias ratihabitiones negotiorum gestorum ad illa reduci tempora oportet, in quibus contracta sunt.* Quod etiam sigillatim in paterna ratihabitione eorum, qua, patre inscio, a liberis acta sunt, repetiit confirmavitque *in l. 7. c. ad SC. Macedon. Necesse est enim*, inquit, *patris ratihabitionem vel principali mandato patris vel consensui non esse absimilem: cum nostra novella lege generaliter omnis ratihabitio prorsus retrotrahatur & confirmet ea, quae ab initio subsecuta sunt.* Ex quibus iam clare sequitur, paternam comprobationem matrimonii, invito patre a liberis initi, iure noviori eandem vim ac potestatem habere, ac consensum patris antecedentem; eandemque efficere, ut coniugium ab origine sit validum atque legitimum, & liberi ante eam progeniti, nunc iusti & legitimi habeantur. Et hoc modo etiam secundum iura recentiora, teste

LEY-

LEYSERO, iudicaverunt Wittebergenſes, quod ratihabitio patris reddat ſponſalia ante celebrata legitima, ac ſi ab initio talia fuiſſent. Sic & allegatus DE LUDEWIG diff. II. cap. VII. §. 4. refert formulam reſponſi, „ *Weil beyderſeits Eltern ihren* „ *wieder die geſchehene Verehligung getha-* „ *nen Einſpruch zurük genommen, auch* „ *nunmehro ihre Einwilligung zu derſelben* „ *gegeben; ſo wird dieſelbe von der Zeit,* „ *als ſolche vollzogen, vor gültig und rechts* „ *beſtändig billig erkannt.* Plures quoque eius generis ſententias adfert BRÜCKNERUS in append. ad cap. II. deciſ. n. 98. p. 149. 150. ex quibus apparet ſimul, liberis poſt talem ratihabitionem ob antecedentem contemtum paternæ auctoritatis pœnas fuiſſe inflictas. Ulterius etiam hanc praxin confirmant GAILIUS in obſerv. L. I. obs. 112. & L. II. obs. 48. 95. COTHMANNUS vol. I. cons. I. n. 148. Io. KITZELIUS *in practica matrimoniali* cap. 4. th. 2. tit. 9. ut ideo opus non ſit, cum LAUTERBACHIO l. c. eam adſumere theſin, quod liberi ex tali matrimonio ante ratihabitionem parentum progeniti pro legitimatis per ſubſequens matrimonium haberi & reſpici poſſint. Aliam quoque huic hactenus expoſitæ iungere poſſumus quæſtionem, *an etiam ratihabitio parentum tacita ſufficiat?* Quæ quæſtio in ſe facillimæ deciſionis eſt, cum huc æque regula de conſenſu tacito ſupra ad §. 88. propoſita quadret; verum in eo etiam conſiderationem potiſſimum meretur, quod hæc ratihabitio tacita præſumi poſſit, ex quo parentes noverunt matrimonium tale ſine ſuo conſenſu contractum eſſe, & non urgent neglectum huius conſenſus interveniendo & diſſenſum ſuum allegando. De hac parentum ratihabitione etiam diſponit noſtra *ordinatio matrim. Würtemb.* eique efficaciam tribuit, licet parentes non adeo volentes ex poſt conſentiant, ubi tamen ſimul iubet, ut contemtus parentum hoc caſu liberis non impune abire, ſed pro ratione circumſtantiarum pœna carceris coërceri debeat. P. III. c. I. §. 19. verbis: „ *Da aber Kinder ohne der Eltern Vorwiſſen* „ *und Willen ſich in Ehe - Verſpruch ein-* „ *laſſen, und ſelbige endlich gleichwohlen* „ *ihren* Conſens *nicht mit Willen, ſondern* „ *mit der Erklärung: Haben ſie es wohl* „ *geſchaft, werden ſie es wohl finden, ſie* „ *wollens weder hindern noch fürdern,* „ *oder ſich der Sachen beladen &c. &c.* „ *darein geben, ſo ſoll man ſolche verſpro-* „ *chene Eheleut zwar proclamiren und ein-* „ *ſegnen, gleichwohlen aber ſie wegen ſolcher* „ *eigenwilliger Eheverlobung und Verach-* „ *tung der Eltern, nach Gelegenheit der* „ *Sach und Umbſtänd, iedoch ohne Verhin-* „ *derung der Ehe, mit Gefängniß ſtraffen.*

Ad §. 93.

An ius nuptiis liberorum emancipatorum requiratur parentum conſenſus?

Quæſtionem *de nuptiis liberorum emancipatorum ratione conſenſus parentum* GERHARDUS tum ex iure civili, ubi ſimul differentiæ illius inter filios & filias familias mentionem facit, tum ex principiis theologicis recte decidit. Nos, quantum ad ius civile, heic obſervare poſſumus, quod etiam mores germanorum cum iure romano hoc in caſu certo reſpectu conveniant, & quod ſecundum hos caſus etiam frequentius exiſtere poſſit, cum de iure germanico modus emancipationis, vel uti vocatur, quaſi emancipationis, multo facilior ſit. Semper enim apud germanos liberi ex parentum poteſtate dimitti ſolebant, ex quo vel *filii* res ſuas ſibi habere inciperent, atque ita paternæ domus pars eſſe deſinerent, vel *filiae* nuptiis parentum conſenſu contractis, in mariti tutelam

transferrentur. Conf. THOMASIUS in diss. *de quasi emancipat. germ.* §. 22. HEINECCIUS *in elem. iur. germ.* Lib. I. t. VIII. §. 166. sq. perill. DE SELCHOW *in elem. iur. germ.* P. sp. L. II. c. II. t. II. §. 500. Hinc ad liberorum vel *per separatam œconomiam* vel per *nuptias* a domestica potestate liberatorum connubia consensus parentum iure legeque non fuit necessarius, id quod etiam hodienum observatur. Notandum vero simul, quod liberi emancipati, si iterum in domum ac potestatem parentum redierint, etiam rursus obstricti fiant, cum nova adsit ratio consensum parentum connubialem requirendi. Casus hic haud raro contingit respectu *filiarum viduarum*, si hæ post mariti obitum *in patris matrisve* tutelam iterum se recipiunt. Dissentiunt quidem in hoc argumento iuris consulti, quorum *alii* filias, priori marito mortuo, in parentum potestatem recidere simpliciter adfirmant ROMANUS TELLERUS *de deteriore fœminarum conditione in matrimonio contrahendo* th. 2. §. 13. DE LUDEWIG in *diss. de connub. Imp.* diff. II. c. 8. §. 13. *alii* vero id fieri negant, IO. A SANDE *decis. frisic.* L. I. t. VII. def. 5. At in hac quæstione res omnis eo redit, utrum filia vidua res suas sibi habere nec ad patrios lares redire malit? quo casu, uti primis nuptiis e manu parentum exiit, ita sui iuris existens parentum directioni haud subiicitur: an vero ad domum paternam redierit? quo ipso, imperio parentum domestico iterum se subiiciens, parentum in nuptiis secundis ineundis auctoritatem agnoscere tenetur; de qua re late disserunt I. H. BOEHMERUS l. c. L. IV. t. II. §. 13-16. & filius G. L. BOEHMERUS in cit. diss. c. IV. §. 71. Si iam respectu harum a liberis emancipatis celebrandarum nuptiarum inspiciamus constitutiones nostrarum ecclesiarum singulares, varias varie statuentes deprehendimus; *aliae* I.) hactenus adlata principia servant, & in nuptiis liberorum e patria potestate dimissorum consensum parentum tanquam necessarium non requirunt; sic sæpe cit. edict. Boruss. §. 10. excipit hoc casu filium emancipatum, verbis: „*welcher* sui iuris, „ *und nicht mehr unter des Vaters Brodt*, „ *sondern ausser dessen Gewalt ist* „ & generaliter sancit §. 12. „ *Wenn die Kinder bereits würklich* separatam familiam „ *führen, und etwa ihren Ehegatten verlohren, auch darauf* ad secunda *vota zu schreiten entschlossen seyn, alsdann wird ihrer Eltern Rath und* Consens *nicht* de „ necessitate *iedoch* de honestate *erfordert*, „ *daferne sie nur an ehrliche und nicht an allzu ungleiche Partheyen sich wieder verheyrathen.* „ Pariter etiam aliæ ordinationes hoc modo distinguunt, ex quibus tamen nonnullæ ad determinatam liberorum ætatem respiciunt, huiusque terminum hac in re tanquam modum solvendi patriam potestatem agnoscunt. Sic *ordinatio eccles. Pomeraniae* assumit pro termino annum XXV. vid. MOSERUM *in corp. iur. eccl.* tom. I. p. 40. Alibi ad nuptias filiorum, XXIV. annis & filiarum, XX annis minorum, consensus parentum necessarius est. Vid. *Cellische und Grubenhagische Kirchenordnung* de an. 1619. cap. 14. n. 7.

Aliae vero II.) sine ulla distinctione etiam in nuptiis liberorum emancipatorum requirunt hunc consensum de necessitate. Uti *const. elect. saxon. eccles.* ad quam ipse GERHARDUS provocat, & nostra *ord. in Würtemb.* verbis: „*Welchem nach denn keine Kinder Söhn oder Töchter*, „ wes Alters die auch sind, es sey in der „ ersten, andern oder folgenden Verehligung *&c.* P. I. c. II. §. 1. & porro: „ Wir wollen auch, dass die Kinder, „ sie seyn gleich noch unter ihrer Eltern „ Gewalt, oder nicht *&c.* P. II. c. VI. §. 1.

Hæc

Hæc ultima iuris Saxon. & Würtemb. dispositio movisse videtur CARPZOVIUM *in iurispr. consist.* L. II. t. III. def. 49. & cum eo BRÜCKNERUM *in dec. matrim.* n. 79. & n. 114. sqq. ut hi statuerint, esse adeo thesin iuris communis, quod in terris evangelicis parentum consensus nulla ætatis vel emancipationis habita ratione necessarius sit, ex eo, quod necessitas huius consensus ex præcepto divino de honorandis parentibus repeti soleat, cui etiam sententiæ favet GERHARDUS. At, quilibet videt, rationem, propter quam cit. ordinationes necessarium requirunt hunc consensum, ex *reverentia* erga parentes desumtam esse, quæ vero reverentia, uti in se obligationem producit saltim imperfectam, his constitutionibus particularibus mutata fuit in officium perfectum. Verum exinde non sequitur, de iure communi hoc ita se habere, cum, quod supra iam probavimus, hoc solius patriæ potestatis rationem & respectum habeat, hac vero cessante etiam iura parentum perfecta cessent. Optime hæc CARPZOVII sententia refutatur a G.L. BOEHMERO in cit. diss. c. IV. §. 74. qui rectiorem thesin ita format, quod in defectu constitutionum particularium, quibus imperfecta liberorum emancipatorum ad consensum paternum connubialem requirendum obligatio confirmata est, sola æquitas naturalis illorum consensum in emancipatorum connubio necessarium non efficiat. Cum enim, inquit, ex *reverentiae praecepto* necessitas & obligatio civilis non oriatur, nisi idem legi civili sit probatum, & inter protestantes eiusmodi lex universalis deficiat, quæ liberis emancipatis reverentiam erga parentes per modum coactionis iniungeret: secundum ius commune quoque nulla liberos emancipatos obligatio civilis adstringit ad parentum sententiam in nuptiis contrahendis explorandam. Unde nec nuptiæ nec sponsalia emancipatorum, invitis parentibus contracta, pro nullis haberi possunt. Accedit, quod parentum consensus necessitas non ex reverentia & amore liberorum erga illos, sed ex potestate in liberos iure germanico competente sit deducenda.

Ad §. 94.

An tutorum curatorumve consensus sit necessarius?

Quæ heic de consensu *tutorum & curatorum* expositis argumentis in utramque partem disserit GERHARDUS, etiam hodie varie accipiuntur a nostris scriptoribus. Dantur enim nonnulli, qui etiam de iure communi hunc consensum tutorum vel curatorum ad nuptias pupillorum minorumve tanquam necessarium requirunt, quos inter eminet JENICHEN *in obss. sel. de necessario tutorum seu curatorum in sponsalibus minorum consensu*; quæ tractatio adiecta est *meditationibus* LEYSERIANIS Vol. XI. Alii vero & quidem plurimi consensum tutorum vel curatorum tantum de honestate requirunt, idque ex iure romano recte evincunt. LAUTERBACHIUS *in coll.* L. XXIII. T. I. §. 21. LEYSERUS sp. 291. med. 9. CARPZOVIUS L. II. Def. 44. Certum enim est, iure romano neque tutoris neque curatoris consensum ita necessarium fuisse habitum, uti scriptores a GERHARDO adlati persuadere sibi voluerunt. Quamvis enim magna apud romanos fuit tutoris auctoritas, tamen ea neutiquam eo fuit prolata, ut nuptiæ pupillorum ab ipsius arbitrio dependerent, & textus ille l. 6. D. *de Sponsal.* in contrarium adductus claris verbis disponit, ut omnia ex *voluntate puellae* fieri debeant; ad quem textum recte observat GOTHOFREDUS, tuto-

rem neque constituere neque dissolvere potuisse puellæ sponsalia. Æque minus probat alterum argumentum de liberis patris furiosi, quod hi consensum curatoris adhibere debeant, cum adl. l. 25. C. *de nupt.* & cum ea conveniens l. 28. C. *de Episc. aud.* id tantum requirant, ut tales nuptiæ fiant præsentibus curatoribus, quorum vero præsentia non consensus interponendi causa necessaria habita fuit; id quod ex aliis legibus clare adparet, quæ disertis verbis disponunt, curatoris consensum non esse necessarium, cum magis rei quam personæ detur. l. 20. D. *de rit. nuptiis. Sciendum est, ad officium curatoris non pertinere, nubat pupilla, an non: quia officium eius in administratione negotiorum constat. Et ita Severus & Antoninus rescripserunt, in haec verba: Ad officium curatoris administratio pupillae pertinet: nubere autem pupilla suo arbitrio potest.* Similiter sancit l. 8. *in copulandis.* C. *de nupt.* a GERHARDO prolata. Quamobrem recte concludit LAUTERBACHIUS l. c. tutorum curatorumve consensum tantum de honestate requiri. At heic applicationem iuris romani plane reiicit JENICHEN l. c. C. II. §. 3. & CARPZOVIUM admodum reprehendit, quod hic principia iuris romani secutus sit; quamobrem ex iure germanico probare vult, quod secundum mores germanorum tutorum curatorumve consensus adeo necessarius fuerit, ut, si nollent consentire, nuptiæ cassæ, nullæ & irritæ fuerint, quas sine ipsorum consensu inierant minores. Verum hanc suam thesin non satis probavit JENICHENIUS, licet enim ex lege *Saxonica* & *Salica* demonstraverit, adhibitos fuisse tutores ad nuptias minorum, tamen ex his legibus eorum ius dirimendi tales nuptias neutiquam evincere potest, sed potius fatetur, C. I. §. 7. n. a. GÆRTNERUM *in notis ad hanc legem Saxonum* §. IV. not. t. p. 76. probasse, quod tutoris dissensus non potuerit impedire tales nuptias. Cum itaque hoc modo deficiat universale principium de necessitate consensus tutorum, ex iure germanico deducendum, sine dubio iusta est conclusio ex iure romano, & iniusta reprehensio illa JENICHENIANA. Et profecto ex sententia praxeos tutoribus vel curatoribus tanta autoritas non tribuitur, sed de honestate solum requiritur eorum consensus, non autem de necessitate. BRUCKNERUS hinc C. II. Dec. n. 76. recte observat, imparem & minorem esse tutorum auctoritatem quam parentum, & dissensum tutoris arbitrio iudicis æstimandum esse, ubi simul *in append.* p. 146. sententias variorum affert. Cæterum, quod ad ordinationes matrimoniales attinet, quarum plurimas magno labore probationis gratia contulit JENICHEN l. c. negari nequit, multas dari consensum tutorum & curatorum sub *pœna nullitatis* requirentes. *Ord. polit.* POMERANIÆ de anno 1681. C. IX. eiusque *ord. Eccl.* apud MOSERUM l. c. P. I. p. 30. *Const. Matrim.* LÜNEBURGICA de a. 1733. *in denen Braunschweig-Lüneburgischen Landes-Ordnungen und Gesetzen.* T. I. p. 941. *Const.* GUELPH. *in der renovirten Fürstlichen Verordnung wegen verbotenen heimlichen Verlobungen de a. 1725.* teste LEYSERO *291. m. 10* Pariter dispositum iure SCHAUMBURGICO, *Schaumburg. Policey-Ordnung* Cap. IV. p. 31. & multis aliis ordinationibus & statutis apud JENICHEN. C. I. Præprimis vero huc pertinet, quam ipse GERHARDUS adfert, *ordin. nostra Matrimonialis Würtemb.* hac in materia clare disponens. P. I. C. II. §. 6. verbis: „ *Und „ was hier von der Kinder Gehorsam gegen „ den Eltern in Ehe-Verlobungen geordnet, „ das soll auch von denen minder-jährigen „ gegen ihren, von der Obrigkeit zugeord-„ neten* Vormündern, *auch nächsten An-„ verwandten mit solcher Maas verstanden „ werden, daß wann die Pflegere sonder-bah-

„ *bahre, rechtmäßige und wichtige Urſa-*
„ *chen, in ihrer Vormunds-Kinder Ehe-*
„ *verſpruch nicht einzuwilligen hätten, ſo*
„ *werden die Fürſtliche Ehe-Richter und*
„ *Räth keine Ehe erkennen, hingegen aber*
„ *auch denen Pflegern nicht geſtatten, et-*
„ *wann aus Eigennützigkeit, oder ſelbſt ei-*
„ *genen Privat-Widerwillen ihre erwachſe-*
„ *ne und zum Ehelichen Hausweſen tüchti-*
„ *ge Pfleg-Kinder oder Verwandte von*
„ *ehrlichen und verſtändigen Heurathen ab-*
„ *zuhalten und zu verhindern.* „ Eandem, quam ſupra ad §. 93. adſtruximus, obſervationem & heic repetere poſſumus, quod ſcilicet per ordinationes ita ſtatuentes debitum reverentiæ, quod pupillis & minoribus incumbit, tutoribus & curatoribus præſtandum mutatum ſit in officium perfectum, & quod ex hac ſola ratione deducendum ſit ius tutoribus iure ſaltim particulari competens, impugnandi ſponſalia prætermiſſo ipſorum conſenſu a minoribus contracta. Ideo vero hoc tanquam principium univerſale reſpici nequit, cum multæ etiam ordinationes eccleſiaſticæ conſenſum tutorum de honeſtate tantum requirant, iisque ius ea annullandi ſponſalia neutiquam concedant, ſed alio modo, ſcilicet certis pœnis indictis, proſpiciant. vid. *Conſtit. Eccl. Magdeburg.* de a. 1685. C. X. n. 5. *Churpfaelziſche Ehe- und Ehegerichtsordnung* T. VI. §. *im Fall aber &c. Sachſen-Coburgiſche Ordnung von Ehe-Sachen* de a. 1616. apud MOSERUM P. I. p. 452. *Altenburgiſche Landes-Ordnung* P. I. C. VIII. Tit. I. §. *diejenigen Perſonen &c. ord. polit. Cellenſis* cap. XXX. §. 48. quæ conſtitutiones omnes tantum de *conſilio tutorum* adhibendo loquuntur. Aliis vero ordinationibus pœna ſtatuta eſt in eiusmodi ſponſalia, quæ ceteroquin manent valida. Iure *Slesvicenſi* a civitatis ſtatu excluduntur negligentes conſenſum tutorum, apud CYPRÆUM *de iure connub* c. 6. §. 9. 23. Aliæ vero dimidia vel quarta parte bonorum mulctant tales minores. *Fürſtl.* OELSNISCHE *Landesordnung* P. III. Art. X. OPPELISCHE *Landesordnung* Art. XV. c. I. JÜLICHISCHE *Policeyordnung* de a. 1563. tit. *heimliche Treu wider der Eltern Willen.* p. 17. plures alias ordinat. habet IENICHEN l. c. Ex quibus omnibus ſponte ſequitur principium univerſale ex moribus noſtris neutiquam probari poſſe, ſed potius firmam eſſe theſin ſupra iam adſtructam, quod de iure communi & in defectu conſtitutionum particularium, tutorum vel curatorum conſenſus tantum de honeſtate requiratur, hisque non competat facultas ſponſalia vel nuptias minorum ob neglectum conſenſum dirimendi.

Ad §. 96.

An requiratur conſenſus cognatorum?

De conſenſu *fratrum aliorumque propinquorum* idem dicendum, quod vix occaſione tutorum adnotavimus. Competit enim neque fratribus, neque aliis propinquis (de avo ad ſq. §. dicendi locus erit) poteſtas aliqua in nuptiis fratrum ſororumve dirigendis, ut hinc conſenſus eorum ad matrimonii ſubſtantiam, validitatem aut legitimitatem neutiquam requiratur, nec ſpretum eorum iudicium ipſis facultatem tribuat tales coniunctiones impugnandi; ſolius enim hac in re honeſtatis ratio habenda eſt, uti & de iure communi obſervant SCHWEDERUS *in conſil. Tubingens.* vol. VI. cons. IV. n. 34. LAUTERBACHIUS in coll. L. XXVI. t. II. §. 25. CARPZOVIUS L. II. def. 46. BRÜCKNERUS L. II. n. 43. Dantur tamen nonnullæ ordinationes eccleſiaſticæ, quæ hunc propinquorum conſenſum etiam de neceſſi-

tate requirere videntur; ipse GERHARDUS provocat ad ordinat. nostr. WÜRTEMBERG. quæ certe variis in locis etiam ad propinquos respicit. P. I. cap. I. §. un. verbis: „*seine* Sachen *nicht also anzustellen, daß er seinen künftigen Ehegatten durch heimliches, hochstraefliches zusammenschlupfen - den Eltern, Freunden - heimlich abstehle;* & l. c. C. II. §. 6. verbis: *auch* nächsten Anverwandten -- *verstanden werden*„ sic & iure *Lubecensi*, quod ulterius adlegat GERHARDUS, ita dispositum est „*würde einer oder mehr so verwegen seyn, daß sie eine Jungfrau -- verlobten, ohne Willen und Vollwort ihrer* nechsten Freunde, *soll er zur Straffe geben funffzig March, davon gehören der Jungfrau zwey Theil, und gemeiner Stadt der dritte Theil, dazu der Stadtwohnung verlustig seyn*„ quæ lex iterum repetita est *in der Inhibition der wiederrechtlichen Ehelöbnisse* de a. 1695. cuius observantiam tam ratione virginum quam masculorum testantur MEVIUS in *comm. ad ius Lubec.* Art. V. & STEINIUS *in der gründlichen Abhandlung des Lübischen Rechts* P. I. §. 95. sq. Huc etiam ex supra nominatis ordinationibus pertinent illæ, quæ mentionem faciunt *der nächsten Freunde oder Anverwandten.* Et negari nequit, eas ordinationes ita disponentes iniquas non esse sed adprobandas, quare & BRÜCKNERUS l. c. n. 76. sq. eas probat, & has practicorum regulas adplicat: *matrimonia clandestina non favore, sed odio, non praemio, sed pœna, non adprobatione & confirmatione, sed detestatione digna sunt:* item: *tantus est favor, matrimonium illegitimum dissolvere, quantus est favor, matrimonium legitimum consolidare.* At, quamvis forte propinquis hac vel illa ordinatione concedatur facultas consentiendi vel dissentiendi, tamen hoc non nimis extendendum esse, credimus, & potius statuimus, iis nullam competere facultatem dirimendi nuptias tales invitis ipsis initas, nisi ea in tali lege ipsis expressis verbis concessa sit; plane enim alia est ratio parentum, quam fratrum aliorumque propinquorum, quibus nulla tribui potest potestas, & præsertim nos in hac gravi materia cavendum esse putamus, ne facilis & nimis ampla detur occasio impugnandi nuptias, cum id æque producat magna incommoda, ac magna illa libertas connubiorum. Referri huc debet alia a BRÜCKNERO adlata regula. *Non minus peccat, qui iungit non coniungendos, quam qui separat non separandos.*

Ad §. 97.

An Avi consensus sit necessarius?

De consensu *Avi* ex iure romano recte argumentatur GERHARDUS, additis simul rationibus theologicis ex præcepto de honorandis parentibus desumtis, e quo obligationem nepotum avi consensum petendi evincit, & adeo iudicium avi tanquam maturius paterno præferendum statuit. Cum autem hæc ratio magis ad reverentiam omnibus parentibus debitam respiciat, argumenta vero ex iure romano, ob mutatam patriæ potestatis indolem, uti supra demonstratum fuit, non sufficiant, examinandum nunc, quid ex moribus hodiernis circa consensum avi iustum sit? Et quidem heic solicite distingui debet casus, an parentes primi gradus adhuc vivant, nec ne? Priori in casu sine dubio prævalet consensus parentum, & liberi eorum non ita adstricti sunt ad consensum avi, quia huic, quamdiu liberi in patris vel matris potestate sunt constituti, nullum in nepotes competit ius, ideoque nulla nuptiarum dirigendarum potestas. Iure enim germanico filii, separatam œconomiam instituentes, e potestate parentum ex-

exeunt, nec ex iis susceptí liberi vel hoc respectu nepotes subsunt avi imperio domestico. Altero vero in casu, si parentes deficiunt, utroque parente mortuo, vel matre ad secunda vota transeunte, iterum distinguendum, an nepotes ex moribus huius vel illius loci recidant in potestatem avi, an vero sui iuris maneant. Et priori in casu, subest fundamentum illius potestatis, quam olim nonnullæ leges antiquæ germanorum, referente G. L. BOEHMERO *in diss. cit.* C. II. §. 51. not. y. deficientibus parentibus dederunt avo paterno: posteriori vero casu, si nepotes non sint subiecti huic potestati, solum reverentiæ officium ipsis incumbit, quod respectu omnium ascendentium paterni & materni generis, avorum aviarumque æquali modo obligationem nepotibus imponit imperfectam, qua vero posthabita sponsalia eorum nullitate non laborant; quamvis all. DE LVDEWIG in *diss. de connub. imperio* Diff. II. C. X. principium illud romanum, *ne invito heres agnascatur*, ita huc adplicare studeat, ut ascendentibus maius tribuat ius in dirigendis descendentium nuptiis: quod etiam agnoscere videntur CARPZOVIVS l. c. Def. 45. & BRÜCKNERVS l. c. C. II. n. 75. qui statuit, sponsalia sine consensu avi & aviæ post mortem parentum primi gradus contracta rescindi posse. Et verum est horum sententiam defendi posse ex iurium particularium sanctionibus, cum dentur ordinationes, quibus ascendentium consensus parentibus mortuis de necessitate & sub pœna nullitatis requiritur. Cit. *edict. Boruss.* §. 7. verbis: „ *der Eltern, und wo die nicht mehr vor-* „ *handen, des Grosvaters und der Gros-* „ *mutter &c.* Cit. *const. Lunæburgens.* „ *zuforderst ihrer beyderseits Eltern, und* „ *wenn die nicht mehr im Leben, ihrer Gros-* „ *Eltern.* „ Item *Ordin. Würtemberg.* P. I. „ cap. II. §. 1. *Vorwissen und Willen ihrer* „ *Eltern, -- und da die nicht vorhanden,* „ *des Grosvaters und Grosmutter &c.* & „ P. II. cap. VI. §. 1. *welches wir dann --* „ *auch auf Grosväter und Grosmütter,* „ *wann Vater und Mutter verstorben, wol-* „ *len verstanden haben.* „ Cæterum heic notandum, quod in iis ordinationibus, quæ ascendentium expressam mentionem non faciunt, tamen hi ascendentes tacite subintelligantur sub vocabulis *der Eltern* vel *der nächsten Anverwandten.* Observatio enim GERHARDI, quod sub parentibus in sacra scriptura etiam intelliguntur ascendentes, etiam nostris moribus convenit; uti id ex antiquis moribus iam testatur HIER. BIGNONIVS *in not. ad Marculfi* form. apud BALVZIVM t. II. p. 937. *parentum* appellatione quoslibet *proximos vel consanguinitate iunctos* designari. Cf. BOEHMERVS in cit. diss. c. II. §. 51. not. 9.

Ad §. 98.

An pater suum consensum iterum revocare queat?

Divisioni consensus parentum in *generalem*, *specialem & individualem*, aliam addere possumus consensus huius speciem, quam superfluam non iudicamus, consensum nempe parentum *conditionatum*. Sæpius enim accidit, ut parentes a liberis rogati non statim pure consentiant, sed ob varias circumstantias hac vel illa conditione suam circumscribant voluntatem. Ponamus patrem filiam suam promittere Titio iuveni, ea conditione, si Titius munere aliquo fungatur; & iam quæritur tali in casu, qualem effectum habeat hic consensus patris conditionatus, & *an pater suum consensum iterum revocare queat?* Duplex heic casus adsumi potest, aut conditio hæc adhuc pendet, aut iam existit. Priori in casu conditione scilicet pendente sponsalia quidem in proprio sensu nondum contracta esse, certum

tum quidem est, at, cum partes inter se tamen sint obligatæ ad *eventum* expectandum, etiam pater interim consensum suum revocare nequit, nisi appareat, conditionem deficere. Arg. l. 8. D. *de peric. & com. rei vend.* Multo minus vero altero in casu recedere potest pater, si conditio existiterit vel adimpleta sit, cum iam consensus tanquam purus respiciatur, in omnibus enim negotiis conditionatis id observatur, ut conditio existens retrotrahatur in tempus contractus; l. 7. D. *de contr. emt.* l. 11. §. 1. D. *qui potiores in pign.* ubi Cajvs inquit: *cum semel conditio exstitit, perinde habetur, ac si illo tempore quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Accedit & hæc gravis ratio, quod liberi antea sub conditione desponsati iam habeant *ius quaesitum* ex consensu paterno semel dato, quod ius pater per suam pœnitentiam tollere nequit, ita ut eius dissensus post existentem talem conditionem non amplius in iudicio ecclesiastico attenderetur; uti enim nemo consilium suum in alterius iniuriam vel detrimentum mutare potest l. 75. D. *de reg. iur.* c. 33. *de reg. iur.* in 6to ita & patris inconstantia vel varietas in liberorum præiudicium tendere nequit. Havemannvs *in gamologia* L. I. t. IV. pos. I. §. 3. Tota hæc materia optime illustrari potest singulari quodam casu, quem ex Brücknero *dec. matrim.* cap. III. ubi latissime eum exponit, brevissimis adponamus: Nobilis quidam mortuo suo avunculo uterino viduam eius ambiit, & re adhuc integra patrem suum de consensu ad hoc matrimonium dando decenter interpellavit. Pater ab initio hoc coniugium propter nimiam affinitatis propinquitatem serio dissuasit; quia tamen filius a proposito desistere noluit, illud denique ipsius arbitrio reliquit pater sub ea conditione, si dispensationem impetrare posset. Quo facto hic filius, postquam simul nonnullas facultates tam theologorum quam iurisconsultorum conscientiæ servandæ causa consuluit, etiam a principe suo desponsationem petitam obtinuit. At deinceps pater nihilominus dissentire maluit & causam deseruit, quare etiam hoc ius revocandi consensum semel datum patri iure meritoque denegatum, & filio consummatio huius matrimonii permissa fuit. Argumenta in utramque partem ventilata cum integris actis huc pertinentibus profert Brücknervs l. c. Quibus ita expositis sine dubio quæstio supra proposita negari potest, & patri ideo non competit ius consensum semel sub conditione datum iterum revocandi. Aliter vero res se haberet, si pendente vel etiam existente conditione nova eveniret causa eaque iusta, quam pater antea non scivit, & ob quam consensum datum revocare vult, quo casu sine dubio dissensus paterni maior ratio habenda est. Vid. Brücknervm l.c. n. 13.

Ad §. 99.

Aliæ quæstiones. I. de patre captivo.

Quæstioni; *an in quibusdam casibus nuptiae liberorum sine consensu parentum contractae valeant?* quam Gerhardus generaliter tractat, & prolatis aliorum sententiis recte resolvit distinguendo inter rigorem iuris & æquitatem; speciales aliquas haud otiosas adiungamus quæstiones. I. *De patre captivo*, quæritur, *an & quomodo sine illius consensu nuptias inire queant liberi?* cuius quæstionis expositio certe inanis non est, cum & hodie casus existere possit, si nempe pater bello captus ab hostibus detineatur, liberi vero ipsius in matura ætate sint constituti, & nuptias adpetentes libenter consensum patris adhiberent, hac ratione vero impediti. Sine dubio hoc in casu impedimentum istud in præiudicium libero-

berorum converti nequit, cum alias sine ipsorum culpa nuptiæ impedirentur, si absolute necessarius esset patris consensus. Clare vero hic casus deciditur legibus Romanis. Quamvis enim iure Romano antiquo liberi hoc in casu non facile contrahere potuissent connubia, sed reditum parentis expectare, suasque nuptias differre deberent ex ea ratione, quod patris captivitate potestas illius non amissa sed tantum suspensa crederetur, ita ut a patre redeunte talia connubia sine consensu ipsius contracta rumpi potuissent, §. 5. *inst. quib. mod. patr. pot. solo. Si ab hostibus captus fuerit parens, quamvis servus hostium fiat, tamen pendet ius liberorum propter ius postliminii; quia -- reversus etiam liberos habebit in potestate.* & l. 22. ff. *de capt. & de postlim.* §. 2. verbis: *Nam status hominum, quorum patres in hostium potestate sunt, in pendenti esset: reverso quidem patre, existimatur nunquam suae potestatis fuisse.* Tamen ab hoc rigore iuris antiqui secesserunt leges Romanorum noviores. Cum enim hoc modo nuptiæ liberorum nimis impedirentur, reipublicæ Romanæ vero, nuptias magis promoveri quam impediri, potissimum interesset, generalis iam firmata fuit in l. *Iulia & Papia Poppaea* sententia: *postulare nuptiarum utilitatem, ne quod omnino illis impedimentum strueretur;* quam sententiam iuris consultus Tryphoninvs ad hunc casum adplicat & nuptias liberorum sine patris captivi consensu permissas esse adfirmat; in l. 12. §. 3. ff. de *Captiv. & postlim. nec mirum*, inquiens, *quia illius temporis conditio necessitasque faciebat, & publica nuptiarum utilitas exigebat.* Id vero etiam intuitu temporis, ex quo pater in captivitatem detrusus fuit, ita determinabatur, ut post effluxum *triennium*, quo pater captus erat, plenum & liberum ius connubii inscio etiam patre concessum fuerit liberis. *Is, cuius pater ab hostibus captus est, si non intra triennium revertatur, uxorem ducere potest;* verba sunt Ulpiani *in l.* 9. ff. *de Ritu nupt. Triennio* hoc autem adhuc *durante* filius quidem ducere poterat uxorem, at non nisi cum ea restrictione, ut cum tali persona nuptias contrahere deberet, *cuius conditionem patri non esse displiciturum* probabile esset, nam si cum femina propudiosa vel gente ac dignitate paterna indigna se coniungeret, iniustum habebatur matrimonium. Clare hoc statuit Iulianus in l. 11. ff. eod. tit. *Si filius eius, qui apud hostes est, ante triennium captivitatis patris uxorem duxit, vel si filia nupserit:* puto recte *matrimonium vel nuptias contrahi: dummodo eam filius ducat uxorem, vel filia tali nubat, cuius conditionem certum sit patrem non repudiaturum.* Tota itaque hæc iuris Romani sententia eo redit, ut ante triennium elapsum ex consensu patris captivi præsumto nuptias inire possent liberi, post triennium vero liberis nuptiæ simpliciter essent permissæ, nulla præsumti consensus paterni habita ratione. Cf. G. L. Boehmerus in diss. cit. C. I. §. 40. 41.

Eadem etiam II. *de patre absente* dici possunt, cuius consensus æque minus haberi potest, ac captivi, si nempe ignoratur, ubi commoretur. Quamobrem etiam cit. l. 10. & 11. ff. *de Ritu nupt.* idem disponunt de patre absente, & sine dubio ex paritate rationis casum captivitatis ad casum absentiæ paternæ transferunt, uti latius evincit cit. Boehmerus §. 41. Quæ omnia etiam hodie adplicari posse, nos non dubitamus, & tali in casu absentiæ, vel captivitatis patris, id saltim a liberis observandum esse iudicamus, ut iudicem eccleſiasticum adeant, & hoc in casu etiam tam huius decreto quam etiam consilio propinquorum maiorem ob securitatem utantur. Sic etiam alio in casu III. *Si pater furiosus sit*, eius consensus

frustra requireretur, cum consentire non posset, quamobrem etiam de iure Romano sponsalia vel nuptiæ liberorum, quibus furiosi vel mente capti patris consensus deest, clandestinitatis non arguuntur; *pr. Inst. de nupt.* l. 25. C. de nupt. BRÜCKNERUS *de spons. cland. iurat.* th. 18. Id saltim requirebatur LL. Rom. ut si avus superstes esset, huius consensus adhiberi debeat. l. 9. ff. de *Ritu nupt.* in princ. quod LAUTERBACHIUS *in coll.* L. XXIII. t. II. §. 30. etiam ad eum casum extendit, si liberi tales in avi potestate non sint constituti, quod vero magis nostris quam Romanorum moribus convenire videtur, uti ex hactenus dictis de consensu reliquorum propinquorum deficiente patre clarum est.

CON-

CONSPECTVS
LOCI,
CAPITVM, SECTIONVM ET RELIQVORVM CONTENTORVM,
IN TOMO HOC XVI. OCCVRRENTIVM.

CAPVT X.

de pugnantibus cum coniugio.

Ratio *ordinis* ac tractandorum indicatur. §. CCCCLXXXIV.

Pugnantia cum coniugio recensentur, ad *quatuor* generales *classes* revocata,

I.) ratione *causæ efficientis*, §. CCCCLXXXV.
- 1.) *primariæ*, quæ est Deus
- A.) *vituperationes* huius ordinis, sexusque muliebris.
- B.) errores hæreticorum, quibus *dignitatem* coniugii, a *divina* pendentem *institutione* labefactarunt.
- C.) *prohibitio* coniugii.
- D.) detestatio *secundarum* nuptiarum.
- 2.) *secundariæ* & *propinquae*,
- A.) error, qui *parentum consensum* necessario requiri negat.
- B.) omnia, quæ vel *iudicii integritati*, vel *voluntatis libertati* adversantur.
- 3) *antecedentis*, *disponentis* & *præparantis*, temeraria repudia.

II.) ratione *materiæ*, §. CCCCLXXXVI.
- 1.) *polygamia* simultanea.
- 2.) *incestus*.
- 3.) erroneæ *pontificiorum* opiniones de *gradibus prohibitis*.

III.) ratione *formæ*, §. CCCCLXXXVII.
- 1.) *vagæ libidines*.
- 1.) *impurus* cœlibatus.
- 3.) *concubinatus*.
- 4.) *adulterium*.
- 5.) *anabaptistica* uxorum communio.
- 6.) divortium *illegitimum*.

IV.) ratione *finis*, §. CCCCLXXXVIII.
- error *pontificiorum*, quo coniugium *vere & proprie sacramentum* esse statuunt.

Cum plurimæ harum rerum, quæ pugnant cum matrimonio, facilem habeant explicationem ex *superioribus*, *tria* duntaxat capita uberius pertractantur, videlicet 1.) de *cœlibatu*, 2.) de *concubinatu*, 3.) de *divortio*.

SECTIO I.

de coelibatu.

A.) Cœlibatus etymologia & homonymia enarratur. §. CCCCLXXXIX.

B.) *Quæstiones duæ* principales de cœlibatu proponuntur,

I.) *An & quatenus* cœlibatus *coniugio* sit *præferendus*? §. CCCCXC.

Huius quæstionis explicatio sequentibus continetur *propositionibus*:
- 1.) cœlibatus *purus* & *castus* in hominibus ad eum *idoneis non* est *improbandus*.

Hæc thesis criminationibus *Iudæorum*, ac quorundam *gentilium* opposita
- α.) *probatur*,
- a.) ex manifestis *scripturæ dictis*, *Matth.* XIX, 12. 1. *Cor.* VII, 2. *Es.* LVI, 4.
- b.) ex probatis eorum *exemplis*, qui statum vitæ *cœlibis* amplexi sunt.
- c.) ex cœlibatus *commodis*.
- d.) ex *imperatorum* constitutionibus.
- e.) ex *patrum* suffragiis.
- β.) *defenditur*, §. CCCCXCI. ab *obiectionibus* desumtis
- a.) ex *Gen.* II. 18.
- b.) ex 1. *Cor.* VII. 8.

c.) ex 1. *Tim.* V. 14.

2.) Cœlibatus *absolute & in se bonum opus non est*, sed boni operis *status*, & ex eorum genere, quæ ad aliud referuntur. §. CCCCXCII. Hoc

α.) ostenditur

a.) ex ipsius *cœlibatus* natura.

b.) ex regula *apostolica*, 1. Cor. VII. 36.

c.) ex *veterum* doctrina.

β.) adplicatur ad *redarguenda immodica cœlibatus encomia*. §. CCCCXCIII.

3.) cœlibatus non nisi in personis *idoneis* probandus. §. CCCCXCIV. Hæc thesis

α.) demonstratur:

a.) ex adsertione *Christi*, *Matth.* XIX. 11.

b.) ex disputatione *apostoli*, 1 *Cor.* VII.

c.) ex determinatione *temporis* & *ætatis*.

β.) opponitur *pontificiæ* cælibatus religioni. §. CCCCXCV.

4.) cœlibatus non est laudandus cum *contumelia coniugii*. §. CCCCXCVI. quod

α.) adseritur *scripturæ sacræ* plorumque *veterum* dictis.

β.) opponitur, §. CCCCXCVII.

a.) erroribus *veterum hæreticorum*.

b.) incommodis *Tertulliani* & *Hieronymi* dictis,

c.) *pontificiis*. §. CCCCXCVIII.

5.) cœlibatus quatenus coniugio præferendus sit, ex *sacra scriptura*, & quidem ex *propria huius doctrinæ sede* deducendum. §. CCCCXCIX.

α.) ex loco 1. *Cor.* VII adferuntur rationes, *causam finalem cœlibatus* continentes; q. f.

a.) *necessitas*, sive discrimen persecutionum.

b.) maior *vitæ tranquillitas*.

c.) maior *serviendi Deo opportunitas*; qui tertius cœlibatus finis ususque etiam ostenditur ex verbis servatoris, *Matth.* XIX, 12. §. D.

β.) Repelluntur

a.) immodica *cœlibatus encomia*, quæ apud veteres interdum occurrunt. §. DI.

b.) *pontificiorum* clamores, quod cœlibatus sit *opus* quoddam *supererogationis*, sive satisfactio peccatorum maxima & meritum regni cœlorum. §. DII.

6.) in cœlibatu eligendo vigere debet *recta intentio*, *doni* cuilibet dati *exploratio*, & diligens *omnium circumstantiarum consideratio*. §. DIII.

7.) *Nullus cælebs*, etiamsi castissime vivat, *coniugibus sese præferat*. §. DIV.

II.) An ad cœlibatum suscipiendum quidam homines vel *voto aliquo spontaneo*, vel *lege ecclesiastica adstringi* possint ac debeant? §. DV.

Hæc quæstio explicatur proposito *theoremate generali*, *votum cælibatus*, quod in *papatu* hodie viget, non solum ἀγράφον esse, sed etiam ἀντιγράφον.

I.) *Demonstratur*, votum cœlibatus, quod in *papatu* hodie viget, *fundamento sacrarum literarum destitui*, seu ἄγραφον esse, quia divinum *mandatum*, probatum *exemplum*, *promissumque* singulare ei desit. §. DV. DVI.

A.) Notatur, quæstionem hic esse *non* de votis *in genere*, sed de voto *cælibatus*.

B.) Excutiuntur *contraria pontificiorum argumenta*, desumta

α.) ex *vet. test.* Proferunt enim

a.) exemplum *Jephtæ*, qui filiam suam *perpetuæ virginitati* devoverit. Jud. XI. 39. §. DVII. Hinc.

aa.) recensentur diversæ *de voto Jephtæ* opiniones,

* quarum patronos plures commemorat nota *editoris*.

bb.) ostenditur, si vel eorum sententia sumatur, qui Jephtæ filiam *perpetuæ virginitati devotam* existimant,

* *Editore* in notis suffragante, non tamen ex ea votum cœlibatus stabiliri.

b.) exemplum Raziæ, 2. Maccab. XIV. 38. §. DVIII.

β.) ex *novo testam.*;

a.) *Matth.* XIX. 12. §. DIX.

* Bellarmini obiectionem, ex hoc loco petitam, *editor* adiecta observatione exinde diluit, quod verba servatoris *nudam* duntaxat factorum quorundam *recensionem* contineant, temporis istius sectæ, cui *Essenorum* nomen adcommodatam; nihil vero *adprobent* sive *præcipiant*. Alia *editoris* nota, Origenis *semet* ipsum *evirantis* factum, adductis Eusebii verbis diiudicat, insimulque non nihil subiicit de superstitione, *iam ante* Origenis *tempora* in valescente, qua non pauci effato illo Christi adeo sunt abusi, ut se ipsos evirarent.

b.) *Luc.* I. 34. §. DX. Copiose heic agitur, de *voto virginitatis*, quod *Maria* dicitur emisisse, obstante quidem ipsius *desponsatione*.

c.) *Act.* XXV. 9. §. DXI. respondetur, non *hoc* tanquam singulare com-

commemorari, quod *Philippo* quatuor *virgines* filiæ fuerint, sed quod virgines *prophetantes*.

d.) 1. *Cor.* VII. 37. §. DXII. discrimen constituitur inter *firmum* quoddam *propositum*, & *votum pontificium*. Illud *conditionem* habet, hoc *omnem* matrimonii ineundi potestatem excludit; illud *fine* suscipitur *recto*, hoc *perverso*, ut videlicet sit satisfactio pro peccatis.

e) 1. *Tim.* V. 11. §. DXIII. DXIV.

aa.) ostenditur, per πρωτην πιστιν, quam viduæ illæ dicuntur irritam fecisse, non intelligi *pontificium* cœlibatus votum, sed apostasiam a christiana religione, & peccata contra conscientiam, per quæ fides in baptismi susceptione Deo data, frangatur atque violetur.

bb.) BELLARMINI exceptiones solvuntur. §. DXV.

γ.) quæ BELLARMINUS ex conciliis, pontificum & imperatorum decretis, patrumque scriptis pro adstruendo cœlibatus voto adfert, breviter repelluntur §. DXVI.

2.) confirmatur, votum cœlibatus, *pontificiis* solemne, *scripturæ sacræ adversari*: & multis quidem modis:

A.) ratione *causæ efficientis*. Nam suscipiunt vota cœlibatus vel exigunt etiam

α.) a personis, in *ætate* adhuc *immatura constitutis*; §. DXVII. cui praxi pontificiæ opponitur

a.) dictum *apostolicum*, 1. *Tim.* V. 9. §. DXVII. DXVIII.

b.) gravissimum *periculum*. §. DXIX.

c.) *consequens absurdum*.

d.) *primitivæ ecclesiæ* iudicium. &c.

BELLARMINI argumento, quod etiam *iunioribus perpetuam liceat* vovere continentiam, confelluntur §. DXX.

β.) a *liberis*, *parentum potestati* adhuc *subditis*. §. DXXI.

a.) proferuntur argumenta *scripturæ* contraria.

b.) BELLARMINI rationes atque exceptiones retunduntur. §. DXXII.

γ.) a *desponsatis*. §. DXXIII.

δ.) a coniugatis.

ε.) ab *ineseatis & seductis*.

ζ.) a *coactis* ad cœlibatum.

η.) a *sacerdotibus*.

ϑ.) a viventibus in *otio*.

B.) ratione *materiæ*; quia papale cœlibatus votum in personis *continentiæ dono non instructis* est *impossibile*. §. DXXIV. probatur itaque, *continentiæ donum* non commune esse, ac in arbitrio & potestate unius cuiusque positum, sed *speciale*, sequentibus fundamentis.

α.) ex dicto *Christi*, *Matth.* XIX. 11. §. DXXV.

a.) vis huius argumenti ostenditur. &c.

b.) obiectiones BELLARMINI dissolvuntur. §. DXXVI. DXXIX.

β.) ex loco *apostolico*, 1. *Cor.* VII. tanquam propria huius doctrinæ sede. §. DXXX.

a.) demonstratio proponitur.

b.) quæ BELLARMINUS regerit, confutantur. §. DXXXI. DXXXVI.

γ.) ex 1. *Tim.* V. 9. seq. §. DXXXVII.

δ.) ex dictis *patrum*. §. DXXXVIII.

ε.) ex ipsa *experientia*. §. DXXXIX.

C.) Ratione *formæ*. Nam papale cœlibatus votum *pugnat cum libertate christiana*; ubi *pontificii* ipsi se redarguere videntur, cum cœlibatum *consiliis evangelicis* adnumerant. §. DXL. DXLI.

D.) ratione *finis*, quia cœlibatum eligunt *pontificii*, ut *pro suis & aliorum peccatis* hac ratione *satisfaciunt*, ac *vitam æternam* sibi aliisque *promereantur*. §. DXLI.

E.) ratione *obiecti*, dum non Deo solum, sed etiam *sanctis* eum voveri posse disputant. §. DXLIII.

F.) ratione *adiuncti*, quod in *otiosæ lautæque vitæ* statum votarios suos collocant. §. DXLIV.

G.) ratione *effecti*, quod ex cœlibatus voto *absolutam a matrimonio abstinendi necessitatem* consequi statuant. §. DXLV.

Explicatur heic quæstio, an *liceat matrimonium contrahere post votum*? §. DXLVI.

α.) Adductis iustis *cautelis*, *demonstrœtur*, *licere* illis, qui *continentiæ dono* prorsus *se carere* animadvertant, propter ustiones perpetuas & præsentissimum fornicationis periculum, matrimonium contrahere;

a.) a voti huius *conditione*, §. DXLVII.

b.) ab *apostolico* decreto. 1. Cor. VII. 2. 9. §. DXLVIII.

c.) ab ipsa *pontificis dispensatione*. §. DXLIX.

d.) a *necessitate*, qua homines isti constricti sunt. §. DL.

e.) a *conciliorum* definitione. §. DLI.

f.) a *patrum* suffragiis. §. DLII.

β.) *pontificia contra nuptias votariorum* argumenta excutiuntur, petita

a.) ex voti *obligatione*. §. DLIII.

b.) ex *apostolica* comminatione. 1. Tim. V. 12.

c.) ex votariorum cum *Christo* desponsatione.

d.) ex *patribus*. §. DLIV.

SECTIO II.

de concubinatu.

I. *Generatim* agitur

1.) de concubinatu *patriarcharum* in *vet. test.* §. DLV. Horum concubinas non impura fuisse scorta monetur, sed veras ac legitimas uxores, verumtamen *secundarias*, quæ adfectu quidem maritali, sed sine legalibus instrumentis privatim ducerentur.

2.) de concubinatu *secundum ius civile*, seu *romanum*. §. DLVI.

3.) de diversis circa concubinas decretis *in iure canonico*, quorum

A.) specimina, §. DLVII.

B.) interpretationes *variæ ac discrepantes* adferuntur §. DLVIII.

II. Speciatim probatur, in *ecclesia christiana* concubinatum *non* esse *tolerandum*, §. DLIX.

1.) ob *divinum* coniugii legitimi *institutum*.

2.) ob manifestum dictum *apostolicum*, Hebr. XIII. 4.

3.) ob *scandalum* publicum.

4.) ob concubinatus *principium*.

5.) ob *Christi* interdictum.

6.) ob *veteris & purioris ecclesiæ* consensum.

SECTIO III.

de divortio.

Monetur, coniugio adversari *divortium*; & *ordo tractandorum* de eo proponitur. §. DLX.

ARTICULUS I.

De Onomatologia divortii.

Notatur *divortii*

I. ἐτυμολογια. §. DLXI.

II. ὁμωνυμια.

III. συνωνυμια. §. DLXII.

ARTICULUS II.

De pragmatologia divortii.

MEMBRUM I.

An sit divortium in novo testamento.

Formato *quæstionis statu*, ubi monetur, quæri de matrimonio in *nov. test. fidelium consummato*, eiusque *quoad vinculum* dissolutione, propter adulterium *quodlibet* instituenda. §. DLXIII. *adfirmans* sententia, scilicet *fieri posse divorsium*, probatur atque defenditur.

I. *Adfirmantium* argumentorum *sex* producuntur *classes*.

1.) perspicua *scripturæ testimonia*, enunciata

A.) ab ipso servatore nostro *Iesu Christo*, *Matth.* V. 31. & XIX. 9. cuius probationis vis

α.) explicatur, §. DLXIV.

β.) adversos *Bellarmini* detorsiones adstruitur §. DLXV. - DLXIX.

B.) ab *Apostolo paulo*. 1 Cor. VII. 10 - 15. §. DLXX.

α.) momenta dicti evolvuntur.

β.) *Bellarmini* exceptiones enervantur §. DLXXI.

2.) *rationes* variæ; nimirum

α.) adulterii conditio. §. DLXXII.

β.) consecutiones absurdæ. §. DLXXIII.

γ.) hypotheses *pontificiæ*. §. DLXXIV.

3.) *conciliorum decreta*; § DLXXV.

α.) adducta a CHEMNITIO, qui provocat ad *Neocæsarienſe* & *Milevitanum*.

β.) aucta a GERHARDO, §. DLXXVI.

4.) *imperatorum rescripta*. §. DLXXVII.

5.) *patrum* sententiæ, ut ORIGENIS, HIERONYMI, AMBROSII, POLLENTII, LEONIS, §. DLXXVIII. aliorumque, a GERHARDO adductorum, §. DLXXIX.

6.) ipsorum *adversariorum suffragia*; §. DLXXX.

α.) *pontificum* decreta.

β.) *conciliorum* definitiones, in *iure canonico* adprobatæ.

γ.) *patrum* dicta, in iure canonico adprobata.

δ.) *scriptorum recentiorum* testimonia.

II. *Antithesis pontificiorum* examini subiicitur.

1.) *Criminationes* nostris, ut LUTHERO, MELANCHTONI, BRENTIO, CHEMNITIO illatæ, repelluntur, §. DLXXXI.

2.) *Argumenta pontificorum* expenduntur, in *tres* divisa *classes*, quas efficiunt

A.) *Scripturæ* dicta,

α.) *Matth.* V. 32. §. DLXXXII.

β.) *Marc.* X. 11. §. DLXXXIII.

γ.) *Rom.* VII. coll. 1 *Cor.* VII. 29 §. DLXXXIV - DLXXXVI.

δ.) 1 *Cor.* VII. 10. §. DLXXXVII.

B.) *Traditio*; §. DLXXXVIII. DLXXXIX.

C.) *Rationes*, peritæ.

α.) ex *coniugii* natura, quæ unionem Christi cum ecclesia *indissolubilem* significet. §. DCX.

β. ex

β.) ex incommodis, in *liberos* redundantibus. §. DXCI.
γ.) ex consequente *repudiorum multitudine* §. DXCII.
δ) ex *absurdo*. §. DXCIII.
ε) ex conformitate cum *moribus gentilium*. §. DXCIV.

MEMBRUM II.

De causis divortii.

I. Enarrantur *variæ* divortii *causſæ*
1.) ex historia *politiæ iudaicæ*, §. DXCV.
Quatenus divortium in *ver. test concessum* fuerit disputatur contra *Bellarminum*, §. DXCVI.
2.) ex historia *aliarum gentium*. §. DXCVII.
3.) ex historia *Romana*. §. DXCVIII.
4.) ex *iure civili*. §. DXCIX.
5.) ex *iure canonico*. §. DC.

II. *Vera* & genuina sententia ex *verbo Dei* proponitur, quippe quod *non nisi unicam causam divortii proprie* sic dicti agnoscit, videlicet *adulterium* §. DCI.
Hoc, proposito *quæstionis statu*
1.) probatur
α.) ex Christi institutione, *Matth.* V. 32. §. DCII.
β.) ex vinculi coniugalis obligatione. §. DCIII.
γ.) ex adulterii conditione.
δ) ex sufficienti enumeratione.
ε.) ex verorum sententiis.
2.) *defenditur* contra *antithesin*
A.) *veterum* quorundam *hæreticorum*, & ecclesiæ *græcæ*. §. DCIV.
B.) quorundam *canonum*.
C.) quorundam *theologorum* ac *iuris consultorum*; §. DCV. quorum argumenta considerantur, desumta
α.) a *magistratus* autoritate.
β.) ex *absoluta vi* verborum *Christi*, *Matth.* V. 32. §. DCVI.
γ.) ex *apostolici additamenti* claritate, 1. Cor. VII. 15. §. DCVII.
δ.) ex paritate rationis multiplici, §. DCVIII. & quidem respectu
a.) causæ *efficientis*.
b.) causæ *permittentis*. §. DCIX.
c.) *obiecti*. §. DCX.

Hæc de causis divortii doctrina ut illustrior sit, latius tractatur 1.) de *adulterio*, 2.) de *desertione*, 3.) de *reliquis causis*, quæ adulterio & desertioni in hac de divortio quæstione coniungendæ ab aliis censentur. Constituitur itaque

THEMA I.

de adulterio.

Quæstiones explicantur sequentes:
I. Quid *adulterii* nomine *proprie* intelligatur, quando illud inter *causas divortii* numeratur? §. DCXI.
Nimis *lata* adulterii adpellatio notatur §. DCXII.
II. An in crimine adulteri persona *innocens teneatur nocentem deserere*, *vel retinere*? §. DCXIII.
Præter responsionem *auctoris*, quæ eo redit;
„ tentandam quidem esse *reconciliationem*;
„ si vero pars innocens nequeat persuaderi,
„ ut nocentem in gratiam recipiat, cogi
„ eam non posse, ut iuri suo renuntiet. „
adfertur atque discutitur
1.) sententia HIERONYMI *negantis*, §. DCXIII. DCXIV.
2.) sententia *adfirmans* AVGVSTINI; cuius insimul fundamenta subvertuntur. §. DCXV. DCXVI.
III. An adulterium sit *totalis* vel *partialis* causa divortii? §. DCXVII.
IV. An in petendo propter adulterium divortio *idem ius uxori* adversus *maritum adulterum* competat, quod *marito* adversus *uxorem adulteram*? §. DCXVIII.
Negantis sententiæ argumentis confutatis, *adfirmans* probatur §. DCXIX, & *obiectiones* solvuntur §. DCXX.
V. *Quas exceptiones* causa adulterii admittat? §. DCXXI.
VI. An parti *nocenti* aditus ad *secundas nuptias* concedendus? §. DCXXII.

THEMA II.

de desertione.

A.) *Desertionem malitiosam* sufficientem esse *divortii causam*, *generatim* adfirmatur ex verbis *apostoli*, 1. *Cor.* VII. 15. *si infidelis discedit*, *discedat*; *non est servituti subiectus frater aut soror &c.*
B.) *speciatim* vero *tria* hoc loco explicantur:
I. Quid nomine *infidelis* intelligatur? §. DCXXIII.
Resp. apostolum intelligere quidem hominem *professione* infidelem, qui vel nondum amplexus est fidem Christi, vel ad *iudaicam* sive *ethnicam* superstitionem post initum coniugii fœdus defecit. §. DCXXIII. sed hanc *speciem & hypothesin* recte a *nostratibus* transferri ad *genus* & *thesin*, intelligique nomine

infidelis desertoris etiam eum, qui quavis ex causa tantum coniugis odium concipit, ut temere & sponte ab ea discedat, alios sectetur amores, & cognitioni magistratus sese subtrahat, nec ullam admittat reconciliationem, nec revocari sese patiatur, §. DCXXIV; quod probatur

1.) ex dicto *Pauli*, 1. Tim. V. 8.
2.) ex *similitudine facti*.
3.) ex consideratione *textus apostolici*.
4.) ex manifesta suspicione *adulterii*.
5.) ex *lege civili*.
6.) ex constitutionibus quibusdam *provincialibus*.

II.) Quid per *discessionem* in textu apostolico intelligatur?

1.) *generatim* hoc exponitur, §. DCXXV.
2.) monetur, *distinguendum* esse inter absentiam necessariam, probabilem, casualem, & inter absentiam temerariam, voluntariam, *malitiosam*. §. DCXXVI.

III. Quid per *liberationem a servitute* in textu apostolico sit intelligendum? §. DCXXVII.

C.) *Quæstiones* enodantur:

I. An qui *militiæ causa* abest, pro desertore sit habendus? §. DCXXVIII.
II. An *captivus* pro desertore habendus? §. DCXIX.
III. An *pertinax denegatio coniugalis debiti* sit species desertionis? §. DCXXX.
* Nota adfert SELNECCERI explicationem pronunciati cujusdam, quod male intellectum LUTHERO vitio solet verti; in *præfat. ad colloq. mens. Lutheri.*
IV. Num *sævitia* æquetur desertioni? §. DCXXXI.
V. *Quantum temporis spatium* requiratur, ut quis desertor præsumatur? §. DCXXXII.
VI. Num *desertæ* personæ deneganda sit *novi matrimonii* ineundi potestas, si *occasionem* desertionis *ipsa* dedisse convincatur? §. DCXXXIII.
VII. Quid agendum, si *desertor redeat*, coniugemque alteri nuptam repetat? §. DCXXXIV.
VIII. An ex hac *nostra* de desertione doctrina, quæ deserto coniugi *novum concedit coniugium*, sequatur polygamia simultanea, adeoque ipse *Turcismus*? §. DCXXXV.

THEMA III.

de reliquis divortii causis.

A.) *Præiudicium* adfertur, quid de reliquis præter explicatas illas duas, divortii causis statuendum sit; & *pontificiorum* hac in re definitiones iusto ordine proponuntur. §. DCXXXVI.

B.) *Quæstiones* præmittuntur:

I. An *pontificii* recte faciant, quod *plures* divortii (id est, *separationis quoad thorum & mensam*, illam enim *divortii* nomine intelligunt,) *causas* constituant, præter adulterium & malitiosam desertionem? §. DCXXXVII. DCXXXVIII.
II. An *mutuo dissensu* matrimonia solvantur? §. DCXXXIX.

C.) Transitus fit ad *specialem* illarum causarum διασκεψιν, ubi

I. Considerantur ea, quæ *canonistæ* & *scholastici* vocant, impedimenta, *matrimonium contrahendum prohibentia*, & *contractum dissolventia*, §. DCXL. hac serie:

1.) *error* personæ. §. DCXLI.
2.) *conditio* servitutis. §. DCXLII.
3.) *votum* religionis. §. DCXLIII.

*.) Statuitur, matrimonia *post votum solenne* continentiæ contracta, *non* esse *irrita*, nec dissolvenda, ex eo, quod contraria *pontificiorum* opinio sit

a.) ἄγραφος.
b.) ἀντιγραφος, ut patet

aa.) ex diserta & expressa *Christi* decisione, *Matth.* XIX. 6.
bb.) ex *apostolica* repetitione, 1. *Cor.* VII. 10.
cc.) ex *voti* huius *conditione*.
dd.) ex potestate matrimonii ineundi, votariis *haud* prorsus *deneganda*.
ee.) ex *veteris ecclesiæ* testimoniis.
ff.) ex *ipsorum adversariorum* hypothesi.

β.) *Dissensiones pontificiorum* de matrimonio post votum contracto notantur. §. DCXLIV.

γ.) Argumenta *Bellarmini* diluuntur, sumta
a.) ex *auctoritate* conciliorum, pontificum & patrum. §. DCXLV.
b.) ex *ratione* duplici, quarum summa hæc est:
aa.) ecclesiam *potuisse* votum solenne constituere pro impedimento matrimonium dirimente, §. DCXLVI. DCXLVII.
bb.) ecclesiam *graves iustasque causas* habuisse, impedimentum hocce constituendi. §. DCXLVIII.
4.) *cognatio*. §. DCXLIX.
5.) *crimen*. §. DCL.
6.) *cultus disparitas*. §. DCLI.
7.) *vis*. §. DCLII.
8.) *ordo*. §. DCLIII.
9.) *ligamen*. §. DCLIV. quod duplex esse potest, *sponsaliorum* & *matrimonii*; ubi

*.) ma-

α.) *matrimonii* ligamen omnino prohibere & dirimere adferitur matrimonium *sequent.*

β.) quoad ligamen *sponsaliorum*

a.) adducuntur argumenta eorum, qui *posterius* matrimonium, cum alia persona initum *irritum* esse pronunciant. §. DCLIV.

b.) *contrariæ* sententiæ fundamenta proponuntur. §. DCLV.

c.) deciditur *distinguendo*, §. DCLVI.

aa.) inter sponsalia *proprie* sic dicta, & matrimonium *ratum*, nondum consummatum.

bb.) inter *strictum* iuris *rigorem*, & ἐπιείκειαν.

10.) *honestas* publica, id est, *adfinitas* ex *sponsalibus* orta. §. DCLVII.

11.) *si sis adfinis*, id est, *adfinitas*, quæ per *carnalem copulam* contrahitur. §. DCLVIII.

12.) *si forte coire nequibis*, id est, *impotentia* coeundi.

α.) probatur, impotentiam, si quidem vera sit ac certa, nec post ratum iam & consummatum coniugium *supervenerit* ex *accidente*, *legitimum* esse *impedimentum*, dirimens matrimonium:

a.) ex iure *divino*.

b.) ex *rationibus*.

c.) ex iure *canonico*.

d.) ex lege *civili*.

β.) dividitur impotentia, ratione *causarum* in *naturalem*, *accidentalem*, & *maleficialem*. §. DLIX.

γ.) *cautelæ* indicantur, secundum quas ferenda sit *sententia* iudicialis de matrimonio ob impotentiam irrito. §. DLX.

δ.) *Quæstiones* excutiuntur:

a.) an in casu impotentiæ *maleficialis* medicamentis & *remediis naturalibus uti* conveniat? §. DLXI.

b.) an soluto propter impotentiam matrimonio *novarum nuptiarum* potestas coniugibus concedenda? §. DLXII.

c.) an mulier ab impotenti marito nupta cum eodem *pacisci* possit de *furtivis* cum ipsius consanguineo *congressibus*? §. DLXIII.

De *numero* impedimentorum illorum, quæ matrimonium contrahendum impediunt, contractum dirimunt, generalis subiicitur observatio. §. DCLXIV.

II. Expenduntur *causæ* divortii, duabus illis superioribus *ab aliis additæ*.

1.) *infidelitas*; sive secessio a fide. §. DCLXV.

α.) sententiæ nostræ *negativæ* firmamenta opponuntur *pontificia*. §. DCLXV.

β.) *Bellarmini* pro *adfirmante* rationes franguntur, §. DCLXVI, desumtæ

a.) ex 1 *Cor. VII.*

b.) ex iure *canonico*.

c.) ex *Luc. XIV.*

2.) *Hæresis*. §. DCLXVII.

α.) Recensentur ii, qui hæresin *justam* divortii *causam* esse statuunt, §. DCLXVII.

β.) *Contraria* sententia defenditur §. DCLXVIII.

3.) *Votum* solenne continentiæ. §. DCLXIX.

α.) Rationes nostræ sententiæ *negantis* adstruuntur,

a.) ex defectu *divini mandati*.

b.) ex *indissolubilis* vinculi, quod matrimonio contrahitur, conditione.

Bellarmini informandis *exceptionibus* stropliæ excutiuntur, § DCLXX - DCLXXV.

c.) ex metu periculi. § DLXXVI.

d.) ex regula *apostoli*, 1 *Cor. VII.* 17. 20. 24.

e.) ex testimonio *patrum*.

f.) ex suffragio *adversariorum*.

β.) *Bellarmini* argumenta confutantur, adhibentis

a.) testimonium *ecclesiae*, hoc est, romanorum pontificum. §. DCLXXVII.

b.) exempla *sanctorum*. §. DCLXXVIII.

c.) *rationem* duplicem, quarum

aa.) *prior* est hæc: quod licitum sit transire e statu *minus perfecto* ad *perfectiorem*. §. DCLXXIX.

bb.) *posterior*: vinculum in matrimonio *spirituale* dirimi per mortem *spiritualem*, cuiusmodi sit *monastica professio*, qua homo toti mundo moriatur. § DCLXXX.

γ.) *Quaestio* subiungitur: An matrimonium consummatum solvatur per votum continentiæ, *quoad thorum*? §. DCLXXXI.

4.) *Crimen*. § DCLXXXII.

5.) *Vitae* periculum. § DCLXXXIII.

6.) *Sterilitas*. § DCLXXXIV.

7.) Impotentia *superveniens*. § DCLXXXV. Respondetur ad quæstiones aliquot singulares. § DCLXXXVI.

8.) Morbi *incurabiles*, abominabiles, contagiosi. §. DCLXXXVII.

Quæritur:

α.) Num seperatio *quoad thorum*, ob *morbum incurabilem* fieri possit? § DCLXXXVIII.

β.) An parti *sanae*, consentiente ægrotante, *novum matrimonium* sit concedendum?

γ.) Quomodo parti *sanae* consulendum?

9.) *Furor*. §. DCLXXXIX.

10.) Adfinitas *fornicaria*. §. DCXC.

11.) *Fuga* vel deportatio ob delictum. §. DCXCI.

MEMBRUM III.

De modo divortii.

Cum in divortio solenniter faciendo duo requirantur, videlicet *competens iudex*, & legitimus iudicii *processus*; hæc de *modo divortii* disputatio ad *duo* revocatur capita:

I.) De *iudice* causarum ad *matrimonium* pertinentium.

A.) Docetur, παποκαισαρίαν pontificiam, & καισαροπαπίαν quorundam *politicorum* coniugii naturæ, scripturæ sacræ praxique christianæ & apostolicæ adversari §. DCXCII.

B.) Tractatio ipsa continetur *tribus* his propositionibus:

1.) *constituendus* est certus & publicus causarum matrimonialium *iudex* §. DCXCIII.

α.) Robora huius adsertionis proferuntur

a.) ex iure *divino*,

b.) ex iure *civili*,

c.) ex iure *canonico*.

d.) ex consequente *absurdo*.

β.) Contrariæ sententiæ fundamenta diruuntur, §. DCXCIV; desumta

a.) ex lege *mosaica* de repudiis, Deut. XXIV. 1.

b.) ex *coniugii* natura.

c.) ex *Abrahae* exemplo, *Agarem* eiicientis.

d.) ab exemplo *Iosephi*, qui occulte voluit *Mariam* dimittere.

2.) A causarum matrimonialium cognitione & diiudicatione *non debent excludi theologi* & ecclesiæ ministri. §. DCXCV.

α.) huius propositionis *genuinus* explicatur sensus.

β.) argumenta, quibus nititur, exhibentur, sunt illa

a.) *coniugii*, divinitus instituti, divinisque comprehensi legibus *natura*; utpote quæ *rem* efficit *conscientiae*. §. DCXCVI.

b.) doctrinæ de coniugio *norma*, quæ est, *scriptura sacra*. §. DCXCVII.

c.) praxis *Christi* & *apostolorum*. §. DCXCVIII.

d.) perpetua *ecclesiae* consuetudo. §. DCXCIX.

γ.) *antithesis* eorum, qui theologos a causarum matrimonialium cognitione arcendos statuunt, refellitur, §. DCC. cum tamen provocant

a.) ad naturam coniugii.

b.) ad defectum iurisdictionis.

c.) ad propriam theologorum provinciam.

d.) ad iuris civilis sufficientiam.

e.) ad politiam *Israeliticam*.

f.) ad sententiam *Lutheri*.

3.) a causarum matrimonialium cognitione & diiudicatione *non* est *excludendus magistratus*. §. DCCI.

α.) firmitas huius theseos declaratur, §. DCCI. frustra occlamante *Bellarmino*, §. DCCII.

β.) contraria *pontificiorum* definitio

a.) exponitur, §. DCCIII.

b.) enervatur, §. DCCIV.

II. De *legitimo divortii processu*, §. DCCV.

1.) in casu *adulterii*. §. DCCV.

2.) in casu *malitiosae desertionis*. §. DCCVI.

CAPVT. XI.

de usu doctrinae de coniugio.

Declaratur usus doctrinæ de coniugio, tum *generalis*, omnibus hominibus in quovis vitæ genere communis, tum *specialis*, ad eos pertinens, qui in coniugio vivunt, vel ad illud adspirant; isque *didascalicus*, *paedevticus*, *epanorthoticus*, & *paracleticus*. §. DCCVII.

CAPVT. XII.

de definitione coniugii.

Notata definitionum super coniugio *diversitate*, *plena* & integra hæc traditur: *coniugium est unius maris & unius feminae per legitimum*, *plenum & iustum consensum in carnem unam divinitus instituta coniunctio*, *tum ut sobolis procreatione genus humanum propagetur*, *& ecclesia ex illo colligatur*, *tum ut familiaris societas & mutuum adiutorium in rebus tam divinis*, *quam humanis paretur*, *tum ut Christi & ecclesiae coniunctio praefiguretur*, *ad quos fines post lapsum vitatio fortationis accessit*. §. DCCVIII.

AC-

ACCESSIONES NONNVLLÆ IVRIDICÆ AD TRACTATVM GERHARDI DE CONIVGIO ADORNATÆ AB AVGVSTO LVDOVICO SCHOTT, PROFESSORE TVBINGENSI.

Proœmium instituti rationem exponit. p. 282. 283.

Ad Cap. IV. Sect. II. Art. I.

Ad §. LXV. Quæstio pertractatur, *an matrimonia liberorum, sine consensu parentum inita, iure naturæ sint irrita?* p. 284-286.

1.) notatur HVG. GROTII, quem ex *iurisconsultis* multi sequuntur, cum BELLARMINO *consensus*.

2.) CANZII sententia *media* exponitur.

3.) GERHARDI thesis, *patriaeque potestatis* in hac causa vis uberius declaratur.

4.) *recentiorum* quorundam suffragia indicantur.

Ad §. LXV, LXVI. De *differentia* inter *ius naturale* & *ius Romanum*, huiusque tum *antiqui*, tum *novioris* principia, & *de varia ratione ipsius paterni consensus* sequentes adiiciuntur observationes:

1.) *iure Romano* solius patris consensum requiri docetur. p. 287.

2.) *differentia* iuris *Romani*, *antiqui* & *novi* ratione *consensus istius* proponitur. p. 287.

3.) singulares *rationes huius consensus* in nuptiis filiorum vel filiarum traduntur. p. 288.

4.) vindicatur GERHARDI sententia, ex *heredis agnatione* desumta. p. 289.

5.) monetur, legem de consensu paterno *non* esse *suaoriam*, sed *prohibentem*. p. 289.

Ad §. LXVIII. seq. *Historia* doctrinæ *iuris canonici* de consensu parentum requisito, pertractatur, *variaeque* pro diversitate temporis illius sanctiones recensentur; p. 290-292. inprimisque de *concilii tridentini* decreto, hanc causam concernente agitur, §. 292. 293.

Ad §. LXXXII. Sententiæ *protestantium* variæ de *necessitate* huius *parentum consensus* adducuntur, simulque in *rationem* huius *dissensus* inquiritur. p. 293 - 298.

Hic igitur

1.) notatur *diversitas* sententiarum

α.) quoad *ordinationes ecclesiasticas*.

β.) quoad *scriptores singulos*; quorum

a.) alii GERHARDO suffragantur;

b.) alii contradicunt.

2.) *causae* huius dissensionis repetuntur

α.) ab incauta iuris canonici adplicatione.

β.) a varia legum veterum germanarum sententia de eiusmodi nuptiarum valore

γ.) a principum legislatorum conniventia.

3.) BOEHMERI sententia, statuentis, *thesin esse iuris communis ecclesiastici, quod matrimonia sine parentum consensu contracta, si consummata sint, non possint annullari*, reiicitur GERHARDI autem sententia, *tale coniugium esse nullum*, ex *principiis iuris* confirmatur.

α.) ostenditur, GERHARDVM *iure romano*, tanquam communi & subsidiario, quod sententiis iuris canonici antiqui corroboretur, in defectu constitutionum provincialium, *recte* fuisse *usum*.

β.) demonstratur, sponsalia liberorum clandestina nec per *copulam carnalem*, nec per *benedictionem sacerdotalem* in verum ac stabile matrimonium transire.

γ.) provocatur ad edictum regis *Borussiae*.

4.) iuris *Wirtembergici*, quod *reverentiae parentibus debitae* magis, quam *patriae potestatis* rationem habeat, sanctio de necessitate consensus parentum proponitur. p. 298 - 300.

Ad §. LXXXIII. *An femina ob amissam virginitatem ad consummationem talium sponsalium, cui concubitus accessit, agere possit?* p. 300. 301.

1.) *affirmantis* sententiæ patroni & argumenta recensentur.

2.) in *negativam* partem deciditur, repudiata vi distinctionis inter feminam *seductam* & *seducentem*.

Ad §. LXXXVI. *An matris etiam consensus requiratur?* p. 301 - 304.

1.) praemittitur observatio, hanc quæstionem ex *ipsius iuris Germanii sanctionibus* resolvi ac decidi posse.

2.) ostenditur, fundamentum sententiæ *affirmantis*, quod GERHARDVS aliique in *reverentia utrique parenti debita*, ponere solerent, minus esse firmum.

3.) ne-

3.) necessitas consensus materni ex *ipsis legibus moribusque Germanorum* deducitur; quippe quibus potestas parentum communis est constituta.

4.) defuncto patre, necessitatem consensus materni per *secundas matris* nuptias tolli, *viduae* matri ius integrum in liberos manere, *veteres* leges volunt; *hodiernae* autem de hac distinctione nihil disponunt, licet *vitrico* talem ius nunquam concedatur.

Ad §. LXXXVII. *An praeferendus sit consensus patris materno?* p. 304.

Affirmans GERHARDI sententia ex principiis *iuris Germanici* illustratur.

Omissa a GERHARDO quaestio: *An deficiente patre nuptiae liberorum, inscia vel invita matre initae, tanquam nullae ab hac impugnari possint?* affirmatur contra BOEHMERVM, cuius argumentatio confellitur; ill. HOMMELIO in consensum vocato p. 305.

Ad §. LXXXVIII. *An sufficiat consensus parentum tacitus?* cautelae & restrictiones ad regulas a GERHARDO adlatas, adduntur, inculcata praesertim distinctione inter *scientiam* & *ignorantiam* parentum. p. 306. 307.

Ad §. LXXXIX. XC. *An parentes dissensus sui causas proferre teneantur?* GERHARDI sententia ex *iuris romani* constitutione *nostrisque moribus* confirmatur, moneturque rem ad *iudicem* esse deferendam, cui necessaria in tali negotio *cautio* commendatur, adductis insimul edicto *Borussico* & sanctione *Wirtembergica*. p. 307. 310.

Ad §. XCI. *An consensus patris impii, crudelis &c. sit necessarius? Affirmans* doctorum sententia tenetur, si quidem conditio illa non sit *ipsa* consensus denegati *causa*. p. 310. 311.

Ad §. XCII. *Qualem effectum habeat ratihabitio parentum subsecuta?*

1.) excitantur ex *iuris consultis*, tum ii, qui *eandem* cum GERHARDO fovent sententiam, tum qui *contrarium* statuunt, & contendunt: *ratihabitionem parentum effectum retrogradum in praeteritum habere, & matrimonium tale ab initio validum reddere.*

2.) Haec *posterior* sententia, priori confutata idoneis argumentis *defenditur*. p. 311-313.

Ad §. XCIII. *An in nuptiis liberorum emancipatorum requiratur parentum consensus?* p. 313. 315.

Notatur:

1.) iuris *romani* cum moribus *Germanorum* in hoc casu convenientia.

2.) *varietas* in *constitutionibus ecclesiarum* nostrarum singularibus, respectu nuptiarum a liberis emancipatis celebrandarum.

3.) CARPZOVII & BRVCKNERI error, a BOEHMERO refutatus, cum statuunt, esse adeo thesin iuris communis, quod in terris evangelicis parentum consensus nulla aetatis vel emancipationis ratione habita necessarius sit; quia necessitas huius consensus ex *praecepto divino* de honorandis parentibus repeti soleat.

Ad §. XCIV. *An tutorum curatorumque consensus sit necessarius?* p. 315-317.

1.) *recentiores*, in diversa discedentes, nominantur.

2.) adseritur, de *iure communi*, & in defectu constitutionum particularium consensum tutorum tantum *de honestate* requiri.

Ad §. XCVI. *An requiratur consensus cognatorum?*

1.) idem statuitur, quod de consensu *tutorum*.

2.) nonnullae *ordinationes ecclesiasticae*, quae consensum propinquorum *requirere* videntur, commemorantur atque explicantur.

Ad §. XCVII. *An avi consensus sit necessarius*, p. 318. 319. Quid ex *moribus hodiernis* circa consensum avi iustum sit, dispicitur, ratione habita defitionum, apud *recentiores* occurrentium.

Ad §. XCVIII. *An pater consensum suum revocare queat?* p. 319. 320. Divisioni consensus parentum in *generalem*, *specialem* & *individualem*, additur *conditionati* species, eademque quaestioni huicce decidendae adplicatur.

Ad §. XCIX. Aliae quaestiones:

1.) De *patre captivo*, *an & quomodo sine illius consensu nuptias inire queant liberi?* p. 320.

Jg 1830
(15/16)

ULB Halle 3
002 610 825

W18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841197-p0341-0



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841197-p0342-5

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM IENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS SEXTVS

DENVO EDIDIT

ATQVE

ACCESSIONES NONNVLLAS IVRIDICAS

SVBIVNXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS



TVBINGÆ

SVMTIBVS IO. GEORGII COTTAE
MDCCLXXVII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841197-p0343-1